GOTHOFREDI GUILLELMI LEIBNITII

Digitized by Google

FONDO PIZZOFALCONE

NAZIONALE
B. Prov.
XIII
375
NAPOLI
BIBLIOTECA
VITT. EM. III

8 - E - 4

BIBLIOTECA PROVINCIALE

Armadio XII

Palchetto A

Num.° d' ordine 2.

1934

4 1941

Digitized by Google

131
7
28

R Prov.
XIII
75

Digitized by Google

Digitized by Google

64 5120

GOTHOFREDI GUILLELMI

LEIBNITII,

S. Cæſar. Majeſtatis Conſiliarii, & S. Reg. Majeſt. Britanniarum a Conſiliis Juſtitiæ intimis, nec non a ſcribendâ Hiſtoriâ,

OPERA OMNIA,

Nunc primum collecta, in Claſſes diſtributa, præfationibus & indicibus exornata, ſtudio

LUDOVICI DUTENS.

TOMUS QUARTUS,

In tres partes diſtributus, quarum

I. Continet Philoſophiam in genere, & opuſcula Sinenſes attingentia.

II. Hiſtoriam & Antiquitates.

III. Juriſprudentiam.

GENEVÆ,
Apud FRATRES DE TOURNES.

MDCCLXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

TABULA

OPERUM TOMI QUARTI.

PARS I.

L. *Dutens* Præfatio in quartum volumen. Pag. 1
G. G. Leibnitii, & *Jac. Thomaſii* Epiſtolæ (Nizolii vera principia philoſ. &c. Kortholti Collectio.) 7
Epiſtola ad Baronem a Boineburg (Kortholti Collectio.) 35
Diſſertatio de ſtilo philoſophico Marii Nizolii. (Loc. Cit.) 36
Annotationes in Marii Nizolii Anti-barbarum Philoſophicum. (Loc. Cit.) 64
Præfatio libro inſcripto *Noviſſima Sinica* &c. (Edit. an. 1697.) 78
Recenſio libri inſcripti *Noviſſima Sinica* &c. (Act. Erud. a. 1697.) 87
Traité ſur quelques points de la religion des Chinois, par le P. Longobardi, avec des remarques de M. Leibniz. (Edit. Paris. a. 1701.) 89
Lettre du P. Le Gobien à M. Leibniz. (Recueil de Kortholt.) 145
Lettre du P. Bouvet au P. Le Gobien. (Loc. Cit.) 146

Digitized by Google

Deux lettres du P. Bouvet à M. Leibniz; (la premiére tirée des Mémoires de Trevoux a. 1704. la ſeconde du Recueil de Kortholt.) pag. 152
Lettre de M. Leibniz ſur la philoſophie Chinoiſe, à M. De Remond. (Recueil de Kortholt.) 169
Excerpta ex Epiſtolis M. Veyſſiere La Croze ad S. Kortholtum. (Kortholti Collectio.) 211
Excerptum ex Epiſtolâ G. G. Leibnitii ad P. Kochanski. (Otium Hanover.) 216

PARS II.

G. G. Leibnitii introductio in Collectionem Scriptorum Hiſtoriæ Brunſvicenſi inſervientium (Edit. Hanover. a. 1707. fol. 3 tom.) pag. 1
Præfatio primæ parti acceſſionum hiſtoricarum, quibus potiſſimum continentur Scriptores rerum Germanicarum, præmiſſa. (Edit. Hanov. a. 1700. in 4°. 2 tom.) 53
Præfatio in ſecundam partem acceſſionum hiſtoricarum, quæ continet Alberici Monachi trium fontium chronicon. (Edit. cit.) 58
Præfatio libro inſcripto, *Joan. Adlzreiter annales Boicæ gentis &c.* (Edit. Francofurti an. 1710.) 64
Præfatio libro inſcripto, *Hiſtoria arcana, ſive de vitâ Alexandri VI. Papæ, ſeu excerpta ex diario Joh. Burchardi.* (Edit. Hanov. a. 1697.) 74
Præfatio ad Chronicon Cœnobii Montis-Francorum Goſlariæ, (editum Francofurti a. 1698. in 4°.) 76
Notitia de hiſtoriâ Brunſvicenſi, quam edere paraverat G. G. Leibnitius. (Act. Erudit. a. 1717. 78
Lettre ſur la connexion des Maiſons de Brunſvic, & d'Eſte. (Recueil de Kortholt.) 80
Remarques ſur les lettres de M M. Tarioli, & Saltarini, ſur le ſujet précédent. (Otium Hanoveranum.) 86
Remarques ſur la lettre del Signor Moſcardo de Verone. (Loc. Cit.) 88

Digitized by Google

XXI. Lettres à M. Louis Antoine Muratori, auteur des annales d'Italie, (communiquées par M. l'Abbé Muratori ſon neveu.) pag. 89
Lettre à M. Valliſnieri Medecin à Modene, (communiquée par M. Muratori.) 112
Lettre à M. Zanovelli, Agent du Duc de Brunſvic à Veniſe, (comme les précédentes.) 113
G. G. Leibnitii & Olai Roemeri de emendatione Calendarii commercium epiſtolicum. (Kortholti Collectio.) 115
Epiſtola O. Roemeri ad D. De Kroſeck. (Loc. Cit.) 140
G. G. Leibnitii Epiſtolæ duæ ad D. Tiedium. (Loc. Cit.) 142
Lettre à MM. de l'Académie Royale des Sciences de Paris, ſur la reformation du Calendrier Gregorien. (Recueil de Des Maizeaux.) 143
G. G. Leibnitii Diſquiſitio de origine Francorum, c. n. J. G. Eccardi. (Eccardi Leges Francorum Salicæ fol. Francof. 1720.) 146
Réponſe aux remarques du P. Tournemine ſur la diſſertation précédente. (Loc. Cit.) 167
Réponſe aux remarques de N. H. Gundlingius ſur la diſſertation précédente. (Extat German. A. 1702. von dem monatlichen Auffzuge.) 17[illegible]
Brevis deſignatio Meditationum de Originibus Gentium ductis potiſſimùm ex indicio linguarum. (Miſcellan. Berolin.) 186
Diſſertatio de origine Germanorum, ſeu brevis diſquiſitio, utros incolarum Germaniæ citerioris, aut Scandicæ ex alteris initio profectos veriſimiliùs ſit judicandum. (Felleri varia monumenta ined.) 198
Lettre à M. Nicaiſe, ſur l'origine des Germains.) Otium Hanover.) 205
Epiſtola ad amicum, de Originibus nationum Tranſylvaniæ. (Loc. Cit.) 206
Epiſtola ad J. C. Spenerum, de Notitiâ Germaniæ antiquæ. (Speneri notitia &c.) 208

Digitized by Google

Epiſtola ad amicum, de Titanis & Gigantibus ex Scythiâ oriundis. (Otium Hanover.) pag. 209
Vita B. Erneſti Auguſti Electoris Brunſvicenſis primi, ex Germanico ſermone in Latinum verſa. (Ritmeieri Chronicon Brunſvic.) 211
Epigramma in Geſta B. Erneſti Auguſti &c. (Ludwig. hiſt. philoſ. Leibnit.) 235
III. Lettres à M. Pfeffinger. (Otium Hanover. Kortholti Collectio.) 236
Lettre pour ſoutenir la vérité de l'Election de l'Empereur Frederic, entre Wenceſlas & Sigiſmond, (communiquée par M. Gobet.) 241
Epiſtola ad D. Tenzelium, de fœdere inter Carolum Regem Galliæ, & Duces Saxoniæ Fredericum atque Guillelmum an. 1444. initum. (Act. Erud. Germ. p. XXIII.) 248
De Nummis Gratiani Aug. cum gloriâ novi ſæculi, diſſertatio. (Kortholti Collectio.) 252
Fragmentum Epiſtolæ ad D. Cuperum, de Nummo Theophanis. (Recueil des lettres de Cuper 4°.) 267
II. Epiſtolæ ad Ottonem Sperlingium. (Kortholti Collectio.) 268
Lettre à M. Greiffencranz. (Otium Hanover.) 270
Lettre à M. Pinſon. (Loc. Cit.) 272
Extrait d'une lettre à M. Spanheim, ſur le Mercure des Egyptiens. (Loc. Cit.) 273
Hiſtoire de Balaam, ou Bileam. (Recueil de Des Maizeaux.) 275
Obſervatio de ſuperſtitionibus quibuſdam Slavorum. (Kortholti Collectio.) 278
Vita & obitus Cel. Jacobi Bernoulli. (Act. Erud. anni 1706.) 280
Lettre à Dom J. Mabillon, ſur le Marquis Azo. (Oeuvres poſthumes de Mabillon 4°. 3 tom.) 284

PARS III.

Digitized by Google

PARS III.

Præfatio Johan. Bat. Bon. pag. 1
G. G. Leibnitii diſſertatio de caſibus perplexis. (juxta edit. Francofurt. an. 1672. in 4°.) 45
Quæſtiones philoſophicæ amœniores, ex jure collecta. (edit. cit.) 68
Specimen certitudinis, ſeu de conditionibus. (edit. cit.) 92
Nova methodus diſcendæ docendæque juriſprudentiæ, cum præfat. Chriſtiani Wolfii. (juxtà exemplar Lipſiæ a. 1748. editum.) 159
Epiſtola ad amicum de nævis, & emendatione Juriſprudentiæ Romanæ. (Act. Erud. Germ. P. XXIII.) 230
Ratio corporis juris reconcinnandi. (juxta exemplar Moguntiæ a. 1668. editum.) 235
XV. Epiſtolæ ad H. E. Keſtnerum. (Kortholti Collectio.) 253
Obſervationes de principio Juris. (Loc. Cit.) 270
Monita quædam ad S. Puffendorfii principia. (Loc. Cit.) 275
Epiſtola ad D. Blumium. (Felleri monumenta inedita.) 283
Extrait d'une lettre ſur l'auteur du livre intitulé *Cautio criminalis circà proceſſus contra ſagas.* (Loc. Cit.) 284
G. G. Leibnitii monitum de ſuo codice Juris Gentium diplomatico. (Kortholti Collectio.) 285
Diſſertatio I. de actorum publicorum uſu, atque de principiis Juris naturæ & gentium, primæ Codicis Gentium Diplomatici parti, præfationis modo, præfixa. 287
Diſſertatio II. de eadem materiâ ſecundæ Codicis Gentium Diplomatici parti præfixa. 309
Furſteneri Tractatus de Jure Suprematus ac Legationis Principum Germaniæ. (juxta ſecundam editionem anni 1678.) 329
Cogitationes de iis quæ juxta præſens jus gentium modernum requiruntur ad Majeſtatem Regiam, occaſione coronationis Regis Pruſſiæ. (Auſſzug neuer Bücher an. 1701.) 497

Brevis

Brevis deductio ſiſtens diſcrimen quod intercedit inter vexillum ſeu Bannerium Imperii primarium & vexillum conflictus Wurtenbergicum. (Thucelii electa juris publici curioſa.) pag. 503

Specimen demonſtrationum politicarum pro eligendo Rege Polonorum, novo ſcribendi genere ad claram certitudinem exactum. (Juxtà exemplar editum Vilnæ anno 1659) 522

Index materiarum Tomi quarti. 631

Finis Tabulæ Operum Tomi Quarti.

G. G.

Digitized by Google

G. G. LEIBNITII
HISTORIA ET PHILOSOPHIA SINENSIUM.
PHILOSOPHIA IN GENERE.

LUDOVICI DUTENS
PRÆFATIO
IN QUARTUM VOLUMEN.

PRIMO horum Collectaneorum volumine præstantissimum se Theologum LEIBNITIUS prodit; altero æquè in naturali Philosophia, ac in penitiori, altiorique Metaphysica egregium; tertio Mathematicum præcipuum, in commentationibus suis sublimem, in indagationibus accuratissimum. Hic verò non una facie se se nobis exhibet. Identidem enim Philosophus generatim apparet, sectarum, nationumque peculiarium diversa systemata expendens, eximia jam inde a

prima adoleſcentia, ſuis philoſophicarum meditationum ſpeciminibus, argumenta præbens, qualis quantuſque aliquando futurus eſſet ; veſtigiis illorum Philoſophorum primum ingrediens, qui feliciori ſucceſſu in philoſophia reſtituenda elaboraſſe videbantur. Hìc acutæ naris Criticus, prudens hiſtoricus, diligentiſſimus, eruditiſſimuſque in antiquitatibus explicandis, doctus, ac laborioſus Jureconſultus : ad ſummam iis cognitionibus, animique facultatibus comparatus, quas in uno, eodemque homine ſimul eſſe poſſe vix crederes. Adeo poſt inſtauratas Literas, quarum progreſſui tantùm contulit, nemo unquam extitit ingenio ſic ad omnia parato, nemo, qui æquè feliciter potuerit, quæcumque tractanda ſuſcepiſſet, penitus introſpicere, illuſtrare, augere.

Hoc quidem demonſtrandum, ad Juriſprudentiam quod attinet, in ſe ſuſcepit Doctiſſimus *Bon* in Præfatione ſua, quæ tertiae hujus voluminis parti præponetur. Quamobrem mihi ſat erit pauca proloqui de ſcriptis illis, quæ duabus partibus reliquis continentur, de iis nempe, quæ ad Philoſophiam univerſim, ac Sinenſium dogmata ſpeciatim, tum quae ad hiſtoriam, atque antiquitates ſpectant, ac nonnulla interea de peculiaribus opuſculis quibuſdam ſigillatim adjicere.

Thomaſius, ad quem Epiſtolæ miſſæ ſunt, hujus voluminis initio collocatæ, Lipſiæ docebat, quo tempore ſtudiis operam dabat LEIBNITIUS. Ipſi inter Profeſſores omnes, quibus uſus eſt, plurimum ſe debere Auctor noſter ſentiebat, ac dum vixit, mirificè, conſtanterque eum dilexit, ac coluit. Cum eo in literis hiſce communicavit, quæ primum de variis philoſophiæ in univerſum argumentis, & de Philoſophis aliquot ſpeciatim commentatus eſt. Conſulebat virum non rarò : atque aliquot *Thomaſii* etiam reſponſiones hic addidi, quae & Leibnitianas literas illuſtrant, nec injucundæ Lectoribus erunt, quum ob oculos ponant hinc gratum diſcipuli animum erga Inſtitutorem ſuum, inde hujus amor erga diſcipulum, quo tantùm gloriabatur. His in literis, non minùs

minùs quàm in diſſertatione de ſtylo philoſophico; aliiſque de *Nizolio* ſcriptis, planum facere nititur LEIBNITIUS, Ariſtotelicam doctrinam cum recentiorum Philoſophorum placitis componi poſſe, ſuamque ſententiam profert de veteri, ſcholaſtica, ac recentiori philoſophia.

Marius Nizolius, de quo hic ſermo eſt, eruditus Italus fuit, qui librum Parmæ ediderat anno 1553. *de veris principiis, & vera ratione philoſophandi*, in quo vehementer *Ariſtotelem*, ac Peripateticam ſcholam exagitat. Rariſſimus erat tunc temporis hic liber, quod LEIBNITIUM impulit, ut novam ejus editionem Francofurti daret anno 1670. additis præfatione, atque adnotationibus, quae in hoc volumine reperientur. Ibi omni partium ſtudio abjecto, errores *Nizolii* recenſet, tum quæ vera in eo libro ſunt, & Philoſophiæ utilia, comprobat, atque confirmat: in quo *Ariſtoteles* cum recentioribus conciliari queat, in quo erraverit, in quo rectè ſenſerit, demonſtrat: ſcholaſticos item tuetur ab aliquot erroribus, quibus falſo arguebantur; quid in eorum ſententiis mutandum ſit indicat, ac regulas quaſdam ad eas emendandas proponit.

Quæ ad Sinenſium Philoſophiam attinent, non omnia Auctorem habent LEIBNITIUM; ſed ea ipſa, quæ LEIBNITII non ſunt, neceſſaria habita fuerunt ad ea intelligenda, quæ noſter nova, atque utiliſſima ea de re ſcripſit. Primum inſuper horum ipſorum opuſculorum Philoſophi noſtri adnotationibus ornatum, illuſtratumque eſt. Hoc idem opuſculum illud ipſum eſt, quod in epiſtola ad *Remondum* præcipuè ſpectat, quod tota illa diſſertatione expendit, emendat, explanat, cujus diſſertationis poſtrema ſectio reſponſionem continet ad P. *Bouveti* epiſtolam, quæ maximam lucem affert Arithmeticæ binariæ principiis. Ea, de quibus Auctor noſter in hujuſmodi ſcriptis agit, utilia ſunt quàm quæ maximè. Inquirit enim quænam veterum Sinenſium opinio fuerit de Dei natura, de ſpiritibus, animo humano, ejuſque immortalitate; quæ omnia evolvit illo planè

philoſophico ingenio, quo conſueverat omnia, quæcumque perſcrutanda ſumſiſſet; adeo ut nihil de Sinenſium philoſophia reperiri hactenus queat, quod vel novitate rerum, vel diligentiâ, ac judicio ſcriptoris plus poſſit legentium ſtudiis ſatisfacere, quàm Leibnitiana a nobis, prima hujus quarti voluminis parte, edita. Hæc erat LEIBNITII opinio, veteres Sinenſes rectè de Deo, de ſpiritibus, de animorum immortalitate ſenſiſſe: eorumque medii ævi philoſophos ab Atheiſmo liberat, cujus inſimulati fuerant: ac purgare etiam conatur recentiores ejuſdem nationis philoſophos ab hac ipſa criminatione graviſſima, quæ cautiſſimè eſſet intentanda non modò populo univerſo, verùm etiam exiguo eorum Philoſophorum numero.

Altera hujus voluminis pars ſcripta LEIBNITII complectitur ad hiſtoriam atque antiquitates pertinentia, in quibus inveſtigationibus adeo excelluit. In nullo ex Leibnitianis iſtiuſmodi opuſculis offendet Lector aridum illum, ac jejunum ſtylum, quo perſæpe magna cum legentium ſatietate hæc argumenta tractantur. Norat nimirum, quæcumque verſaret, lepore quodam non uſitato condire, etſi ea nihil veneris, atque elegantiæ recipere poſſe viderentur. Verſatiſſimus in hiſtoriis erat, ac loca plura graviſſima, atque utiliſſima dilucidavit. Nullam unquam occaſionem neglexit ea manuſcripta colligendi, quæ rariora in ejus manus inciderent, inter itinera ſæpe ab eo Brunſvicenſium Principum juſſu, ad illuſtrandam ejus Principatus hiſtoriam, ſuſcepta. *Scriptores rerum Brunſvicenſium* quos tribus voluminibus *in folio* comprehenſos edidit, nihil erant aliud præterquam ſeges commentariorum, quibus uti decreverat ad Brunſvicenſem hiſtoriam conſcribendam. Tempeſtivè admodum hoc conſilium inierat; primumque opuſculum, quod in altera hujus voluminis parte extat, & in ejus ſcriniis repertum fuit, delineationis, & quaſi adumbrationis cujuſdam principium eſt. Qui ſigillatim noſſe cupit quid ſibi in tanto opere LEIBNITIUS propoſuiſſet, Fontenellianum vitæ ejus

ejus elogium adeat, quod ſub initium primi voluminis horum Collectaneorum reperitur. Verum morte præreptus opus perſequi non potuit.

In prima Præfatione mea, de Collectaneis illis hiſtoricorum ſcriptorum, quæ Auctor noſter undique conquiſierat, locutus ſum. Ea ut plurimum præfatione aliquâ ornabat digna ingenio, atque eruditione ſua, nec non philoſophicis animadverſionibus referta. Exemplo ſint *Introductio in ſcriptores rerum Brunſvicenſium*; ac tria, quæ ſequuntur, opuſcula. Supervacaneum eſt hìc ea repetere, quæ illic dixi de operibus, quibus hæ diſſertationes proœmii loco præfixæ ſunt.

Reperientur deinceps decem, vel duodecim diſſertatiunculæ, in quibus de nationum origine univerſim agitur, ac de Germanorum, Gallorumque ſpeciatim; quæ omnia mirum in modum declarant, quàm ſublimi ingenio ad hujuſmodi inveſtigationes eſſet a natura inſtructus; quàm acri, atque exquiſito judicio polleret, qua induſtria, ac felicitate in conjectando, rebuſque inter ſe componendis, atque in ſyſtema redigendis. Exiſtimabat, Linguarum originem, earumque analogiam penitus perſpectam ad nationum ipſarum originem conſtituendam conferre poſſe. Plurimum in hujuſcemodi conjecturis verſatus eſt; ac re quidem ipſa hanc hiſtoriæ partem ſummoperè illuſtravit. De Gallorum origine ſententia multas contentiones, pluresque ei adverſarios concitavit. In quadam enim de origine populorum diſſertatione, Francos dixerat ab iis oris profectos, quæ ad mare Balticum ſunt. Ægrè tulit P. *Tourneminius*, hac opinione gloriam adimi Gallis præclaræ originis, quam repetebant a gente illa fortiſſima, à qua Roma olim capta. Quum contra hanc LEIBNITII opinionem ſcripſiſſet ille, reſpondit noſter ea diſſertatione, quæ Tractatum de origine Francorum proximè conſequitur. Eamdem quoque ſententiam tueri debuit contra objecta a celebri *Gundlingio*, quæ res cauſam ei alterius diſſertationis dedit.

Quod ſpectat ad alia ſcripta omnia, ex quibus altera hujus voluminis pars conſtat, ubi diverſa tractantur Chronologiæ, Hiſtoriæ, atque Antiquitatum argumenta, nulla eſt opus prævia cognitione. Satis articulorum index explicat, quod ſcitu neceſſarium eſt, antequam ea legenda ſuſcipiantur. Verum ea percurrens Lector non poterit non ſummoperè mirari, eumdem virum, qui æquè feliciter id omne perſcrutatus eſt, quod vel Matheſis abditiſſimum habet, vel ſublimiſſimum naturalis Philoſophia, deſcendere ad Linguarum, Chronologiæ, antiquorumque monumentorum faſtidioſa ſtudia gravatum minimè fuiſſe.

G. G. LEIB

Digitized by Google

G. G. LEIBNITII ET JACOBI THOMASII EPISTOLÆ (a).

EPISTOLA I.

LEIBNITIUS THOMASIO.

I. *De ſcribenda hiſtoria philoſophica.* II. *Num Deus prima rerum materia?* III. *De Carteſianis.* IV. *Ariſtotelica laudatur philoſophia.* V. *Scholaſtici ſenſum* Ariſtotelis *mirè depravarunt.* VI. *Conciliatio* Ariſtotelis *cum recentioribus quomodo inſtituenda?* VII. *Materia prima quid?* VIII. *Forma quid?* IX. *De mutationibus.* X. Ariſtoteles *in doctrina de corporibus cum recentioribus philoſophis conſpirat.* XI. Ariſtoteles *non ſtatuit formas ſubſtantiales, quæ ſint cauſſa motus per ſe in corporibus.* XII. & XIII. *De corporum natura.* XIV. *Epiſtolæ concluſio.*

I. TUum illud hiſtoriæ philoſophicæ πνῦμα dici non poteſt, quam omnibus ſalivam moverit, apparet enim, quantum inter nudas nominum recenſiones & profundas illas de ſententiarum connexionibus rationes interſit. Et certè quotquot rerum intelligentes de ſpecimine tuo loqui audio (ſcis me nihil auribus dare) ii unanimiter aſſeruerant, a nemine uno integrum hiſtoriæ philoſophicæ corpus potiùs expectari poſſe. Plerique alii antiquitatis magis quàm artis periti, vitas potiùs quàm ſententias nobis dederunt. Tu non Philoſophorum, ſed philoſophiæ hiſtoriam dabis. Narrant in Angliâ ſub prælo eſſe *Joſephi Glanvilli* Hiſtoriam creſcentium indè ab *Ariſtotele* ſcientiarum. Sed illum arbitror ferè mathematices, & mechanices, & phyſices illius curioſioris tantùm periodos ſequuturum, ita tibi, opinor, præripuit nihil. Utinam verò

(a) Harum epiſtolarum prior præmiſſa fuit libro *Marii Nizolii* inſcripto, *de veris principiis, & verâ philoſophandi ratione*, quem edi curavit *Leibnitius* Francofurti anno 1670. Poſteriores verò depromtæ ſunt ex Tom. III. Collectionis *Kortholti*.

verò ad recentiorem hanc ætatem ſtylum filumque producas, & admoneas inconſultam juventutem noſtram, neque nihil novatoribus tribuenda eſſe: *Bagemmus* non ſolus eſt, cui cenſor debeare; ſunt *Patricii*, *Teleſii*, *Campanellæ*, *Bodini*, *Nizolii*, *Fracaſtorii*, *Cardani*, *Galilei*, *Verulamii*, *Gaſſendi*, *Hobbii*, *Carteſii*, *Baſſones*, *Digbæi*, *Sennerti*, *Sperlingii*, *Derodones*, *Deuſingii*, & multa alia nomina, in quæ philoſophiæ pallium diſtrahitur. De his admonere orbem, tibi ludus, publico fructus erit.

II. Judicio tuo de *Bagemmo* quis non aſſentiatur? Nulla in hypotheſibus ejus concinnitas, nulla rationum connexio, ſententiae verò prorſus monſtroſæ, certè niſi aliqua in phyſica ſpeciali obſervatio utilia habet, rectiùs latebit. Cæterum mihi videntur ſententiæ illius de Leo, prima rerum materia parentes eſſe *Scaliger*, *Sennertus*, & *Sperlingius* (nam & ejus diſcipulum ſe profitetur) qui ſtatuunt formas educi, non e potentiâ materiæ paſſivâ, ſed è potentia efficientis activâ. Quare conſequens eſt, ut Deum potiùs ex ſuâ potentiâ activâ, quàm ex nihili potentiâ objectivâ, & quaſi paſſivâ creaturas producere credant. Deus igitur, ex eorum ſententiâ, res ex ſe producet, & ideo prima rerum materia, quodammodo rerum materia erit: ſed de eo tu rectiùs arbitraberis.

III. De *Carteſio* & *Claubergio* prorſus tecum ſentio, diſcipulum Magiſtro clariorem eſſe. Illud tamen rurſus dicere auſim, nullum ferè Carteſianis inventis addidiſſe. Certè *Claubergius*, *Raeus*, *Spinoza*, *Clerſelier*, *Heerbord*, *Tobias Andreæ*, *Henricus Regius*, nihil aliud, quàm Ducis ſui paraphraſtas egerunt. Carteſianos verò eos tantùm appello, qui *Carteſii* principia ſequuntur, ex quo numero magni illi viri *Verulamius*, *Gaſſendus*, *Hobbius*, *Digbæus*, *Cornelius ab Hoghelande* &c. prorſus eximi debent, quos vulgus Carteſianis confundit, quum tamen vel *Carteſio* æquales vel etiam ſuperiores ætate & ingenio fuerint, me fateor nihil minùs quàm Carteſianum eſſe. Regulam illam omnibus iſtis philoſophiæ reſtauratoribus communem teneo, nihil explicandum in corporibus, niſi per magnitudinem, figuram & motum. In *Carteſio* ejus methodi tantum propoſitum amo; nam quum in rem præſentem ventum eſt, ab illâ ſeveritate prorſus remiſit, & ad Hypotheſes quaſdam miras ex abrupto delapſus eſt, quod rectè etiam deprehendit in eo *Voſſius* in libro de Luce.

IV. Quare dicere non vereor plura me probare in libris *Ariſtotelis*, *περὶ Φυσικῆς ἀκροάσεως*, quàm in meditationibus *Carteſii*; tantum abeſt, ut Carteſianus ſim. Imò auſim addere totos illos octo libros, ſalva philoſophia reformata ferri poſſe. Qua ratione illis ipſo facto occurretur, quæ tu Vir clariſſime, de *Ariſtotele* irreconciliabili nunc diſputas. Quæ *Ariſtoteles* enim de materiâ, formâ, privatione, naturâ, loco, infinito, tempore, motu ratiocinatur, pleraque certa & demonſtrata ſunt, hoc uno ferè demto, quæ de impoſſibilitate vacui, & motus in vacuo aſſerit. Mihi enim neque vacuum neque plenum neceſſarium eſſe, utroque

que modo rerum natura explicari poſſe, videtur. Pro vacuo pugnant *Gilbertus*, *Gaſſendus*, *Gerickius*; pro pleno *Carteſius*, *Digbæus*, *Thomas Anglus*, *Clerk* in libro de plenitudine mundi. Pro poſſibilitate utriuſque *Thomas Hobbes*, & *Robertus Boyle*: Et fateor, difficulter quidem, poſſe tamen ſine vacuo, rerum rarefactiones explicari. Vidi nuper *Johannis Baptiſtæ Du Hamel*, eruditi Galli, librum de conſenſu veteris & novæ philoſophiæ, Pariſiis non ita pridem editum, ubi celeberrimorum aliquot veterum & recentiorum hypotheſes & exponit eleganter, & ſæpè acutè dijudicat. Is quoque de divortiis circà vacuum non pauca habet. De cætero reliqua pleraque *Ariſtotelis* diſputata in Lib. VIII. Phyſices, & totâ Metaphyſicâ, Logica, & Ethica nemo ferè ſanus in dubium vocabit. Formam quoque ſubſtantialem nempè, id quo ſubſtantia corporis unius a ſubſtantiâ alterius corporis differt, quis non admittat? Materia prima nihil verius. Hoc unum in quæſtione eſt, an quæ *Ariſtoteles* de materiâ, forma, & mutatione abſtractè diſputavit, ea explicanda ſint per magnitudinem, figuram & motum. Id Scholaſtici negant, Reformatores affirmant. Reformatorum ſententia mihi non ſolùm verior, ſed & *Ariſtoteli* magis conſentanea videtur: de utroque breviter dicam.

V. Ac primum de *Ariſtotele*. Nam Scholaſticos ejus ſenſum mirè depravaſſe cui magis eſt cognitum, quàm tibi, vir clariſſime, qui bonam partem hujus generis errorum primus produxiſti? Id quum tecum in Metaphyſicis *Sonerus* & *Dreierus*, in Logicis *Viottus*, *Zabarella*, *Jungius*; in Civilibus *Jaſon Denores*, *Piccartus*, *Conringius*, *Feldenus*, *Durrius*, multique alii fateantur; cur obſecro non eadem aut deteriora, in Phyſicis ſuſpicabimur, cujus ſcientiæ præſidia a ſenſu & experientia & Matheſi petenda ſunt, quibus inſtrumentis ſcholaſtici Monachalibus clauſtris cohibiti, ferè prorſus caruerunt. Satis igitur probabile eſt in phyſicis eos deceptos eſſe, quid ſi hoc amplius, nimis id certum eſſe, oſtendam?

VI. Qua in re duplici rurſus ratione verſari licet. Nam vel oſtenditur Philoſophiam Reformatam Ariſtotelicæ conciliari poſſe, & adverſam non eſſe; vel ulterius oſtenditur alteram per alteram explicari non ſolum poſſe, ſed & debere, imo ex Ariſtotelicis principiis fluere ea ipſa quæ a recentioribus tanta pompa jactantur. Priore via poſſibilitas, poſteriore neceſſitas conciliationis conficitur, quamquam eo ipſo ſi poſſibilis conciliatio oſtenditur, confecta res eſt. Nam etſi utraque explicatio & ſcholaſticorum & recentiorum eſſet poſſibilis, ex duabus tamen poſſibilibus Hypotheſibus ſemper eligenda eſt clarior & intelligibilior, qualis haud dubie eſt hypotheſis recentiorum, qua nulla entia incorporalia in mediis corporibus ſibi fingit, ſed præter magnitudinem, figuram & motum aſſumit nihil. Nam poſſibilitatem conciliationis non poſſum melius oſtendere, quam ſi petam dari mihi aliquod principium *Ariſtotelis* quod non per magnitudinem, figuram, & motum explicari poſſit.

VII. Materia prima eſt ipſa maſſa, in qua nihil aliud quàm extenſio

& ἀντιτυπία, ſeu impenetrabilitas; extenſionem a ſpatio habet, quod replet; natura ipſa materiæ in eo conſtitit, quod craſſum quiddam eſt, & impenetrabile, & per conſequens alio occurrente (dum alterum cedere debet) mobile. Hæc jam maſſa continua mundum replens, dum omnes ejus partes quieſcunt, materia prima eſt, ex qua omnia per motum fiunt, & in quem per quietem reſolvuntur, eſt enim in ea in ſe ſpectata nulla diverſitas, mera homogeneitas niſi per motum. Hinc jam omnes Scholaſticorum nodi ſolvuntur. Primum de actu ejus entitativo ante omnem formam, quærunt. Et reſpondendum eſt, eſſe eam ens ante omnem formam, quum habeat exiſtentiam ſuam. Illud omne enim exiſtit, quod in aliquo ſpatio eſt, quod de maſſa illa omni licet motu & diſcontinuitate carente negari non poteſt. Eſſentia autem materiæ ſeu ipſa forma, corporeitatis conſiſtit in ἀντιτυπία ſeu impenetrabilitate; quantitatem quoque habet materia, ſed interminatam, ut vocant *Antiqui*, ſeu indefinitam, dum enim continua eſt, in partes ſecta non eſt, ergo nec termini in ea actu dantur, (non de intrinſecis enim mundi ſeu totius maſſæ, ſed intrinſecis partium terminis loquor) extenſio tamen ſeu quantitas in ea datur.

VIII. A materia tranſeamus ad formam, per diſpoſitiones. Hic ſi formam ſupponamus nihil aliud eſſe quàm figuram, rurſus omnia mirè concinent. Nam quum figura ſit terminus corporis, ad figuras materiæ inducendas, opus erit termino. Ut igitur varii in materia termini oriantur, opus eſt diſcontinuitate partium. Eo ipſo enim dum diſcontinuæ ſunt partes, habet quælibet terminos ſeparatos (nam continua definit *Ariſtoteles* ὧνπερ ἑχόμενα ἐν.) diſcontinuitas autem in maſſa illa prius continua duplici modo induci poteſt, uno modo, ut tollatur etiam ſimul contiguitas, quod fit, quando ita divelluntur a ſe, ut relinquatur vacuum, vel ſic, ut maneat contiguitas, quod fit quando, quæ ibi immediata manent, tamen in diverſa moventur, v. g. duæ ſphæræ, quarum una alteram includit, poſſunt in diverſa moveri, & tamen maneant contiguæ, licet deſinant eſſe continuæ. Ex his patet ſiquidem ab initio maſſa diſcontinua ſeu vacuitatibus interrupta creata ſit, formas aliquas ſtatim materiæ concretas eſſe; ſui verò ab initio continua eſt, neceſſe eſſe, ut formæ oriantur per motum. (Nam de annihilatione certarum partium ad vacuitates in materia procurandas, quia ſupra naturam eſt, non loquor) quia a motu diviſio, a diviſione termini partium; a terminis partium figuræ earum, a figuris formæ, ergo a motu formæ. Ex quo patet, omnem diſpoſitionem ad formam eſſe motum, patet quoque ſolutio vexata de origine formarum controverſiæ. Cui vir Cl. *Herm. Conringius* peculiari diſſertatione non aliter occurrit, quàm concedendo formas ex nihilo oriri, ſed meditationes iſtæ compendioſiorem viam monſtrant, ut illuc confugere neceſſe non ſit. Dicimus enim formas oriri ex potentia materiæ, non aliquid novum producendo, ſed tantum vetus tollendo,

&

& per diviſionem partium terminos cauſando, quemadmodum qui columnam facit, nihil aliud facit, quàm quod inutilia tollit, reſiduum cæteris ſublatis eo ipſo eam figuram nanciſcitur, quam vocamus columnam, ſcilicet omnes figuræ ſeu formæ in ipſa maſſa continentur, indigent tantùm determinatione, & actuali ab aliis adhærentibus ſeparatione. Hac explicatione admiſſa ludus & jocus ſunt quæcunque contra originem formarum ex potentia materiæ monentur.

IX. Reſtat nunc ut ad mutationes veniamus. Mutationes enumerantur vulgo & rectè: generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio & mutatio localis ſeu motus. Has omnes putant recentiores per motum localem ſolùm explicari poſſe. Et primùm de augmentatione & diminutione manifeſta res eſt; mutatio enim quantitatis in toto fit, dum pars locum mutat, & vel accedit vel decedit. Reſtat ut generationem & corruptionem & alterationem explicemus per motum, & prænoto eandem numero mutationem eſſe ſimul generationem & alterationem diverſorum, nam exempli cauſa verum eſt, putredinem conſiſtere in vermibus illis nudo viſu inſenſibilibus, erit infectio aliqua putrida alteratio hominis, generatio vermis. Similiter *Hookius* in micrographia oſtendit, rubiginem in ferro eſſe ſubtilem ſylvulam enatam; rubigineſcere igitur erit alteratio ferri, generatio parvorum fruticum. Cæterum tam generatio & corruptio, quàm alteratio explicari per ſubtilem partium motum poteſt, v. g. quum album ſit, quod lucem plurimam reflectit, nigrum, quod parvam, erunt ea alba, quorum ſuperficies multa parva ſpecula continet; hæc ratio eſt cur aqua ſpumeſcens ſit alba, quia innumeris bullulis conſtat, quot autem bullulæ, tot ſpecula: quum antè tota ferè aqua non niſi unum ſpeculum fuerit; quemadmodum ſpeculo vitreo fracto quot partes tot ſpecula fiunt: quæ etiam cauſa eſt, cur vitrum contuſum ſit albius integro. Similiter igitur aqua per bullulas in diſtincta velut ſpecula fracta albedo oritur, quæ ratio etiam eſt, cur nix ſit albior glacie, & glacies aqua. Falſum enim eſt nivem eſſe aquam condenſatam, quum ſit rarefacta potiùs unde & levior aqua eſt & plus ſpatii occupat. Qua ratione ſophiſma *Anaxagoræ* de nive nigra diluitur. Et hinc jam patet ſola figuræ & ſitus in ſuperficie mutatione colores oriri, idem de luce, calore & omnibus qualitatibus, ſi locus pateretur, facilè explicari poſſet. Jam verò, ſi qualitates per ſolum motum mutantur, eo ipſo & ſubſtantia mutabitur: mutatis enim omnibus, imò & quibuſdam, requiſitis, res ipſa tollitur: v. g. ſi vel lucem vel calorem ſuſtuleris, ignem ſuſtuleris; utrumque motu inhibito effecerit, quæ ratio eſt cur ignis clauſus pabulo aeris deficiente moriatur, ut taceam eſſentiam a qualitatibus ſuis non niſi relatione ad ſenſum differre. Uti enim eadem civitas aliam ſui faciem offert, ſi a Antri in media urbe deſpicias, (*in Grund gelegt*) quod perinde eſt, ac ſi eſſentiam ipſam intueare; aliter apparet, ſi extrinſecus accedas, quod perinde eſt ac ſi corporis qualitates percipias; & ut ipſe

civitatis externus aſpectus variat, prout a latere orientali vel occidentali, dis-accedis, ita ſimiliter pro varietate organorum variant qualitates. Ex his jam facilè patet, omnes mutationes per motum explicari poſſe. Nec obſtat, quod generatio fit in inſtanti, motus eſt ſucceſſivus, nam generatio non eſt motus, ſed finis motus, jam motus finis eſt in inſtanti, nam figura aliqua ultimo demum inſtanti motus producitur ſeu generatur, uti circulus extremo demum momento circumgyrationis producitur. Ex his etiam patet, cur forma ſubſtantialis conſiſtat in indiviſibili, nec recipiat majus aut minus. Nam & figura non recipit majus aut minus. Etſi enim circulus ſit circulo major, non tamen eſt circulus altero magis circulus, nam circuli eſſentia conſiſtit in æqualitate linearum a centro ad circumferentiam ductarum, jam æquitas conſiſtit in indiviſibili, nec recipit majus aut minus. Nec vero objici debet figuram aut magnitudinem eſſe accidentia, neque enim ſemper ſunt accidentia, nam etſi v. g. fluxus ſit accidens plumbi, fluit enim non niſi in igne; eſt tamen de eſſentia Hydrargyri; jam cauſa fluxus eſt haud dubiè partium curvilineitas libera ſive globis, ſive cylindris, ſive ovalibus, ſive aliis ſphæroeideis conſtet: curvilineitas igitur ſubtilium partium eſt accidens plumbi, Hydrargyro verò eſſentialis. Ratio quia omnia metalla oriuntur ex hydrargyro per ſalia fixo, ſalium autem natura conſiſtit in figuris rectilineis ad quietem aptis, hinc ſi ſalia in aqua ſoluta, ſponte recongelaſcere ſinamus, alia uti chymicis notum eſt, tetrædrica, alia hexædrica, octædrica &c. nulla rotunda aut curvilinea appareant. Hinc ſalia ſunt cauſa fixitatis; ſalia igitur illa acida in terræ viſceribus hydrargyro quaſi per minima mixta impediunt curvilineorum libertatem interſertione, & conſtituunt metallum. In igne verò metallum redit ad naturam Hydrargyri, ignis enim ſe interſerens ſubtilibus partibus, partes curvilineas hydrargyrinas a plani lateris ſalinis liberat, hinc in igne fluxus. Ita patet vix quicquam in phyſica Ariſtotelica eſſe, quod ex reformata non commodè explicetur & illuſtretur.

X. Et hæc quidem exempla mihi de meo inter ſcribendum ſuccurrerunt, innumera alia ab aliis per totam philoſophiam naturalem congeruntur. Huc ivit Clariſſimus *Raeus* in Cla i philoſophiæ naturalis, ut *Ariſtotelem* recentioribus conciliaret, qui tamen ad manus non fuit. Neque *Raeus* conciliatorum inter *Ariſtotelem* & recentiores primus ſoluſque eſt, ut quidam ei objiciunt. Princeps *Scaliger* mihi viam ſtraviſſe videtur; noſtris temporibus *Kenelmus Digbæus* & ejus aſſecla *Thomas Anglus*, ille in libro de animæ immortalitate, hic in inſtitutionibus peripateticis, idem ex profeſſo egere. Nec abludunt tum *Abdias Trew*, tum inprimis *Erhardus Weigelius*. Hactenus poſſe tantum conciliari oſtenſum eſt, ſupereſt ut monſtremus & debere. Scilicet *Ariſtoteles* in 8 phyſ. Auditus libris, quid aliud tractat quàm figuram, magnitudinem, motum, locum, tempus? ſi ergo corporis in genere natura his abſolvitur, corporis in ſpecie

natura

natura tali figura, tali magnitudine &c. abſolvetur. Et vero ait ipſe *lib. 3. text. 24. phyſ. Ariſt.* omnem naturalem ſcientiam eſſe circa magnitudinem (cui ſcilicet connexa figura) motum & tempus. Idem *Ariſtoteles* paſſim ait, Ens mobile phyſicæ ſubjectum eſſe, naturalem ſcientiam agere materia & motu: Ipſe quoque omnium quæ in ſublunaribus fiunt cauſam facit cœlum. Jam cœlum, ait, non agere in inferiora niſi per motum. Motus autem non producit niſi motum aut terminos motus, nempe magnitudinem & figuram, & ex his reſultantem ſitum, diſtantiam &c. Ex his igitur omnia explicari debent in naturalibus. Idem *Ariſtoteles* paſſim ait, (in lib. 1. de phyſ. aud. text. 69.) eam eſſe rationem æris ad ſtatuæ figuram, quæ materiæ ad formam. Cæterum figuram eſſe ſubſtantiam, aut potius ſpatium eſſe ſubſtantiam, figuram eſſe quiddam ſubſtantiale, probaveram, quia omnis ſcientia ſit de ſubſtantia, Geometria autem quin ſcientia ſit negari non poſſit. Fuere qui reſponderent citiùs locum afferri a ſe poſſe, quo *Ariſt.* Geometriam eſſe ſcientiam negaverit, quam ego producturus ſim, quo dixerit. Ego verò non dubito, eſſe aliqua loca *Ariſtotelis*, quæ huc trahi torquerive poſſint, ſed tamen ea infinitis aliis ejus confeſſionibus obrui puto. Quid enim omnibus Analyticorum libris Geometrarum exemplis frequentius, ut videatur demonſtrationes Geometricas velut menſuram cæterarum eſſe voluiſſe. Jam ineptè ignobilius nobilioris menſura conſtituitur. Et verò tam abjectè de Mathematicis ſcholaſtici primum ſenſerunt, omni conatu id agentes, ut ex perfectarum ſcientiarum numero Matheſin excluderent. Contra manifeſtum textum *Ariſtotelis* in libro I. poſteriorum, text. 31. figurarum maximè ſcientialis eſt prima, quia Mathematicæ ea faciunt demonſtrationem, ut Arithmetica, Geometria & Perſpectiva & omnes quæ ipſius propter quid demonſtrationem faciunt. Utuntur eo præcipuè argumento, quod non ſemper ex cauſis demonſtret. Sed ſi rem cogitemus curatiùs, apparebit demonſtrare eam ex cauſis. Demonſtrant enim figura ex motu, v. g. ex motu puncti oritur linea, ex motu lineæ ſuperficies, ex motu ſuperficiei corpus. Ex motu rectæ ſuper recta oritur rectilineum. Ex motu rectæ circa punctum immotum oritur circulus, &c. Conſtructiones figurarum ſunt motus; jam ex conſtructionibus affectiones de figuris demonſtrantur. Ergo ex motu, & per conſequens a priori, & ex cauſa. Geometria igitur vera ſcientia eſt. Ergo non invito *Ariſtotele* objectum ejus, nempe ſpatium, ſubſtantia erit. Neque verò adeo abſurdum eſt, Geometriam agere de forma ſubſtantiali corporum. Ecce enim locum *Ariſtotelis* 13. Met. text. 3. quo expreſſe dicit, Geometras abſtrahere a materia, fine & efficiente; quo ſuppoſito ſequitur, ut vel de forma ſubſtantiali vel accidentali agat. Sed non agit de accidentali, quia forma accidentalis in ſua definitione reali involvit ſubjectum in quo eſt, ſeu materiam, quum tamen *Ariſtoteles* dicat Geometriam a materia abſtrahere. Ergo Geometria agit de forma ſubſtantiali. Hinc mihi hæc ſcribenti ſub manibus naſcitur

pulchra quædam ſcientiarum harmonia, nempe re exactè perpenſa: Theologia ſeu Metaphyſica agit de rerum efficiente, nempe mente, Philoſophia moralis (ſeu practica vel civilis, nam, ut a te didici, una eademque ſcientia eſt) agit de rerum fine, nempe bono; Matheſis (puram intelligo, nam reliqua phyſicæ pars eſt) agit de rerum forma, nempe figura: Phyſica agit de rerum materia, & ex eis cum cæteris cauſis complexu reſultante unica affectione, nempe motu. Mens enim ut bonum, gratamque ſibi rerum figuram & ſtatum obtineat, materiæ motum præbet. Nam Materia per ſe motûs expers eſt. Motûs omnis principium, Mens, quod & *Ariſtoteli* rectè viſum.

XI. Nam, ut huc quoque veniam, nullibi *Ariſtoteles* formas quaſdam ſubſtantiales ejuſmodi ſibi imaginatus videtur, quæ per ſe ſint cauſa motûs in corporibus, quemadmodum Scholaſtici capiunt, definit quidem naturam, principium motus & quietis, & formam materiamque vocat naturam, formam autem magis quàm materiam, ſed hinc quod ſcholaſtici volunt non ſequitur, formam eſſe quoddam incorporale, brutum tamen in corporibus, quod ipſum ſua ſponte ſine externæ rei conſenſu motum corpori verbi gratia lapidi deorſum præbeat. Nam forma quidem eſt cauſa & principium motûs, ſed non primum. Neque enim corpus movetur, niſi ab extrinſeco moveatur, ut rectè *Ariſtoteles* non dicit tantùm, ſed & demonſtrat, verbi gratia, ſit globus in plano, is ſi ſemel quieſcat per ſe in æternum non movebitur, niſi accedente extrinſeco impulſore, verbi gratia, alio corpore. Eo jam allubente, alterum corpus principium motûs impreſſi eſt, figura verò, nempe globoſitas, eſt principium motûs ſuſcepti, nam ſi globoſitas afuiſſet, fortè pro re nata, corpus alteri corpori tam facilè non ceſſiſſet. Ex hoc patet conceptum formæ ſcholaſticum ex definitione naturæ Ariſtotelica non ſequi. Forma igitur eſt principium motûs in ſuo corpore & corpus ipſum eſt principium motûs in alio corpore fateor; ſed primum principium motûs eſt prima & realiter a materia abſtracta forma, (quæ ſimul eſt efficiens) nempe Mens. Hinc in ſolas mentes cadit libertas & ſpontaneum. Abſurdum ergo non eſt, unicam ex formis ſubſtantialibus mentem principium motus primum dici, cæteras a mente motum habere. Et hoc argumento adſcendit ad primum motorem. Huic objectioni dupliciter reſpondes; primum, hoc argumentum nihil poſſe apud *Epicurum*, qui ſuis atomis largiatur per ſe motum deorſum. Fateor apud eum nihil poſſe hoc argumentum, niſi ei prædemonſtretur, hoc ipſum abſurdum & impoſſibile eſſe, quod corpus habeat motum a ſeipſo. Quod & jam tum *Cicero*, ni fallor, in libris de naturâ Deorum facit, eleganter *Epicurum* irridens, quod quiddam ſine causâ & ratione in ſuis hypotheſibus hoc modo introducat. Nam in rerum naturâ nihil eſſe deorſum, ſed quoad nos, neque igitur cauſam, cur corpus aliquod in hanc potius, quàm illam plagam moveatur. *Epicuro* igitur negandi quicquid movetur ab alio extra

extra ſe moveri facilè occurremus & laborantem exiſtentiæ Dei certitudinem vindicabimus. Alterum objicies: *Ariſtotelem* videri non tam ex hoc axiomate, quod omnis motus principium ſit extrà corpus motum, quam ex alio: non dari proceſſum in infinitum, ratiocinatum eſſe, at verò quæſo, Vir Ampliſſime, te hujus controverſiæ judicem appello petoque, attentè cogites, an non utriuſque conjunctione opus ſit. Nam niſi admittatur quod movetur ab extraneo moveri, planè ad nullum proceſſum deveniemus, nedum ad infinitum; nam adverſarius ſtatim ab initio reſiſtet, & datum aliquod corpus ſibi ipſi ad motum producendum per formam ſuam ſubſtantialem ſufficere, nullo igitur motore nedum primo, opus eſſe, reſpondebit. Concidet ergo ſcala illa primo ſtatim gradu & velut fundamento ſubtracto. Deinde etiam *Epicurus* proceſſum in infinitum admittebat, ergo non tam quid *Epicurus* admittat, vel non admittat, quàm quid demonſtrari certo poſſit, videndum eſt. Ariſtotelicam philoſophiam reformatæ ipſius philoſophiæ inevitabilis eventus breviter attingenda eſt (b). Scilicet quod Theologis, idem & Philoſophis agendum eſt. Scripturam ſacram ſancti Patres optimis interpretationibus illuſtrarunt, mox Monachi obſcurarunt ſuperſtitionibus: Ortâ luce animorum Theologia reformata triplex eſt, alia hæretica, quæ ipſas ſcripturas rejicit, ut fanaticorum; alia ſchiſmatica, quæ priſcos patres eccleſiæ doctores cum ſcripturâ ſacrâ, & primitivâ eccleſia conciliat, ut Evangelicorum (c) ſimiliter *Ariſtotelem* Patres Græci illuſtrarunt, ſcholaſtici obſcurarunt nugis. Ortâ luce, philoſophia reformata triplex eſt: alia ſtolida qualis *Paraceſſi*, *Helmontii*, aliorumque, *Ariſtotelem* prorſus rejicientium; alia audax, quæ exigua veterum cura immò contemtu eorum palam habito, bonas etiam meditationes ſuas ſuſpectas reddunt, talis *Carteſii*; alia vera, quibus *Ariſtoteles*, vir magnus, & in pleriſque verus cognoſcitur.

XII. Nunc conciliata jam cum *Ariſtotele* philoſophia reformata, reſtat ipſius per ſe veritas oſtendatur, prorſus quemadmodum religio Chriſtiana, tum ex ratione & hiſtoriâ, tum ex ſcriptura ſacra probari poteſt. Probandum autem eſt, nulla dari Entia in mundo, præter Mentem, Spatium, Materiam, Motum. Mentem voco ens cogitans. Spatium eſt Ens primo extenſum, ſeu corpus mathematicum, quod ſcilicet nihil aliud continet quàm tres dimenſiones, eſtque locus ille univerſalis omnium rerum. Materia eſt ens ſecundo-extenſum, ſeu quod præter extenſionem vel corpus mathematicum habet & corpus phyſicum, id eſt, reſiſtentiam, craſſitiem, ſpatii-repletivitatem, impenetrabilitatem, quæ conſiſtit

(b) *Obſerv. Thomaſii.* Sic ſcriptum erat a librario, ſed hiat aliàs hæc periodus: nec lectionem ejus conſtituo.

(c) *Obſerv. Thomaſii.* Etiam hic aliquid deeſt; datur enim pro triplici theologiâ tantùm duplex. Scripſiſſe puto alia ſchiſmatica, alia vera, quæ priſcos Patres &c. Conſer ſequentem.

ſiſtit in eo, ut alio tali ente adveniente cedere, aut quieſcere alterutrum cogatur; à quâ igitur impenetrabilitatis natura fluit motus. Materia igitur eſt ens, quod eſt in ſpatio, ſeu ens ſpatio coextenſum. Motus eſt mutatio ſpatii. Figura autem magnitudo, ſitus, numerus &c. non ſunt entia à ſpatio, materia, & motu realiter diſtincta, ſed tantùm habitudines inter ſpatium, materiam, motum & earum partes à mente ſuperveniente factæ. Figuram autem definio terminum extenſi: Magnitudinem numerum partium in extenſo. Numerum definio unum, & unum, & unum &c. ſeu unitates. Situs ad figuram reducitur, eſt enim plurium configuratio. Tempus nihil aliud eſt quàm magnitudo motus. Quumque omnis magnitudo ſit numerus partium, quid mirum *Ariſtotelem* definiſſe Tempus numerum motus? Sed ita termini tantùm explicati ſunt, expoſitumque, quo ſenſu iis utamur, nihil probatum. Nunc oſtendendum eſt nullis aliis rebus ad explicanda mundi phænomena & cauſas eorum poſſibiles reddendas opus eſſe, imo nec alias res eſſe poſſe; quanquam ſi oſtendimus aliis rebus præter mentem, materiam, ſpatium & motum opus non eſſe, eo ipſo ſatis confectum erit Hypotheſes recentiorum, qui his ſolis rebus ad reddenda phænomena utuntur, eſſe meliores. Vitium enim Hypotheſeos eſt non neceſſaria aſſumere. Jam verò explicari omnes totius Mundi res ex his ſolis poſſe, ſatis lectio recentiorum philoſophorum docet, & ex his patet, quæ paulo ante poſui, quum poſſibilitatem conciliationis Ariſtotelicæ oſtenderem. Deinde quoque notandum eſt, eas Hypotheſes eſſe meliores quæ ſunt clariores. Jam verò mens humana nihil aliud imaginari poteſt, quàm mentem (quando ſcilicet cogitat ſeipſam) ſpatium, materiam, motum, & quæ ex his inter ſe comparatis reſultant, quidquid ſuperaddideris, verba ſunt tantùm, quæ nominari, & inter ſe variè combinari poſſunt, explicari & intelligi non poſſunt. Quis enim imaginari ſibi poteſt Ens quod neque extenſionis neque cogitationis ſit particeps? quid opus igitur animas brutorum, plantarumque incorporeas formas elementorum metallorumque ſubſtantiales, extenſionis expertes ponere? Rectiùs igitur *Campanella* in libro de ſenſu rerum & magia, & *Marcus Marci* in ideis operatricibus, falſo quidem, congruenter tamen ſuis hypotheſibus formis iſtis ſubſtantialibus rerum inanimatarum, extenſione carentibus, ſenſum, ſcientiam, imaginationem, voluntatem tribuere. Nec abludit *Agrippæ* occulta philoſophia, Angelum cuilibet rei aſcribentis quaſi obſtetricatorem, nec quæ *Scaliger de plaſticis* ejuſque ſapientiâ diſſeruit. Ita reditur ad tot deunculos, quot formas ſubſtantiales, & Gentilem propè polytheiſmum. Et certè omnes, qui de ſubſtantiis illis incorporalibus corporum loquuntur, non poſſunt mentem ſuam explicare niſi translatione a Mentibus ſumta. Hinc enim attributus, illis appetitus vel inſtinctus ille naturalis ex quo & ſequitur cognitio naturalis, hinc illud axioma: Natura nihil facit fruſtrà, omnis res fugit ſui deſtructionem: ſimilia ſimilibus gaudent;

gaudent; materia appetit formam nobiliorem, & alia id genus. Quum tamen revera in natura nulla ſit ſapientia, nullus appetitus, ordo verò pulcher ex eo oriatur, quia eſt horologium Dei. Ex his patet, hypotheſes philoſophiæ reformatæ hypotheſibus ſcholaſticis eo prævalere, quòd non ſuperfluæ, contrà tamen claræ ſunt.

XIII. Reſtat, ut ſubtiliore ratiocinio probetur, ne poſſe quidem alia Entia aſſumi in explicanda corporum natura, quàm quæ dixi: Id ſic fiet: Corpus omnes id vocant, quod aliqua ſenſibili qualitate præditum eſt, porrò ex ſenſibilibus qualitatibus pleræque corpori adimi poſſunt, ita ut tamen maneat corpus. Nam etſi aliquod corpus omni colore, odore, ſapore careat, tamen dicitur eſſe Corpus. Concedunt enim aërem v. g. eſſe corpus, etſi ſit perſpicuus, & careat ſæpe colore, odore, ſapore; ſimiliter aër eſt corpus, etiam quando caret ſono. Rejiciantur igitur qualitates viſibiles, audibiles, guſtabiles, odorabiles, tanquam minimè conſtitutivæ naturæ corporis. Ad tactiles ergo res omnis rediit. Et quidem primæ illæ: calor, humiditas, ſiccitas, frigus, ſingulae abeſſe poſſunt, calor poteſt abeſſe ab aqua, humiditas a terra, ſiccitas ab aëre, frigus ab igne, & tamen quodlibet horum poteſt eſſe corpus. Cæteræ qualitates tactiles v. g. glabrities, levitas, tenacitas &c. non eſſe naturæ corporis conſtitutivæ etiam vulgo agnoſcuntur, eo ipſo quia ſecundæ appellantur, & ita ortæ ex aliis quæ potius ſunt conſtitutivæ, & præterea, quia nulla earum eſt, quæ non abeſſe poſſit à corpore. Reſtat igitur indaganda aliqua qualitas ſenſibilis, quæ omnibus & ſolis corporibus competat, & ex qua velut ſigno homines corpus à non corpore dignoſcant. Ea nimirum eſt Craſſities ſeu ἀντιτυπία cum extenſione ſumta. Quidquid nimirum homines ſentiunt extenſum eſſe, ſeu vident tantùm (quamquam revera ſemper ſit corpus & habeat ἀντιτυπίαν, licet nobis inſenſibilem, perceptibilem tamen intellectu:) id non ſtatim vocant corpus, putant enim nonnunquam eſſe meram ſpeciem & φάντασμα. Quicquid verò non vident tantùm, ſed & tangunt, id eſt, in quo ἀντιτυπίαν reperiunt, id vocant corpus, quidquid verò ἀντιτυπία caret, id negant eſſe corpus. In duobus igitur homines tam ſapientes quàm Idiotæ naturam corporis collocant in extenſione & ἀντιτυπίᾳ ſimul ſumtis, illam ſumimus à viſu, hanc a tactu, unde ex conjunctione utriuſque ſenſus certificari de rebus ſolent, quod non ſint phantaſmata. Extenſum autem eſſe nihil aliud eſt, quàm eſſe in ſpatio; ἀντιτυπία eſt, non poſſe cum alio eſſe in eodem ſpatio, ſed alterutrum moveri aut quieſcere debere. Ex his patet, naturam Corporis conſtitui per Extenſionem & Antitypiam, quumque nihil ſit in rebus ſine cauſa, nihil etiam poni debet in corporibus, cujus cauſa reddi non poſſit ex primis eorum conſtitutivis. Jam cauſa ex iis reddi non poteſt, niſi per eorum definitiones. Nihil igitur ponendum eſt in corporibus, quod ex definitione Extenſionis & Antitypiæ

fluat. Fluunt autem tantùm ex ea, magnitudo, figura, ſitus, numerus, mobilitas &c. (Motus ipſe ex iis non fluit, unde nec corpora motum habent niſi ab incorporeis.) Ex his jam patet, omnium qualitatum & mutationum explicationem ex magnitudine, figura, motu &c. ſumendam. Et calorem, colorem, &c. non niſi ſubtiles motus & figuras eſſe. Quod ſupereſt illud confirmare auſim: Atheis, Socinianis, Scepticis, Naturaliſtis, nunquam niſi conſtituta hac philoſophia ſolidè occurſum iri: quam ego profecto munus Dei credo ſenectæ mundi datum velut unicam tabulam, qua ſe viri pii ac prudentes in incumbentis nunc Atheiſmi naufragio ſervaturi ſunt. Ego quantulacunque mihi fuit ab exiguo tempore virorum doctorum notitia, horreſco tamen quoties cogito, in quot ſimul & ingenioſos, & prorſus atheos inciderim. Et volitat per manus hominum *Bodini* liber ineditus, (atque utinam, ut cum *Naudæo* opto, nunquam edendus,) grandis certè, quem ille vocat, arcana ſublimium, in quo profeſſus hoſtis eſt religionis Chriſtianæ. *Vanini* dialogi ludus ſunt ſi comparentur. Legi non perfunctoriè, & Deo ex animo gratias ago, quod iis me præſidiis philoſophiæ, (in qua ingratus ſim, ſi tibi multa debere negem) inſtruxerit, quibus ejus tela nullo negotio repuli. Laudandus eſt Cl. *Spizelii* labor, quem ille eradicando atheiſmo nunc rurſus impendit. Epiſtolam ejus de hoc argumento his nundinis emiſſam videris opinor. Accipe, quid mihi cum eo contigerit. Conſcripſeram aliquando per otium, tumultuaria tamen opera in diverſorio duas circiter plagulas, quibus de demonſtranda, ſolito accuratius immortalitate animæ, & exiſtentiâ Dei agebam. Has communicaveram amico. Per hunc venêre in manus pl. Reverendi *Speneri*, Paſtoris Francofurtenſium auctore tamen meritò diſſimulato. *Spenerus*, *Spizelio* tranſmittit; *Spizelius* ſuæ illi epiſtolæ ad *Ant. Reiſerum*, de eradicando atheiſmo nuperæ fini adjecit, ſub titulo: *Confeſſio naturæ contra Atheiſtas*. Sed ego non improbo, verùm doleo, quòd mendoſiſſimè illud ſchedion impreſſum eſt. Inprimis ſorites ille quo demonſtrare conatus ſum immortalitatem animæ, mutatis linearum initialibus, mirè perturbatus eſt. *Spizelius* fatetur, ſe auctorem ignorare. De ipſa demonſtrandi ratione judicium expecto. Neque verò laudem, ſed examen peto, quando religionis intereſt, non perfunctoriè defendi, quanquam interim in utraque longè altiùs penetraſſe mihi videor. Neque enim quæ de perpetuâ creatione in motu, & intimâ entis cogitantis ſeu mentis naturâ ab eo tempore erui, illis leguntur. Scripſeram aliquando tibi de Societate, quam quidam Germani moliantur. Ita eſſe docebit ſcheda germanica aliquot plagularum, titulo Collegii Philadelphici a *Goezio* bibliopola edita, ſed mihi ſuave ſomnium videtur, velut ſocietas roſeæ crucis. *Schurzfleiſchius* ille, qui apud vos eſt, mirum, quantam in Parnaſſo ſeditionem excitaverit. Pervellem ſcire, quid magni viri apud vos de hoc ſpecimine ſentiant, a quibus ille provehi ſperat. *Boeclerus* illi ab aulâ minitatur. Itinerarii politici, quod nunc pro-

prodit, auctor eſt haud dubiè *Burgoldenſis* ille commentator in inſtrumentum pacis. Obſtupeſco audaciam viri.

XIV. Quod ſupereſt, Vir clariſſime, ideo de toto hoc negotio fuſius ad Te diſſerui, quod judicem harum rerum & ſcientiorem & æquiorem nullum haberem. Quando & omnes veterum receſſus luſtraſti, & recentiorum inventa, quando merentur, non aſpernaris; atque illos illuſtrare, hos examinare, unus omnium optimè potes. Rectè enim judicas, etſi novæ ſententiæ proferantur, earumque veritas evidentiſſimè oſtendatur, à receptis tamen publicè vocibus vix unquam eſſe abeundum, quod ſi feciſſent Scholaſtici, non laboraremus. Vale, patriæ decus, & tua præclarè cogitata non abſolve, (pleraque enim & cœpta ſimul & perfecta ſunt rara ingenii felicitate) ſed ede: *Dabam d.* $\frac{20}{10}$. *April.* 1669.

EPISTOLA II.

LEIBNITIUS THOMASIO.

I. UNica, quam tibi tranſmitto, diſputatio ſuâ novitate id meruiſſe viſa eſt. (d) Reſpondens filius eſt D. *Wilhelmi Schroeteri*, Cancellarii Gothani, qui celeberrimo illi *Franskio* ſucceſſit. Is Ienæ prius ſtudioſus, mox peregrinandi amore in Bataviam, inde Angliam delatus eſt, inde, ſi ipſi credimus, in parlamentum irrepſit. Nuper, cùm patriam ſuam reviſeret, noluit inglorius tacituſque abire, ſed monimentum ſui hanc diſputationem relinquere conſtituit. Sed eo eventu, ut multo fuerit conſultius, ſiluiſſe. Nam & in conflictu vox, & in converſatione morum elegantia defuit, ſic, ut pro gloria, quam ſibi promiſerat, cumulatam ex hac urbe infamiam aſportaret. Quin & princeps Gothanus, re comperta, ac cognito, quàm in hac diſputatione periculoſa ſpargerentur, primus urſit, effecitque, ut publicè confiſcaretur. Ipſam ſanè diſputationem judicio peritiorum accepi ingenioſam eſſe: ſed ſic, ut tanto minus hic auctor videatur. Immo non defuere, qui dudum cuſam, & inde uſque ab Anglia allatam ſuſpicarentur, quod diſputatione Miniſtriſſimo, theſi una, *Don Louis de Haro*, tamquam adhuc florentis viventiſque mentio fieret, qui tamen & obiit dudum, & familia, poſtquam filii inſidiæ in Regem detectæ ſunt, jacet proculcata. Sanè corollaria novam quandam ſapiunt philoſophiam, qualibus plena Anglia eſt, & ipſe, ni fallor, *Kenelmus Digbæus*, cui ille hanc diſputationem

(d) Titulus ejus: Q. D. B. V. Diſſertatio academica, cujus prima pars de Ratione ſtatus: altera de Nobilitate: tertia de Miniſtriſſimo: quam pro more conſueto, præſide D. *Severo Chriſtophoro Olpio*, Prof. publ. & h. t. academiæ Rectore magnifico, publicæ eruditorum diſquiſitioni exponet Auctor *William. Schroter* illuſtr. regiæ Societatis Britann. acceſſor. d. 15. Jul. Jenæ literis Sengenwaldianis, anno 1663, in fol.

tationem dicavit, (e) ingenti opere de immortalitate animæ ſimile quid delineavit. Reliqua diſputatio Machiavelliſimum ſpirat, & videbatur in hoc uno eam reſpondens intellexiſſe. Nam quoties jus naturæ divinæque leges objiciebantur, eas ad privatorum pacta limitandas contendebat, totum jus gentium, bellique ac pacis immani hac audacia ſubverſurus.

II. Demum vivus undique aut *Hobbes* aut Hobbeſianus elucet. Cùm enim utilitatem æqui matrem habeat, igitur prout illi velificabitur jus omne, ſtabit cadetque: cum cuilibet principum abſolutum det imperium, ſola ſuſpicio principi ad ſupplicia jus dabit: demum quia à civili lege omnis juſtitia propullulat, neceſſario obligatio omnis ac fœderum ſervandorum neceſſitas ruet inter civitates. Hæc in *Hobbeſio* ſæpe reprehendentem V. E. audivi. Quare cepit me quædam de *Hobbeſio* à V. E. quod ejus pace fiat, ſciſcitandi cupiditas, quis ille, an adhuc ſuperſtes, an Antagoniſtam nactus, an habuerit, qui in jure naturæ illuſtrando paria fecerint ſubtilitate, meliora aut æqualia, ſi ſubtilitatem ſpectes.

III. Unus mihi Dominus *Pufendorfius* notus eſt, qui tamen ſua elementa juriſprudentia ex *Weigelii* noſtri Ethica Euclidea manuſcripta dicitur ferè tota efformaſſe. *Ienæ* 2. *Septemb.* 1663.

EPISTOLA III.

G. G. LEIBNITII *Conjectura, cur Anaxagoras nivem nigram dicere potuiſſe videatur; J. Thomaſio miſſa d.* 16. *Febr.* 1666.

HYpotheſis 1. Omnis color eſt impreſſio in ſenſorium, non qualitas quædam in rebus, ſed extrinſeca denominatio, ſeu ut *Th. Hobbes* appellat, phantaſma.

2. Ergo nobis non ſentientibus nullus eſt color.

3. Nigredo eſt non tam color, quàm coloris privatio, ſeu nigrum videre nos dicimus, cùm nihil videmus.

4. Omnia opaca in ſe ſunt nigra, per hypoth. 2, juncta 3.

Ergo etiam nix. *Anaxagoras* autem, quo mirabilius eſſet παράδοξον ſuum, de eo potiſſimum ſubſumſit, quod pro albiſſimo habetur.

5. Color eſt nihil aliud, quàm impreſſio in oculum, quæ fit ab atomis lucidis, à lucido corpore in opacum impingentibus, & inde ad oculum reflexis.

6. Tria

(e) Dedicavit 1) *Friderico*, Saxoniæ Duci, 2) *Dighæo*. *Dighæo* hunc titulum tribuit: Illuſtriſſimo heroi, Britanniæ comiti ac domino, *Dn. Kenelmo Digby*, equiti Britanno, exlegato, & ſummo rei navalis expræfecto, ac ſacræ regiæ majeſtatis reginæ matris in Anglia cancellario magnifico, & illuſtriſſimæ regiæ ſocietatis ibidem aſſeſſori excellentiſſimo, domino, Mæcenati atque amico meo ſincero & piè colendo.

6. Tria ſunt principia optica: ignis, cujus atomi pyramidales; aqua, quæ dilatata fit aër, cujus ſphæricæ; terra, cujus cubicæ.

7. Ignis eſt principium lucis, aqua nigredinis, terra coloris. Atomi enim pyramidales, ſunt ſubtiliſſimæ, habent vim fodiendi, cet. quæ ſunt ignis propria. Ignis autem & lux materialiter ſunt idem. Atomi cubicæ ſibi ita jungi poſſunt, ne quid intercedat vacui. Sunt igitur cauſſa, cur reflectantur atomi igneæ, id eſt, per hypoth. 5, coloris. At inter ſphæricas plurimum eſt vacui, ſunt igitur cauſſa non reflexionis, (ubi enim nihil obſtat, penetrant potiùs, quàm reflectuntur,) ſeu non coloris, id eſt per hyp. 3, nigredinis.

8. Quicquid rarum tale eſt, id condenſatum magis eſt tale.
Quia vis unita fortior.

9. Nix eſt aqua condenſata.

10. Nix igitur quàm maximè nigra etiam apparere debet, per hyp. 7, juncta 9, & 8. Q. E. D.

Tale igitur eſt argumentum hoc, quale *Zenonis* contra motum; vel ut ſophiſtam glorioſum convinceret *Anaxagoras*, vel ut ingenium ſuum quidvis probando & defendendo oſtentaret; vel ut ſcepticis patrocinaretur, divortium ſenſus & rationis oſtendendo, ut alterutrum falli neceſſe ſit. Nigram autem etiam ſibi apparere ſi dixit, joci gratia dixiſſe videtur, quia ſciret, neminem redarguere hoc παράδοξον poſſe.

EPISTOLA IV.

LEIBNITIUS THOMASIO.

I. N*Iſchium* noſtrum profeſſorem Matheſeos Gieſſenſem factum video. Suſcepit ille in ſe, præſtatque utiliſſimam Germaniæ noſtræ diurnalis Gallici verſionem. Audio Germanos aliquot, neſcio quam, ſimilem ſocietatem moliri: qui niſi iisdem dotibus ab ingenio aut fortuna inſtructi ſunt, optandum eſt, eos quieſcere potiùs, quàm rhapſodiis quibuſdam patriæ dedecori, exteris irriſui eſſe.

II. Sed nec Gallorum reptiles conatus Anglicanæ ſublimitati conferri merentur. Copia mihi facta eſt literarum ſecretarii ſocietatis Anglicanæ regiæ ad popularem quendam in Germania ſuum, quibus noviſſimæ meditationes continentur; promittunturque ea velut publico nomine, quæ ſi vera ſunt, ſeculo gratulandum eſt. Polygraphia *Wilkenii* univerſalis: Quadratura circuli *Jac. Gregorii*, Scoti, perfecta: *Brounkeri* quadratura hyperbolæ perfecta, & reperta nonnulla anatomica *Lowri*, *Williſii*, &c. quæ omitto. Si ita pergitur, habebimus propediem philoſophiam ad uſum generis humani reformatam.

III. Neque ea res *Ariſtotelis* placitis oberit quicquam. Satis oſtendit *Raei* in clave philoſophiæ naturalis, tenebras *Ariſtotelis* à ſcholaſtico fumo

eſſe, *Ariſtotelem* ipſum *Galilæo*, *Bacono*, *Gaſſendo*, *Hobbeſio*, *Carteſio*, *Digbæo* mirè conformari. Quid enim aliud *Ariſtoteli* materia prima eſt, quàm iners moles ſine motu, & per conſequens, ſi omnia plena ſunt, ſine figura? Motus materiæ ab intelligentia eſt, id eſt, Deo; figura à complexione motuum orta, ipſam partium diſpoſitionem complectitur, quam nihil prohibet, intimam primamque corporis formam appellare. Hæc forma educitur è potentia materiæ. Phraſis enim hæc, dura vulgo viſa, poſitis his principiis facilè explicatur. Formam enim educi ex potentia materiæ, nihil aliud eſt, quàm ex hoc materiæ motu, ex hoc partium ſitu, hanc totius figuram oriri: v. g. ex unione duorum triangulorum, a △ & ▽ b, & ex potentia materiæ eorum ad contactum mutuum per motum, educitur forma quadrati □ c. Hinc & patet, formam eſſe diviſibilem, & totum in toto, produci in momento eſſe fontem affectionum, ſeu qualitatum ſenſibilium: quæ qualitates ſenſibiles ita ſe habent ad formam ipſius rei, uti ſe habet ad ipſum urbis ſitum varietas apparentiarum, quæ mutato intuentis ſitu multipliciter variantur. Viſus enim ad rem videtur ſe habere, ut is, qui ex ſumma turri urbem deſpicit: auditus eſt ſimilis in eodem plano extrinſecus intuenti. Tactus eum refert, qui plateas urbis perreptando cominus tentat. Ita explicatur *Soneri* quoque non inepta ſententia, qui accidentia à re, ſolo ad ſentientem reſpectu diſcriminabat, quod demtis primis illis, magnitudine, figura & motu, veriſſimum. His ita poſitis, poſſunt ſimul & omnes veterum termini, & recentiorum contemplationes tolerari. Neque enim abſurdum eſt, intimam partium figuram dici formam ſubſtantialem: nihil enim in rebus corporeis figura prius, ſimplicius, & à materia abſtractius cogitando conſequi licet. Ipſe *Ariſtoteles* τὰ μαθηματικὰ, i. e. ſpatium, ſeu determinationem ejus, figuram, ſubſtantiam eſſe admiſit, idque vel eo argumento, quod circa hæc objecta verſatur Geometria, poſt Metaphyſicam perfectiſſima ſcientiarum. Objectum autem ſcientiæ, ipſius *Ariſtotelis* decretis, ſubſtantia eſt. Si igitur figura ſubſtantiale quiddam eſt, ſi ad corpus pertinens, ſi denique à materia reapſe diſtincta, quid aliud, quàm forma ſubſtantialis erit? Immo ſpatium ipſo pene corpore eſt ſubſtantialius. Nam ſublato corpore manet ſpatium & dimenſio ejus, quod nullo alio corpore ſuccedente vacuum dicitur, non contra ſublato ſpatio manet corpus. Præterea ex hac corporis ac formæ ſubſtantialis notione non ſolùm ſpes eſt, poſſe paullatim in eſſentiam corporum penetrari, de quo ſcholaſtici deſperare nos jubent, ſed & evidenter ac mathematicè demonſtrari poteſt, neceſſitas motoris incorporei. Quum enim corpus nihil aliud ſit, quàm materia & figura, & verò nec ex materia nec figura intelligi poſſit cauſſa motûs: neceſſe eſt, cauſſam motûs eſſe extra corpus. Quumque extra corpus nihil ſit cogitabile, præter ens cogitans, ſeu mentem, erit mens cauſſa motûs. Mens autem univerſi rectrix eſt Deus. Sin verò admittimus in corporibus,

Digitized by Google

bus, neſcio quas, formas ſubſtantiales incorporeas, ac quaſi ſpirituales, quarum ope corpus ipſum ſe movere poſſit, quarum ope lapis tendat deorſum, ignis ſurſum, plantæ creſcant, animalia currant ſponte ſua, nullo extra ſe incorporeo impulſore: præcludemus ipſi nobis demonſtrandi Dei viam aptiſſimam, ac ruet præclarum illud theorema *Ariſtotelis*: quicquid movetur, habet cauſſam motus extra ſe, cujus ſcalis ipſe quoque ad primum motorem enixus eſt. Sed quo feror? quid hæc ad te, clariſſime vir, qui ſemper ea rectitudine judicii uſus es, ut nec res a recentioribus inventas repudiares, nec tamen terminos veterum innoxios, &, ſi rectè explicentur, aptiſſimos in exilium pelli æquo animo ferres? Impulit me, provexitque longiùs, nec ſentientem, Anglicæ ſocietatis mentio. Ego verò tuam de his omnibus ſententiam diſcere malim. *Francof. 6. Cal. Octobr.* 1668.

EPISTOLA V.

LEIBNITIUS THOMASIO.

ET ne neſcius ſis, alia nunc rurſus, quàm paullo ante fuit, rerum ejus, (Illuſtriſſimi *Boineburgi*) facies. Nam cùm triennio abhinc incidiſſet in Moguntinam calamitatem, toto illo tempore, quo Francofurti & Coloniæ privatus vixit, rurſus expetitus eſt, & ſecuta tandem ſolida non ita pridem reconciliatio, quando Eminentiſſimi Electoris Moguntini ex fratre nepos, ejus filiam duxit: ita, ut voluntati illius juvandi remp. literariam perpetuæ, facultas quoque conſolidata ſit. *Mogunt.* $\frac{13}{23}$. *Nov.* 1668.

EPISTOLA VI.

THOMASIUS LEIBNITIO.

I. IGnoſces mihi, Vir ampliſſime, fautor atque amice honoratiſſime, ſi breviùs ad tuas reſcribo fortaſſe, quàm velles. Noſti nundinarum occupationes. Hæ patere me tibi excuſent. De *Scioppio* planè effeciſti, ut neſciam, magis ne tuam mirer humanitatem, an herois *Boineburgi* ſummam in hominem ignotum προθυμίαν. Ego verò ne abuti hac videar, non ad Francofurtenſes vernas uſque, ſed Januarias noſtras nundinas uſum ejus libri mihi circumſcripſi. Tu modò cura, ut eo tempore certum habeam hominem, cui credam. Quod ſi interea vel tuo, vel ſi audere hanc ſpem fas eſt, ipſius beneficio, ære tamen meo, diu delideratum librum nanciſci potero, nova videlicet gratias agendi naſcetur materies. Mitto huic Illuſtriſſimo Baroni diſputationes & programmata, quæ ſuperfuerunt. Excuſabis illi, quòd ex iis, quas de cardinalibus virtutibus ſcripſi, ſola ſecunda venit. Nam primæ exempla

diu

diu eſt, quod ipſe deſidero. Ceterum ut me porrò communi literatorum Patrono commendare pergas, non es monendus. Illud potius ut veniam exores utrique noſtrum, ſi intelliget, exſpectatione ſe per te facta haud leviter fruſtratum, non de multitudine paginarum, ſed bonitate. De Germanorum noſtrorum ſocietate literaria quæ narras, inaudita mihi narras. Ubi quæſo feruntur eſſe, qui Gallos in iſto negotio æmulari ſtudeant?

II. Quod *Ariſtotelem*, *Raei* auctoritate inductus, arbitraris, a *Carteſio*, ceteriſque philoſophis novis non adeo diſſidere, ignoſce mihi, nondum perſuades. Agnoico dogmata ejus quædam, loquendique modos ejuſmodi eſſe, ut conciliare volentibus faciant aliquam ſpem concordiæ, ſed vereor, ut illa pax queat ipſo ſatis volente ſanciri, ſi quidem mentem philoſophi paullo penitius rimemur. Subſtantiales utique formas, aut ſaltem ab accidentalibus illis, figura, magnitudine, partium diſpoſitione diſtinctas, agnoviſſe *Ariſtotelem* credo. Quod ſi verum eſt, jam a novis philoſophis in eo principio diſſidet, in cujus conſenſu tu mihi concordiam ſtruere videris velle. Ubi autem Geometriam ſcientiis perfectis, ubi figuram, Geometriæ objectum, ſubſtantiis annumeret, fateor me ignorare. Hoc ſcio, ex artibus mathematicis ſoli aſtronomiæ hoc nomine ipſum condonare laudem ſcientiæ perfectæ, quod pro objecto ſubſtantiam habeat. Spero me locum illum adſcribere citius poſſe, quàm te ſimilem de geometria. Aveo tamen, ſi quis eſt talis, eum per te cognoſcere. Jam & illa me movet ratio, quod *Carteſius*, & quicunque atomorum doctrinam adhibent, propius mihi ad *Epicuri* placita, quod ad hoc quidem punctum attinet, quàm *Ariſtotelis*, philoſophari videntur. Sic enim habeo: Cùm gentiles illi crederent, omnem materiam hujus univerſi a ſemet extitiſſe ab æterno, in eo tamen ſectas fecerunt, quod alii materiam illam in eo primo, ut ſic loquar, ſui ſtatu diſcontinuam facerent, ut *Epicurus*, atque hæ ſunt ejus atomi; alii continuam. Poſteriores hi viciſſim ſcindebantur: Nam aut ἄποιον faciebant, ut *Ariſtoteles*: aut ποιὸν, eamque vel ſimilarem, ut qui certum elementum vivum reliquorum velut omnium matrem nominarent, vel diſſimilarem, ut qui elementa duo vel plura ſibi coëxiſtentia ab æterno fingerent. Fateor propius hic *Epicuro* accedere *Ariſtotelem*, quàm Elementarios illos, nempe quia & atomi ſunt ἄποιοι, ſed ab eo diſſidet nihilo minus, non eo tantùm, quem poſui, modo, ſed & quod materiæ opificem adducet Deum, quem maluit *Epicurus* planè otioſum eſſe: inſuper in eo, quod nullum ab æterno tempus eſſe credidit, in quo materia non exſtiterit ſub certa figura, nam illud ejus ἄποιον mente tantùm atque cogitatione complecti jubet. Noſti ipſam mundi διακόσμησιν ipſi eſſe ab æterno. Porrò tametſi & ipſe nos a ſenſu deducit ad intellectum, tamen intellectui quoque relinquit ſuas partes, quas *Epicurum* neſcio annon dicam, planè ſuſtuliſſe, ita ſenſus illi utramque facit paginam. Itaque aliquo modo propior *Platoni Ariſtoteles*,

teles, certè inter hunc & *Epicurum* medius. Ideas rerum, h. e. formas earum ſubſtantiales agnoſcebat *Plato*: eaſdem & *Ariſtoteles*: ſed ille volebat eas eſſe in Deo vel primo, vel ſecundo, *Ariſtoteles* ipſi immerſas materiæ credidit, unde nata ipſi phraſis, e potentia materiæ educi formas. Hoc & *Epicuro* placeat, ſed formarum nomine vix aliquid re ſenſibili nobilius exaudiat, quod *Ariſtoteles* non faceret. Quod autem cauſſaris, admiſtis ſubſtantialibus formis illis, quæ cauſſæ ſint motûs, perire nobis pulcherrimam ſcalam, qua *Ariſtoteles* ad primum aſcendit motorem, me non movet. Nam ut omittam, *Epicuro* ſic nihil perſuaderi, qui atomis ſuis motum abſque Deo dedit, ſcalæ illius fulcrum præcipuum eſt, non quod tu cogitas, ſed illud, non dari proceſſum in infinitum, quod firmum eſt, etiamſi motum corporum a ſubſtantialibus eorum formis accerſimus; quod non dubito feciſſe *Ariſtotelem*, cùm naturam (naturatam) definivit principium motus & quietis. Quid? omitto *Ariſtotelem*, eone tandem impelli nos patiemur, ut ipſam quoque hominis formam, de informante loquor, ſubſtantiam a figura diſtinctam eſſe negemus? Quod neſcio, an ullus novorum philoſophorum ſtatuerit. Sanè *Silveſtrum Rattraium* recordor, hanc unam formam, cùm accidentales poneret ceteras, excepiſſe. Longiùs me abduxit illa tecum fabulandi, ſuper tali cum primis negotio, voluptas mea. Sed hoc ſcias velim, effudiſſe me, quicquid ex tempore veniret, ſub acumen ſtili. Itaque uti poteſtatem tibi facio, quam & alias facerem, mea rejiciendi, ita mihi quoque liberum volo eſſe, ubi tempus feret, accuratius hæc omnia expendere. Sanè verò *Raeum* ipſum, qui has tibi, ut auguror, meditationes ſuggeſſit, non niſi per tranſennam his ipſis nundinis inſpicere licuit, cùm de eo quærerem bibliopolas. Tu ergo pro æquitate tua nugis ignoſces meis, neque tamen hæc eo interpretaberis, quaſi novos illos philoſophos planè aſperner. Non id nunc agitur, ſed hiſtoria tantum quærebatur, num *Ariſtoteles* ad illam philoſophandi rationem collineaverit, quod nondum quidem puto.

III. Superioribus menſibus occaſio erat mihi, & *Carteſii* & *Claubergii* evolvendi. Narro tibi, *Claubergius* magis ipſo placebat *Carteſio*, tum quòd calamum a maledicentia abductum haberet, tum quòd & μεθοδικώτερον & σαφέςερον, & brevius quoque magiſtro illo ſuo ſcribere didiciſſet. Sed hac dē re velim & tuam ſententiam, quem puto *Carteſianis* Philoſophis magis conſueviſſe, cognoſcere. Plura non ſinunt turbæ. Vale, *die* 2. *Octob.* 1668.

IV. Mitto tibi de materia prima diſputatiunculam meam, cujus ut habeas clavem addidi calamo exaratas a me pagellas quaſdam, in id ſcriptas potiſſimum, ut collegis meis petentibus inſervirent. Sed has velim occaſione proxima remitti. *Bageminus* ille, cujus negotium geritur, Scabinus eſt Stetinenſis, & a noſtra tum theologica, tum philoſophica facultate petiit philoſophiæ ſuæ novæ cenſuram. Theologi reſponderunt.

A nobis nihil aliud repoſitum illi eſt, quàm diſputatio mea, quæ ſi in manus hominis pervenit, facilè judicabit, quo in hanc novitatem animo ſimus.

EPISTOLA VII.

JAC. THOMASII RESPONSORIA AD EPISTOLAM LEIBNITII,

Datam d. $\frac{19}{10}$ *April.* 1669. *quæ* NIZOLIO *eſt præmiſſa.*

I. IGnoſce quæſo, ſi literis prolixis nihil minus, quàm prolixas reddidero; non quòd gratiam illis prolixitas abſtulerit, (adauxit potiùs,) ſed quòd otium exiguum, ac nundinarum ſtrepitus non ſinit de prolixitate cogitare, quam ipſe quoque mihi ultrò remittis. Commodum autem ſic cecidit, ut ad diſputationem illam tuam honeſtè ludere poſſim, cui quemadmodum ſatisfacerem, non reperirem. Quanquam enim, quæ diſſeris, legenti mihi non planè excuſſerunt opinionem priſtinam, labefactare tamen ſunt viſa, & parare me non mediocriter, vel ad abjiciendam ſententiam, vel fortè ad conciliandam cum tua aliquo modo. Sed verum ut fatear, neſcio, ſi rationes computo meas, ſitne conſultum mihi, hoc in campo tecum congredi, in quo non ſum ita ego verſatus, ut paria tecum audeam facere, præſertim cùm res ipſa non mediocrem requirat artium mathematicarum peritiam, in quibus deſipiam, ſi tecum congrediar. Adde, quo longè tu me es felicior, cujus vernantiſſima ætas in ea incidit tempora, in quibus propè debellatum foret: mea contra juventus omnis conſumta eſt in illis ævi barbari reliquiis, e quibus utcunque paullatim emerſiſſe ſatis habui ad qualemcunque eruditionis profectum. Quare ſe es æquo animo, ſi tecum ita jam paciſcar, ut ſi maximè nihil umquam eruditiſſimæ diſquiſitioni reſpondero, feram impune ſanè, cùm in prœlium me voces planè inſuetum mihi, liceat, quod cautorum eſt militum, intra vallum me continere. Si tamen erit otium cogitandi, reſcribam aliquid fortaſſe aliquando.

II. De illuſtriſſimo *Boineburgio* non reperio, quin gratias agam tibi, qui tanti herois non favorem mihi modò, ſed amorem planè ſingularem conciliaveris. Quid enim quæris? *Scioppium* ſuum donavit mihi ultrò, cùm alterius exempli copiam ſperet. Cætera præ pudore taceo. Te rogo, perficias apud eum, ut & in benevolentia perſeveret, (quamquam virtus ejus dubitare me non ſinit,) & in me laudando ſit parcior. Quæ nova mihi non pauca nuncias, gratiſſima fuerunt: Magis me tibi devincies, ſi per te cognovero, quemadmodum illa tua confeſſio naturæ contra Atheiſtas, quam *Cl. Spizelius* edidit, emendanda ſit.

III. De *Suremaſio* quid alii ſentiant, ipſi viderint. Apud nos quidem neminem ſcio, cui ſe inſania hominis cum flagitioſa rabie conjuncta probet.

Nec

Digitized by Google

Nec dubitare poſſumus, quin illi viri, quibus blanditur, malint eum de ſe ſiluiſſe in libello famoſo. Nec enim unquam ipſi per calcatas aliorum ruinas emergere pulchrum putaverunt. Sed tanta hominem agit veſania, neſcio dicam an malitia, ut adſcito jam *Xavierii Tarani* nomine, vindicias adverſus *Lentúlum*, *Naſturtium*, *Burgoldenſem* emiſerit. Imprimi hæc talia nemine vetante, non poſſum ſatis mirari. Nec ſpero futurum eſſe, ut ad ſe homo redeat, niſi majori vi coërceatur. Haberes cum his literis meam de origine animæ humanæ diſputationem, niſi monuiſſet *Freiſlebius*, commodiùs a mercatoribus, ſi quid tale vellem, quàm per poſtam fieri poſſe. Ipſe interim & ejus curandæ negotium ſuſcepit. In ea, cùm poſcente argumento diſputanda quædam mihi fuerint adverſus Pontificios doctores, neſcio num & Illuſtriſſimo *Boineburgio* mittendum ſit exemplum, ne fortè incivilitati imputet, ſi ea mittam, in quibus aliter de argumento graviſſimo a me diſputatur, quàm ipſe vellet. Promiſi interim ad futuras nundinas diſputationes quaſi ſex, οὐν θεῷ ἴσως, quas jam diu affectas de ſtoica mundi exuſtione habeo. Tu optimum Mæcenatem meo nomine humillimè ſalutabis, proque egregio munere gratias unà mecum ages. Vale, & aridæ ſcriptioni ignoſce. *Lipſ. d. 6. Maii*, 1669.

De ſtudiorum meorum ratione nondum potui ſusè ad Illuſtriſſimum *Boineburgium* differere, anguſtiâ temporis præcluſus. Faciam id aliàs.

EPISTOLA VIII.

THOMASII AD LEIBNITIUM.

UTinam gaudium illud tuum, quo perfuſum te ſcribis, lecto in Francofurtenſium indice nomine meo, non ſequatur pœnitentia, ubi rem ipſam videris. Sanè verò ne dialogos illos quidem phyſicos tibi ſcripſi, aut ſimilibus tui, ſed juvenibus, non malè quidem illis inſtitutis, a te tamen longiſſimo diſtitis intervallo. Quare ubi oculos illis tuos donaveris, te rogo, ut ſi exuas philoſophum, induas amicum. Quamquam nec illud diſplicebit, gratum erit potiùs, ſi mihi errores meos demonſtraveris. Fateor enim, in ſcientia præcipuè naturalium rerum, imperitiam meam, nec de ea dubitavi, vel in præfatione ad lectorem confiteri. Nizoliana tua ſuperioribus nundinis inſpexi, communicata mihi ab amico: ac viſus ſum benevolentiæ in me tuæ multa deprehendere indicia. De cetero, quæ ſuades ibi, aut differis, ea mihi talia videbantur, ut, tametſi non omnia meis cogitatis congruerent, præcipitari tamen judicium non oporteret: tempore autem repetendi ea, & meditandi nunc maximè deſtituor. Programmati de libertate philoſophandi, quod vidiſſe te ſcribis, nunc aliud addo, quod per otium legas. Vale. *Lipſ. d. 11. Oct. 1670.*

EPISTOLA IX.

THOMASIUS LEIBNITIO

Ad Epiſtol. $\frac{19}{29}$ *Decemb.* 1670.

NOn merebantur dialogi phyſici mei elogium illud, quod iis tribuis. Majore merito provocabit eruditorum plauſus vel illud ſchediaſma tuum, de quo ſcribis, cujuſque veluti ſummam literis tuis complecteris. In quo cùm legerem ætherem illum, quem ais cum luce ſolis circa terram ferri, videbar equidem agnoſcere aliquid, ſi non idem, ſaltem forſan ſimile ætheri de quo ago p. 46, 47, phyſicorum. Qua in re fortè decipior, tamdiu tamen hic error me delectabit, donec ipſam voluptatem alia depellat, ubi ex te didicero certiora. Pro carmine, quod mittis, habeo gratias. Nunc diſputatio quædam habenda me præſide de feminarum eruditione prelo tradita eſt. Eam occaſione proxima mittam.

II. Cùm jam in manibus ea eſſet typographi, notitia demum facta mihi eſt, libelli, cui titulus: *Ehren-Preiſs des Frauenzimmers*, auctore cancellario Fuldenſi *Schützio*, cui perſonatus quidam *Poliandinus* reſpondit, qui & inde libellum ſuum nominavit, *geſtürzten Ehrenpreiſs*. Ea re factum, ut vix duobus verbis tangere licuerit in diſputatione noſtra hos duos libellos, vocandos alioqui ſub accuratiorem cenſuram. Decrevi tamen de iis aliquid, ut ſolemus, præfari. *Schützium* intelligo apoſtatam eſſe, unde venit mihi in mentem ſuſpicari, nomen *Ignatii*, quod cum *Wilhelmo* præfert, ipſi inditum eſſe in profeſſione religionis novæ. *Poliandinum* aiunt, neſcio quem eſſe, *Johannem Gorgiam*, Tranſylvanum, hominem neſcio an religionis noſtræ, diſſolutæ certè vitæ, & e patria profugum, quum ancillæ patris vitium intuliſſet. Ejuſdem quoque aiunt eſſe, *den Jungferlichen Zeit-Vertreiber*, nomine veriphantoris editum, ſcriptum impurum. Quæ me res movit, ut crederem, feminei ſexûs dedignationem, qua plenum eſt ſcriptum ejus, Schütziano oppoſitum, non ex alio fonte proficiſci, quàm quòd feminas non aliunde æſtimaret, quàm ex eo abuſu, quo ſcorta impuri hominis humores fœdos matularum inſtar excipiunt. Sic viciſſim impulſum *Schützium* credebam tenero quodam, ſed conjugali in hunc ſexum amore, & miſericordia verſus eas, quæ a viri duriter tractantur; nam in ejuſmodi viros aculeum ſubinde emittit; indignatione inſuper in eos, qui optimo ſexui convicia dicunt: Huc enim referebam hiſtoriam de neſcio quo nobili incivili, qui ex itinere Gallico nihil aliud retulerat domum, quàm in feminas convicia. Narro tibi ſomnia mea, ut ex te veriora ſive de *Schützio*, ſive de *Poliandino* diſcam. Tametſi enim non exſpectabit iſta præfatio mea tuas literas, jucundum tamen erit, hujus, ut ita dicam, monomachiæ hiſtoriam per te cognoſcere. Aiunt

eſſe

eſſe *Schützium* inſigni munere affectum ab imperatrice, cui dedicavit libellum, tolerabilem, niſi *Agrippam* ſecutus, quem ſemel citat, paſſim deſcribit, altiùs levaſſet hunc ſexum, quàm eum locaverat creator. Eſt & aliud quiddam, in quo velim opera tua uti.

III. Suntne tibi notæ orationes *Nicolai Schoembergii* Cardinalis, coram *Julio II.* Pontifice habitæ, de pugna Chriſti cum diabolo in deſerto, quas Bibliotheca *Geſneri* memorat? Eas apud nos etiam a. 1511. editas eſſe didici e poſtilla Bauſthiana in illud Evangelium, ſed fruſtra quæſivi in noſtris bibliothecis: magnopere tamen vellem, vel ipſas, vel apographon earum procurare poſſem ex illa familia maximo cuidam viro. Quæſo, ſi potes, me adjuva. Benè vale, amice optime, & Illuſtriſſimo *Boineburgio* fauſta quæque a me, in hunc & ſequentes annos, quos & tibi feliciſſimos fluere jubeat Deus, precare. *Lipſ. d.* 7. *Jan. anni ineuntis* 1671.

EPISTOLA X.

LEIBNITIUS THOMASIO.

I. Literæ tuæ tempeſtivè ad me delatæ ſunt. Cùm enim in eo eſſet, ut ederetur *Nizolius*, opportunè accidit, ut nonnulla circa ejus *Calcagnini* & *Griſoli* lites a te docerer: quæ & ex literis tuis excerptorum titulo, libello addidi. Si quid in præfatione mea diſplicet, aut liberius dictum videtur, id ut moneas, atque emendes, etiam atque etiam rogo. Addidi & epiſtolam, quam ad te, de *Ariſtotele* recentioribus conciliabili ſcripſeram, immutatis nonnullis, ut res ferebat; te tamen non nominato, quemadmodum nec meum nomen alicubi adſcriptum eſt. *Henrici Horbii* hiſtoria Origeniana Francofurti edita eſt, ab eodem promittitur hiſtoria Manichæorum, & Undariorum, ſeu Antitrinitariorum. In Belgio *Iſaacus Voſſius* novam editionem *Laertii*, tum *Catulli*, *Tibulli*, *Propertii* molitur. *Octavius Ferrarius* ſcripſit contra *Rubenium*, (qui de lato clavo aliquid ediderat,) aliosque rei ſuæ veſtiariæ impugnatores. Prodiit & liber *Chimentelli* de ſellis. *Joh. Webbe*, eques Anglus, ſcripto Anglico tueri conatus eſt, linguam Sinicam eſſe primitivam. Et quid mirum, poſtquam *Georg. Stierhelm* orbi perſuadere conatur, linguam Suecicam, cui Scythicam veterem eandem facit, eſſe Hebræa priorem. De *Gronovii* in *Tacitum* curis quædam expectantur. *Grævium Ciceroni* novam operam impendere audio. -- Cl. *Boſius* de Reineſianis edendis ſpem facit: Quid tibi de Barthianis reliquiis, certè non minùs æſtimandis conſtat? Cl. *Boeclerus* inter cetera in eo eſt, ut *Æneæ Sylvii* vitam *Friderici III.* ex MSto edat; in eo ſum, ut copiam ei procurem alterius MSti ejuſdem libri. Vellem ſcire, ſi quod fortè eximium MStum qualecunque Lipſiæ latet: fateor enim, me, etſi Lipſienſem, hæc ignorare; *Robertus Keuchenius*, is qui

Cornelium Nepotem, aliosque veteres edidit, nescio quo infortunio, patria Batavia extorris, huc illuc vagabundus discurrit, seque etiam deridendum nonnunquam propinat. Quidam *Sandius*, homo Arianus libellum de scriptoribus ecclesiasticis sanè eruditum edidit, qui fallere incautos possit. *Francof.* $\frac{6}{16}$ *April.* 1670.

EPISTOLA XI.

IDEM EIDEM.

I. PHysica neque elegantiùs, neque amœniùs, quàm dialogo explicari possunt. Memini idem facere *Bodinum*, idem *Gualterum Rivium*, de vera ratione libræ & stateræ, sed & in itinere Ecstatico *Kircherum*, & passim illustrem *Boylium*, atque inprimis eleganter nuperrimè *Georgium Sinclarum*, in arte nova gravitatis & levitatis: ut tot alios veteres medioſve, ac mediis propiores taceam. Ceterum doctissimum virum *Abdiam Trew* non ignoras, libros Aristotelis περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως in scientiæ formam elementaque, *Euclidis* exemplo reducere voluisse, ne soli Cartesiani de mathematica methodo gloriarentur.

II. Vidi nuper programma Lipsiense, haud dubiè tuum, quo libellum intolerabiliter licentiosum, de libertate philosophandi, pro eo ac merebatur, tractasti. Videtur auctor non tantùm politicam, sed & religionem Hobbianam sectari, quam is in *Leviathane* suo, monstroso, vel tituli indicio, opere sic satis delineavit. Nam & Criticæ illius bellissimæ, quam in scripturam sacram homo audax exercet, semina integro *Leviathanis* capite *Hobbius* jecit. *Hobbium* ipsum octuagenario majorem repuerascere nuper ex literis responsoriis *Henrici Oldenburgii*, societatis regiæ Anglicanæ secretarii, didici.

III. Idem hæc recentissima *Boylii* opera memorat: 1) de formarum & qualitatum origine, 2) de argumento illo, num detur absoluta, seu perfecta quies in corporibus etiam solidissimis, 3) de qualitatibus systematicis, sive Cosmicis, 4) de suspicionibus Cosmicis, 5) de regionum subterranearum juxta ac submarinarum temperie, deque maris fundo. Quibus accessit ejusdem introductio ad historiam de qualitatibus particularibus. *Francof. d.* 23. *Dec.* 1670.

EPISTOLA XII.

IDEM EIDEM.

I. DIalogos, quibus magnam philosophiæ partem complexus es, legi tandem, vidique etiam in ipsa philosophia naturali præstita a te non pauca non contemnenda, quæ vulgo ne tanguntur quidem, ex quibus

bus potiſſima eſt cauſſæ finalis in tractandis rerum cauſſis crebrior ſolito mentio. Memini me in *Platone* legere, *Socratem*, cùm comperiſſet, neſcio quem, philoſophum veterem, *Anaxagoram* credo, duo principia ſtatuiſſe, materiam & mentem, ſcripta ejus maxima cum aviditate pæne devoraſſe, ea ſpe, fore, ut rerum rationes verè rationales, id eſt fines, uſus, ordinem diſceret, ſed deluſum ſenſiſſe non aliter tractari a philoſopho omnia, quàm ſi ſola materia rerum principium eſſet, ejuſque neceſſitate mundus e tenebris cæcis Democritica ratione emerſiſſet. Par eſt phyſicorum recentium ratio, qui cauſſas materiales rerum quærentes, rationales negligunt, cùm tamen in eo potiſſimum eluceat ſapientia auctoris, ita inſtituiſſe horologium mundi, ut cuncta deinde, velut neceſſitate quadam ad ſummam omnium harmoniam conſequerentur. Opus eſt igitur philoſophis naturalibus, qui non geometriam tantùm inferant phyſicis, (geometria enim caret cauſſa finali,) ſed & quandam civilem ſcientiam in naturali exhibeant. Ipſe enim mundus grandis quædam reſpublica eſt, in qua mentes vel filiorum vel hoſtium, ceteræ creaturæ, ſervorum inſtar habent.

II. Habui & ego nuper ſomnium quoddam phyſicum. Scis eam mihi ſententiam eſſe, omnium rerum cauſſas efficientes eſſe cogitationem & motum, motum inquam localem: neque enim alium credo: cogitationem autem primæ mentis, i. e. DEI, (a qua ipſæ ſecundæ habent, quod cogitant.) Prima autem mens pro ſapientia ſua ita res initio inſtituit, ut non ſit ei facile ad conſervationem rerum opus extraordinario concurſu, prorſus ut illum automatopœum nemo laudaverit, qui quotidie aliquid in opere ſuo emendare cogatur.

III. His poſitis, venit mihi in mentem motus quidam unicus univerſalis in terra noſtra, ex quo omnium phænomenorum, quæ in ſpeciebus multa ac mirabilia ſentimus, ratio reddi poſſit: generatim nunc quidem, ſpeciatim tunc, cùm phænomena ipſa magis excuſſa erunt. Cùm enim nihil dubitem de circulatione terræ circa centrum ſuum, ſequetur perpetua quædam contraria circulatio ætheris, ſeu corporis cujuſdam ſubtiliſſimi, in quo & lux conſiſtit, quodque a ſole commotum perſpicuum illuminat. Dum enim terra movetur ab occidente in orientem motu diurno, æther cum luce ſolis circulabitur ab oriente in occidentem, quæ circulatio, etſi inſenſibilis, omnium corporum ſenſibilium poros penetrat, ac plerorumque phænomenorum cauſſa eſt. Ac primum quidem gravitatis, facit enim ſubtilia exſilire, denſa detrudi, deinde elateris, id eſt reſtitutionis corporum, qualis ſentitur in arcu, in pulvere pyrio ſe expandente & diſplodente, in aëre ex ſclopetis pneumaticis in ſtatum raritatis naturalis redeunte. Quod fit, quia res aut compreſſæ nimis, aut denſæ, vel minus vel plus ætheris habent, quàm circulatio ejus fert. Unde ſub ingreſſu ejus porta aperta, rediſperguntur. Jam ex his duobus principiis, elatere & gravitate, dum æther res nimis denſas aut diſpergit, aut quum ob

plexum

plexum partium diſpergere non poteſt, detrudit, auſim dicere, omnes in corporibus, cum quibus nobis commercium eſt, motûs derivari. Vim ignis & aquæ, caloris & frigoris, pulveris pyrii, veneni, acidi & alcali, omnium ſolutionum, reactionum, præcipitationum chemicarum. Illevi chartæ binas circiter plagulas de hoc argumento, quæ nunc imprimuntur. Totum tamen hypotheſis eſt, ut in naturalibus pleraque, ſed qua neſcio, an habuerimus hactenus leviorem & faciliorem.

IV. Ad *Nizolium* fortè contra eos, qui nobis pæne totam philoſophiam in Logomachiam converterunt, quædam paullo zeloſius dixi, ut ſolet plerumque fugientibus aliquid nimia in contrarium declinatio naſci, unde nec ingrata erit cenſura tua, tua inquam, cujus in philoſophando diconduque rationem ſi tenuiſſent omnes, poteramus *Nizolio* & *Ramo*, & ceteris id genus cenſoribus carere.

V. Medici noſtri neſcio quas novas ephemerides parturiunt, aut potiùs parere cœperunt: utinam ad guſtum exterorum, qui plus experimentorum, minus allegationum deſiderant.

VI. Galliæ ephemerides, quantum intelligo, exſpiraverunt, languentes jam tum, ex quo *Galloſius*, compilator, academiæ naturalis regiæ, (ſed quæ parum, aut nihil edit, alia longè animo agitans,) ſecretarius factus eſt. *Mogunt.* $\frac{12}{22}$ *Dec.* 1670.

EPISTOLA XIII.

IDEM EIDEM.

I. ACcepi literas tuas, ſed reſponſum in nundinas diſtuli, tum quòd materies ſcripturo deeſſet, tum quòd addere deſtinaſſem ſchediaſmation meum, idque ecce nunc mitto. Obſcuriuſculum eſt, quia quanto maximo fieri potuit ſermonis compendio uſus ſum, ne rerum multitudine in molem charta extumeſceret, commoditatemque ſpargendi adimeret auctori. Unde ferè iis ſcriptum eſt, qui in recentioris philoſophiæ formulis, ſententiis, obſervationibuſque, quæ plerumque verbulo tantùm innuuntur, ſunt verſati. Mihi æther meus nec ab Ariſtotelico, neque a tuo valdè differre videtur, niſi quòd ſaltem mihi nec levis nec gravis eſſe viſus eſt, ſed ventilatione ſua cauſſa gravitatis, ſimul & vis elaſticæ, & directionis magneticæ, & plerorumque aliorum naturæ phænomenorum. Gyrationem autem ei imprimi a luce, & rationi opinor, & *Ariſtoteli* conſentaneum eſt. Nihil dubito de veritate hypotheſeos Copernicanæ, & tamen quicquid in mea proprium mihi novumque eſt, poteſt etiam Tychonicæ conciliari. Potiſſimum eſt, quod ex hac hypotheſi ratio reddi poteſt plerorumque miraculorum naturalium, quibus res maximæ per minima geruntur, ut in veneno, pulvere pyrio, arcu tenſo ſe reſtituente, ſclopeto ventaneo apparet, quæ res etiam ſe graviores movent, quia non tam ſuo, quàm

quàm ætheris, cujus circulatio turbata eſt, publico niſu moventur. Quæcunque etiam vulgo fugæ vacui adſcribuntur, ſeu appetitui continuitatis, ea huic ætheris circulationi tribuenda ſunt. Tu, ut expendas, mihique judicium tuum, ſi vacat, tranſcribas, tum illud potiſſimum attendas, an hac hypotheſi aſſumta putes, ſola magnitudine, figura & motu, ſine aliis qualitatibus, omnia corporum phænomena ſalvari poſſe, magnopere rogo. Si aliorum etiam virorum doctorum, inprimis ampliſſimi *Frankenſteinii*, quem ſalutari meis verbis peto, quorſumcunque etiam vergentia judicia mihi ſignificaveris, magno cumulo augebis beneficium tuum.

II. Auctor elogii feminarum *Schützius* nunc ex Cancellario Fuldenſi aſſeſſor eſt cameræ Spirenſis. Scripta ejus in re civili & morali puto potius boni conſuli, quàm valde quæri etiam a nobis. Reflexiones ejus, (ſic enim vocat,) politicæ pro ſpecimine eſſe poſſunt, etiam titulo tenus intuenti. De Cardinalis *Schombergii* homiliis nondum quicquam comperi. Promiſſus eſt mihi index bibliothecæ cathedralis Moguntinæ, id genus libris illorum temporum refertæ. Non eſt nunc mihi ad manus bibliotheca Cardinalitia *Jacobi a S. Carolo*, inquiſiviſſem alioquin, ſi quid de *Schombergio* memoraret.

III. Prodiit his nundinis *Hermanni Radbodi Sckelii* liber elegans de jure imperii, ſcriptus potiſſimum contra *Salmaſium*, nunc poſt auctoris, in Belgio fœderato magnis honoribus functi, & tamen, ut mihi ſcribit Cl. *Grævius* in ipſo ætatis flore erepti, obitum editus. Populi tamen teſtatem mihi paullo laxiorem, quàm fas eſt, feciſſe videtur, niſi quod profluentiſſimæ dictionis elegantia excuſat auctorem, non ſatis diſtincte ſemper animi ſenſa explicantem. Ejuſdem de libertate librum memorat mihi *Grævius*, ſed non vidi.

IV. Idem *Grævius* ſcribit mihi Ultrajecto, deſiderare ſe codicem *Homeri* antiquiſſimum, qui lateat in Lipſienſi bibliotheca Paulina: non dubito, quin idem jam tum ad vos perſcripſerit, credoque vos etiam ſine admonitione mea viro tam egregio, atque inter patriæ noſtræ decora numerando, hujuſmodi ſubſidia non denegaturos.

V. In *Cicerone* nunc potiſſimum edendo occupatur, addetque integros ferè virorum præſtantiſſimorum commentarios. Idem edi curat prælectiones *Baudii* in Panegyricum *Plinii* hactenus deſideratas. *Friolum* obiiſſe, ex Gallia diſco. Ampliſſimi *Frankenſteinii* in eum notæ promiſſæ hactenus, ni fallor, nondum prodiere. *Chriſtophori Forſtneri* epiſtolas ſpero editum iri. Addentur, ut ajunt, ephemerides politicæ, quas ſingulis menſibus de præſenti tunc rerum ſtatu in literas inferebat; ſed, ut ego arbitror, (legi enim manuſcriptas,) nondum ultimam auctoris manum expertas. (Accepit hanc epiſtolam THOMASIUS *die* 22. *Jul.* 1671.

EPISTOLA XIV.

LEIBNITIUS THOMASIO.

I. SCis, celeberrimum *Reineſium*, quondam noſtrum, MStum inſcriptionum opus reliquiſſe. Id ille Regi Chriſtianiſſimo dedicare conſtituerat, & *Fridericus Brummerus* noſter ei rei Pariſiis inſtiterat, & paullo poſt defuncto *Reineſio* illuſtris *Gerſdorfius*, ni fallor, Sereniſſimi Saxoniæ electoris legatus, ſecum exemplar ipſum Pariſios tulerat. Sed nihil actum eſt, ſive quod alieno tempore, ſive quod alieno loco res propoſita, aut alioquin difficultatibus, neſcio quibus, impedita fuit. Ego, qui cum Domino *de Carcavy*, Bibliothecario Regis, qui *Colberti* juſſu res literarias curat, commercium colere ſoleo, inter cetera forte in Reineſianarum inſcriptionum mentionem incidi. Ex eo tempore ſcripſit mihi Dominus *de Gravelle*, legatus ordinarius, ſive, ut vulgo vocant, Reſidens regius, (Plenipotentiarii Ratisbonæ agentis frater,) commiſſum ſibi, ut inquireret, qui *Reineſii* heredes, & quo loco MStum eſſet, rogavitque me, ut operam in eo negotio ſibi navarem. Addidit, intellexiſſe ſeſe, gratum Regi munus fore, ſi offeratur, & certa munificentia recognoſcendum, ſed &, quod auctor olim quæſiverit, ex typographia regia edendum. Ego inquirere, & nuncium, ut credo, non ingratum perferre, in me recepi, & te, quem & *Reineſio* olim amicum fuiſſe, & nunc ejus heredibus, (quorum nomina non ſatis ſcio, & noſſe deſidero) eſſe non dubito, rogare volui, ut mihi opem feras, quod ego re confectâ, honorifica tuæ operæ mentione, ut alioquin debeo, apud amicos Pariſienſes agniturus ſum. Quæcumque *DN. N* heredum ſententia deſiderium eſt, mihi tuto libereque perſcribere, aut ſignificare poſſunt, ego omnia fideliter curabo. De re literariâ nihil novi magnopere ad me pervenit.

II. Auctor libri de libertate philoſophandi, cujus refutationem brevem, ſed elegantem, programmate complexus eſt *Benedictus Spinoza* Judæus, ob opinionum monſtra, ut mihi è Batavis ſcribitur. Ceterum homo omni literatura excultus, & inprimis inſignis Opticus, præclarorum admodum tuborum elaborator.

III. *Abulfedam*, Geographum Arabem magni nominis, *Schickardus*, multis collatis manuſcriptis recenſuerat, verſioneque latinâ expreſſerat, & notis illuſtraverat. Reliquias tanti viri tam præclaras cum alicubi latêre didiciſſem, Gallis ſignificavi qui redemere: & ita fore ſpero, ut opus tamdiu in publico deſideratum cura clariſſimi *Ferrandi* Galli orientalia doctiſſimi, prodeat in lucem. Ex quo multa hactenus ignorata diſcemus, circa res orientis, quæ *Abulfeda* ille, princeps Hatſiæ maximis ſumtibus indagavit. Europæi hactenus non niſi littora Aſiæ Africæque legere, at Arabes religionis linguæque beneficio in intima mediterranearum gentium penetravere. *Mogunt.* $\frac{21}{11}$ *Jan.* 1672.

G. G. LEIB.

Digitized by Google

G. G. LEIBNITII EPISTOLA

Ad Johannem Chriſtianum Liberum Baronem à Boineburg.

Leibnitius Baroni à Boineburg Nizolii Commentarios philoſophicos a ſe editos dedicat.

LEges Romanæ Teſtatorem irrident, qui domino rem ſuam legat: Quid mihi futurum eſt, qui tibi tuam dedico, nulla re quàm panni ad purpuram aſſumento auctiorem? niſi tibi quidem inter meliorationes, quas vocant, atque incrementa referre placeat, quicquid qualitercunque, hortatu tamen tuo hic fundo inædificatum eſt. Grandiorem ſanè librum recipis, utinam & meliorem! neceſſarium tamen videbatur, non nulla aſperiùs dicta complanare. Alteri, quàm tibi inſcribi, ne ipſe quidem *Nizolius* velit, per te è diuturni carceris longo ſqualore erutus, tuo beneficio redivivus, tuo judicio unicè triumphans. Eſt in eo acuminis ſatis, plurimum eloquentiæ philoſopho dignæ, libertatis nimium, quam & inter repagula aliqua coërcuimus. Mihi illuſtris nominis tui præfigendi præter *Nizolium* qui ſe tibi totum debet, præter beneficia tua, quibus levi commemoratione detrahere nolo, ratio potiſſima fuit, admonere poſteritatem exemplo tuo, non fuiſſe ita ſterile ſeculum noſtrum, quin ſupereſſent magni genere ac geſtis viri, qui præter reipublicæ curam bonarum etiam literarum & malis tangerentur, & admirabili uſu pollerent, & his ipſis pudorem incuterent, qui totam vitam iis ſtudiis conſumſerunt. Quod ſupereſt, ILLUSTRISSIME DOMINE, munus hoc chartaceum, læta fronte accipe, fave ferenti, valeque ac bono publico diu vive.

Digitized by Google

GOD. GUIL. LEIBNITII

DISSERTATIO DE STILO PHILOSOPHICO MARII NIZOLII,

COMMENTARIIS PHILOSOPHICIS PRÆMISSA.

I. *De alienorum operum editione.* II. *De* Nizolii *Concordantiis Ciceronianis.* III. *De* Nizolii *ſtudiis philoſophicis.* IV. *Logica philoſophandi principia complectitur.* V. *De* Nizolii *dicendi ratione.* VI. *De philoſophica dictione.* VII. *De perſpicuitate ſtili philoſophici.* VIII. *De terminis technicis & popularibus.* IX. *De ὀνοματοποιΐᾳ.* X. *De uſu terminorum technicorum.* XI. *De differentia cognitionis philoſophicæ a vulgari.* XII. *De philoſophia lingua viva & vulgari tradenda.* XIII. *Lingua Germanica non ſolum aptiſſima eſt, ut ea philoſophia doceamus, ſed & egregiè facit, ad ſcholaſticæ philoſophiæ nævos detegendos.* XIV. *De aliis linguis, quibus commodè tradi philoſophia poteſt.* XV. *Quibus in diſciplinis terminis technicis præ ceteris eſt locus?* XVI. *De Philoſophia acroamatica & exoterica.* XVII. *Inter accuratè philoſophandum concretis tantùm utendum eſt, non abſtractis.* XVIII. *De troporum in ſtilo philoſophico uſu.* XIX. *De claritate orationis, quæ è circumſtantiis ſumitur.* XX. *Ægyptii atque recentiores Sinenſes philoſophiam ſuam ænigmatibus occultant.* XXI. *De utilitate perſpicuitatis ſtili philoſophici.* XXII. *Veterum philoſophorum ſyſtemata non rejicienda, ſed emendanda.* XXIII. *De iis, qui contra philoſophiam ſcholaſticam diſputarunt.* XXIV. *De inventis nov- antiquis.* XXV. *Maledicentia in ſcriptis philoſophicis vitanda.* XXVI. *Scholaſticorum errores* Ariſtoteli *non tribuendi.* XXVII. *De excuſandis ſcholaſticorum philoſophorum erroribus.* XXVIII. *De ſecta Nominalium.* XXIX. *De uſu metaphyſicæ.* XXX. *De ſcriptis* Ariſtotelis. XXXI. *De univerſalium natura.* XXXII. *Propoſitiones univerſales ſunt fundamenta demonſtrationis philoſophicæ.*

I. ALiorum Scripta edere, Lector benevole, humile eſt & contemtum, & ingenii per ſe pauperis nota eſſe videtur illi, quorum ſublimis aut mens aut opinio ſupra cæteros ſe attollit, quibus mos eſt, ſua nomina alienis charis allinentes herbæ parietariæ convicio irridere, quod jam olim in *Trojanum* ubique per omnes vetuſtatis ruinas ſui nominis prodigum, jactaverat magnus *Conſtantinus*. Sed me quidem hæc parum moveat, partim clarorum virorum exemplo munitum, partim parum

parum dolentem ſi apud illos Cenſores ingenioſus non habear, cui ſufficit, ſtudii ſaltem ac voluntatis laudem retuliſſe. Exempla egregiorum hominum diu conquirere, copia non petitur, quum ipſi Theologi cenſeant Scriptores Sanctos priorum memorias & perfeciſſe & edidiſſe, & continuaſſe *Joſuam Moſis*, *Samuelem Joſuæ*, *Eſdram Samuelis* & Prophetarum. Apud Græcos magna ingenuitatis laude celebratur *Xenophon*, quod *Thucydidis* Hiſtorias in lucem miſit, quum vel ſupprimere, ut ſolus laudaretur, vel ſibi vindicare poſſet; diſpari *Ariſtotelis* famæ, qui magna apud nonnullos invidia laborat ſuppreſſorum philoſophiæ vetuſtioris monumentorum. Apud Romanos de vita veteribus reddenda mirificè ſolicitus fuit *Hadrianus* Imperator, qui non tantùm ſcripta diligenter conquirebat, ſed & ex ſtatuis, ex picturis vetuſtate vitium facientibus effigies eorum perveſtigabat, repertiſque, ne aliqua temporis injuria rurſus perirent, ſua imagine prætermiſſa nummos ſignabat, affectui majeſtatem poſthabens. Unde quæ nunc paſſim habentur numiſmata, *Cimonis*, *Miltiadis*, *Platonis*, *Ariſtotelis*, aliorumque veterum heroum aut ſapientum imaginibus percuſſa, *Hadriano* accepta referri debere, conſtans apud eruditos opinio invaluit. Sed vetera mittamus: ſuperiore ac noſtro ſeculo ſepulta refodere inter potiſſimas eruditorum curas fuit. Nec circa veteres tantùm, in quos præ ceteris incubuere, qui nunc vulgo Critici vocantur, laboratum eſt, ſed & medii ævi ſcriptoribus cura impenſa eſt, ex quibus Theologos magnam partem in Bibliothecam Patrum conjecit *Margarinus de la Bigne*, multis ſupplementis auctus augenduſque ex editis a *Caniſio*, *Gretſero*, *Sirmondo*, *Petavio*, *Combefiſio*, *Allatio*, *Chiffletio*, *Poſſino*, *Holſtenio*, *Marca*, *Labbeo*, (tum alibi, tum in Byzantinis) *Coſſartio*, *Dacherio*, *Surio*, *Roſweido*, *Bollando*, *Henſchenio*, *Papebrockio*, compilatoribus Bibliothecæ Patrum Aſceticæ, Benedictinorum cura editæ, aliiſque multis. De Jureconſultis medii ævi optimè meritus eſt, quiſquis eſt, cujus cura tot eorum monumenta in Oceano juris, inque natis ex eo Tractatuum voluminibus, vel ut poſtea appellata ſunt, Tractatu Tractatuum, junctim edita viſuntur, quæ alioqui fortaſſe tenues in auras dudum abiiſſent. Dolendum eſt profectò, qui tot aliis de luce nominis proſpexit, ſeipſum tacuiſſe; quum tamen grandi illo in tot volumina confecto indice nihil cogitari poſſit laborioſius, nihil deſiderari accuratius. Idem de collectis Repetentium voluminibus dicendum eſt. Speramus verò, cura viri eruditiſſimi *Erici Mauritii* quamprimùm edendam digeſtionem juris feudalis *Antonii de Prato veteri*, opus illuſtre imperatorio juſſu, delegatione univerſitatis ſtudii Bononienſis confectum, ſed quod neſcio quomodo hactenus ex manibus hominum evanuit, ac *Goldaſto* & *Rigaltio* diu ac fruſtra quæſitum, alium non indignum editorem invenit. In colligendis medii ævi hiſtoriis *Schardii*, *Piſtorii*, *Reuberi*, *Urſtiſii*, *Meibomii*, *Reineccii*, *Lindenbrogiorum*, *Goldaſti*, *Freheri*, *Bongarſii*, *Tilii*, *Puthœorum*, *Puteanorum*, *Theodori* & *Dionyſii* junioris *Gothofredorum*,

rum, *Cheſniorum*, *Sammarthanorum*, *Seldeni*, *Spelmanni*, *Dugdali*, *Reſſerii*, & quos expectamus *Lambecii* & *Gamanſii*, curæ, nullo temporum lapſu deterentur. Sed erunt fortaſſe qui ſic occurrent, aliud eſſe veterum immortalia ſcripta, aut etiam medii ævi monumenta ſervare, aliud recentiorum nugas per orbem jam tum ſatis talibus oneratum diſpergere. Hi profectò nimis contemtim de hujus ævi ingeniis ſentiunt, nec cogitant, fore tempus cui & noſtra vetera erunt. Quis ignorat quandam curam *Rudolphus* Imperator colligendis ac recenſendis *Theophraſti Paracelſi* operibus impenderit? *Tychonis Brahei* reliquias laudabili inſtituto olim *Joh. Keplerus*, nunc *Albertus Curtius* publico dedere. *Truhemii* Hiſtorica plurima *Freherus*, Aſcetica *Buſæus* luci expoſuere, *Hubertum Thomam Leodium* idem *Freherus*, Huſſitica quædam *Otto Brunfelſius* atque *Cochlæus*, Grotiana *Edmundus Mercerius*, & *Iſaacus Gruterus*, & *Graſwinkelius*, clariſſimi utique viri; *Iſauci Voſſii* cura *Herberti* nonnulla, ejuſdem *Gruteri* verò opera, *Verulamii* plurima ad nos pervenere. Fratris *Pauli Servitæ* Hiſtoria *Marco Antonio de Dominis* debetur, *Edmundo Albertino* in partu latini de Euchariſtia operis mortuo, *Blondellus* & *Gronovius*, idem *Blondellus Dallæi* quibuſdam, *Montacutius*, *Jacobi* Angliæ regis, & *Laudi*, opuſculis, tum *Epiſcopio Curcellæus* ac *Poelenburgius*, *Pierucius Scioppio*, *Caſſandro Cordeſius*, aliis alii, obſtetricati ſunt; reliquiæ qualeſcunque *Scaligeri*, *Perronii*, *Thuani*, & quod ſperamus, aliorum plurium, a Fratribus *Puteanis* exceptæ, per *Iſaacum Voſſium* publico nunc communicantur. Epiſtolas *Caſauboni* collegere *Gronovius* & *Grævius*, *Salmaſii Clementius*, *Grotii* idem *Iſaacus Gruterus*, variorum *Goldaſtus* philologicas, *Melanchthonis Peucerus*, *Pezelius*, *Manlius*, *Camerarii*, *Manutii* nuper *Thomaſius*, *Schluſſelburgius*, *Heinſius*, *Bertius*, *Gabbema* & *Poelenburgius* Theologicas edidere. Infinitum eſt omnes referre. Erunt tamen rurſum haud dubiè, qui ſic excipiant: inedita edere fortaſſe excuſari poſſe, at cramben ſemel coctam rurſus apponere projectæ prorſus operæ videri, nec inanis tantum ſumtus, ſed & in publicum damnoſum eſſe. Hic poſtremus aries eſt, quem illi movent, hunc ſi repulerimus vindicata ſatis alieni laboris editio erit. Sed nihil magno molimine opus, quando negari non poteſt, impreſſa vel diſtracta ob famam, vel ſuppreſſa ob odium contemtumve ejuſdem ſæpe cum manuſcriptis raritatis eſſe. *Nizolii* certè opus, quod nunc affero, non vereor, ne quiſquam jam tum in multorum manibus eſſe dicat. Quod non tam ex me habeo, ne a mea rei librariæ notitia, quæ exigua eſt, alios æſtimare videar, quam ex viris doctiſſimis & in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimis, qui aut nunquam, aut rariſſimè conſpectum ſibi faſſi ſunt. Quare non puto prudentem quenquam mihi vitio verſurum quod in cæteris paſſim probatur. Certè eruditi illi Angli qui tot aliorum labores in ſcripturam ſacram uno Bibliorum Criticorum volumine complexi ſunt, omnium plauſum tulere. *Johannes Fichardus* JCtus Francofurtenſis diligentem operam dabat, ut

Juriſ-

Juriſconſultos egregios per Italiam Hiſpaniamque editos, & in Germania inventu raros iteratæ editioni maturaret. *Laurentius Strauſius*, Medicus editione theatri Sympathetici, variorumque opuſculis in eo junctim reculis, operæ certè pretium fecit. Quis Regiam typographiam Pariſienſem, *Elzevirios*, *Blavioſque* non laudat, qui ſuis vel notitiis, hiſtoriis, memoriiſve, vel Rebuſpublicis vel Atlantibus tot præclara monumenta per Bibliothecas alioquin latitantia in luce ponunt. Idem editoribus velleris aurei, artis auriferæ, & theatri Chemici ſcopus fuit, quod illi cum voluptate ſentiunt, qui his ſtudiis dediti, conquirendi, & multa velut arcana deſcribendi, quæ nunc facilè parabilia ſunt, moleſtiſſimo onere levantur. *Jano Grutero* antiquitatis & hiſtoriæ ſtudioſi æternas gratias deberent, etiam ſi nihil de ſuo, ſed collectos tantum aliorum utiliſſimos labores tum in face Critica, tum in Chronico Chronicorum politico (ubi nomen ſuum ſub *Gualteri* Belgæ nomine non neceſſaria verecundia occuluit) incudi reddidiſſet. Sed a collectione variorum in unum ad certa certorumve auctorum ſcripta recenſita veniamus. *Blondum Vorburgius* recudi fecit, *Onuphrium de Comitiis* olim *Hortlederus* edidit, & mox cum ſupplemento edet πολυμαθέστατος *Lambecius*; *Grotius*

- - Quod *Caſſandri* veracia Scripta teruntur
Cordeſio grates hæc bona propter agit.

Eraſmica recenſere, emaculare, & defendere, ut & audio, deſtinaverat *Mallincrotius*. Allatiana & Niciana typis Batavis emiſit *Nihuſius*; *Galilæi* inſtitutiones *Gaſſendus*, ejuſdem circinum Proportionalem *Berneggerus*, ambo viri non in matheſi magis, quàm omni eruditione verſatiſſimi, alter in Germania, alter in Gallia, renovata veſte induerunt. *Berneggeri* hujus ſynopſin Lipſianæ politicæ doctiſſimus *Jo. Andreas Boſius*, *Clapmarium Schookius*, *Woverium* a plagii impacto crimine vindicatum ſolidiſſimæ vir eruditionis *Jacobus Thomaſius*, *Seldeni* jus naturæ & Gentium (& *Æneæ Sylvii Fridericum III.* propediem editurus;) *Boeclerus* ſuo merito longè celeberrimus, denuo produxere; nec *Franciſcus Mercurius Helmontius* ingenio ſuo indignum duxit *Octavium Piſani* notiorem orbi reddere, tum *Jacobus* quoque *Maſenius Broweri* Trevirenſes Annales edidit, & ſub prelo ſunt. Inprimis verò apud Germanos *Hermannus Conringius*, apud Gallos *Gabriel Naudæus*, ambo Medici, ambo variè uberrimeque docti, aliorum fœtus prope expoſitos & deſertos ſuſcepere: *Naudæus Niphi*, *Cardani*, *Campanellæ*; *Conringius* ipſius *Naudæi* & *Sciopii*, *Machiavelli*, *Hopperi*, *Charamontii*, *Starovolſcii*, *Caſſandri*, *Wicelii*, *Viotti*. His tot tantiſque corcis vituperium notamque incurrere, equidem parum formidandum judico.

II. Nunc, ad autorem ipſum, quem edemus, argumentumque quod tractat, accedendum eſt, *Marium Nizolium* Brixellenſem orbis eruditus pene penitus credo ignoraret, niſi Grammaticis laboribus inclaruiſſet, qui-

quibus meritò illud Virgilianum de apibus accommodes. In tenui labor, at tenuis non gloria.

Et ita ſæpe factum eſt, ut viri docti iis maximè ſcriptis famam impetrent, a quibus minimè ſperabant. Quis enim dubitet *Nizolium* & majorem ſibi celebritatem à Philoſophiæ Reformatione quam animo complectebatur, quam illis, ut ſic dicam, Concordantiis Ciceronianis, polliciturn? & tamen Index Ciceronianus durat duraturuſque eſt quamdiu ipſe *Cicero*, Philoſophia Nizoliana prope in ipſo partu ſuffocationem ægrè effugit. Non ignoro *Majoragii* & *Grifoli*, occaſione litis quam *Ciceronis* officiis *Calcagninus* moverat, indignationem; tum *Henricum Stephanum* in *Nizolio* didaſcalo ſive monitore Ciceronianorum Nizolianorum dialogo, ut inſcripſit, minus æquam *Nizolio* fuiſſe, & à Criticis eum paſſim alto ſupercilio deſpici, ſed *Henricum Stephanum* peculiaris cauſa impulit quod parentis ſui *Roberti Stephani* Thesauro latinæ linguæ multum Nizoliano operæ derogari cerneret; cæteri viri licet doctiſſimi, qui *Nizolium* faſtidiunt, ſi in Nizoliana tempora incidiſſent, credo aliter ſentirent. Aliud profectò judicavit *Caius Secundus Curio*, vir longè præſtantiſſimus, qui conſcio ac conſentiente ipſo *Nizolio* indicis Ciceroniani locupletationem ac recenſionem in ſe ſuſcepit; eodem incubuere *Baſilius Zanchius*, *Marcellus Squarcialupus*, & *Jac. Cellarius* Auguſtanus.

III. Ad Philoſophicas autem meditationes hac ipſa diligenti *Ciceronis* lectione veniſſe videtur. Quum enim videret ſubtiliſſimum quemque Philoſophiæ locum de Diis, de fato & divinatione, de rerum finibus, de diſſerendi, inveniendi ac judicandi arte, de omni parte Reipublicæ ac vitæ humanæ officiis à *Cicerone* accuratè ſimul, & latinè, & luculenter, ne dicam eleganter & ubertim, tractatum eſſe; *Nizolius* noſter vir acutus & bonus, non ſolum deſpicere meritò cœpit infelicem Scholaſticorum tractandi rationem, tenebrarum affatim, parum rerum utilium, elegantiæ verò omnino nihil continentem; ſed & impetum ſumſit mentem hanc ſuam, & ad eam confirmandam meditata, hoc ævo reſtaurandis artibus fatali, publicè exponendi. Et paſſim quidem in ſcriptis ſuis excidere ſibi talia paſſus eſt, & ut credi par eſt, oretenus data occaſione monuit; ſed ad juſtum opus occupandum hac demum, quæ ſequitur occaſione pertractus videtur. Scripſerat *Cælius Calcagninus* diſputationes ſive diſquiſitiones Baſileæ apud *Frobenium* anno ſuperioris ſeculi 44. editas, quibus paulo liberius Officia *Ciceronis* reprehendebat. Continuò id malè habuit doctos viros *Tullii* cultores, ex quibus *Jac. Gryphius* Romæ apud *Aldum*, *Marcus Antonius Majoragius*, Mediolani *Ciceronis* defenſionem edidere. At ſuperveniens *Nizolius*, *Cælium* quòd *Ciceronem* impugnaret, *Majoragium*, quòd *Ciceronem* & *Ariſtotelem* ſimul defendi poſſe putaret, perſtringendos ſumſit. Scriptum illud *Nizolii* tum ſeparatim impreſſum eſt, tum, titulo defenſionum aliquot *Ciceronis* locorum,

rum, editioni *Ciceronis* officiorum Venetæ anno 1554. in folio ſubnexum eſt. *Ciceronis* etiam partes egere *Joach. Camerarius* & *Hier. Wolfius*, quemadmodum & nuperrimè Clariſſimus *Sam. Rachelius*, illuſtrandæ morali *Ciceronis* Philoſophiæ laudabili conatu incubuit. Verum *Majoragius* carpi ſe à *Nizolio* non laceſſito indignius quàm pro injuriæ parvitate tulit, ſtimulante eum *Octaviano Ferrario* peripatetico celebri & erudito, qui *Nizolii* æmulus erat, & libertatem illam de ARISTOTELE judicandi concoquere non poterat. Hujus ſubſidiis fretus *Majoragius*, ſcripſit acerbè ſatis libros duos Reprehenſionum contra *Marium Nizolium*, quibus acceſſit recuſatio omnium eorum, quæ *Nizolius* in deciſionibus ejuſdem *Majoragii* tanquam malè poſita annotavit. Ita coactus tandem *Nizolius* re tota ad accuratius examen revocata edidit hos libros IV. de veris principiis & vera ratione philoſophandi, quibus ſententias ſuas a *Ferrario* & *Majoragio* reprehenſas, antequam ſatis editæ eſſent, non publicat tantùm, ſed & data opera juſtoque ſcripto defendit. *Majoragii* autem ſola præfatione, & libri IV. cap. 6. meminit, ubi pugnat Ethica Nicomachea non *Ariſtotelis* ad *Nicomachum*, ſed *Nicomachi* ipſius eſſe; ſubducens nimirum ſeſe certamini inutili, & ipſi rei potius explicandæ incumbens. Inſcriptio operis hæc eſt in editione, unde novam hanc expreſſimus: „ *Marii Nizolii* Brixellenſis de veris principiis & vera ratione philoſo„ phandi contra Pſeudophiloſophos libri IV. in quibus ſtatuuntur fermè „ omnia vera verarum artium & ſcientiarum principia, refutatis & re„ jectis propè omnibus dialecticorum & Metaphyſicorum principiis falſis, „ & præterea refutantur ferè omnes *Marci Antonii Majoragii* objectationes „ contra eundem *Nizolium* uſque in hunc diem editæ. Parmæ apud „ *Septimum Viottum* 1553. in 4to.“ An aliud quippiam in Philoſophia præſtiterit *Nizolius*, equidem ignoro: hoc tantùm didici, vertiſſe *Galeni* explicationem obſoletarum vocum *Hippocratis*. Liber ab eo recognitus, excuſus eſt Venetiis à *Juntis* cum operibus *Galeni* anno 1550. Fuit & alius Parmæ *Nizolius*, fortaſſe noſtro cognatus, poſterior tamen, profeſſione JCtus, cujus allegationes juris de Emphyteuſibus extant excuſæ Parmæ apud *Brudon* in quarto, 1603. Atque hæc quidem de autore non admodum curiosè inquirenti, ſe obtulerunt, quem credibile eſt eadem cum *Laurentio Valla* fortuna uſum, cui Grammatici nomen nocuit, effecitque, ne multum animis hominum movendis poſſet, idem jam antè *Petro Abælardo*, idem *Angelo Politiano*, *Ludovico Vives*, *Eraſmo*, *Andreæ Alciato*, atque ipſi *Jacobo Cujacio*, tum nuper *Salmaſio*, *Grotio*, &c. ab imperitis objectum eſt, & multa hujuſmodi peculiari in Grammaticos invectiva congeſſit homo licet ex inſtituto ac profeſſione ſua γραμματικώτατος *Maximilianus Sandæus*. Quæ quamvis inania deprehendantur, & revera nulli ſint magis Grammatici, quàm qui ſub venerabili Philoſophiæ titulo perpetuas logomachias ferunt, vulgi tamen animis ne nunc quidem ſatis eximi poſſunt. Sed & illud obſtitiſſe *Nizolii* progreſſibus vi-

detur, quod in Italia ſcripſit, in qua etiam nunc *Ariſtoteles* cum Scholaſticis addictius regnat. Quid enim *Franciſco Patricio*, quid *Cardano*, quid *Galileo*, quid Apologiſtæ ejus *Campanellæ*, quid ipſi *Joanni Franciſco Pico* evenerit, notius eſt, quàm ut recenſeri mereatur. Acceſſit illius ſeculi ratio, in quo veritas incipiebat tantùm velut per ruinam ſeſe oſtendere & ſcintillis quibuſdam emicare, inſtar facularum ignearum, quæ inter maculas ſolares nonnunquam ebulliunt, & favillarum, quæ cum fumo ſubvolant. Noſtro tempore largior lux; & vel hoc ſaltem in confeſſo eſt, *Ariſtotelem* errare poſſe.

IV. Nunc ad argumentum operis accedendum eſt, inſcripſit autem de veris principiis & vera ratione philoſophandi, titulo, fateor, magnificentiore quàm par eſt. Nihil aliud enim toto opere, quàm Logica quædam reformata & ad puram propriamque loquendi rationem revocata continetur, quæ quidem me autore vera libri inſcriptio eſſet, ſed nolui in alienis immutandis intempeſtivè ingeniosus eſſe. In Metaphyſicam paſſim invehitur, nec affert tamen quicquam, quod Metaphyſicæ principia convellat, niſi quatenus dialecticis cognata ſunt, neque uſpiam de uno & multo, de toto & parte, de eodem & diverſo, de neceſſario & contingente, de cauſa & effectu, de mutatione & duratione, atque aliis metaphyſicæ locis tractationem ſuſcipit. Rerum naturalium & mathematicarum nulla mentio, civilia vix frigidè attinguntur. Ut ita tam magnificæ inſcriptionis excuſationem nullam inveniam, niſi hanc unam: Logicam veram non tantum inſtrumentum eſſe, ſed & quodammodo principia ac veram philoſophandi rationem continere, quia generales illas regulas tradit, ex quibus vera falſaque dijudicari, adhibitisque ſolis definitionibus & experimentis omnes concluſiones demonſtrari poſſunt. Sed ſunto etiam non philoſophiæ, non ipſarum propoſitionum principia, veritatemque rerum non faciant, ſed oſtendant; attamen philoſophum facient, rectè philoſophandi principia erunt, quod *Nizolio* tuendo ſatis eſt.

V. Ita autem quod reliquum eſt præfationis partiemur, ut prius de uſu eorum quæ rectè *Nizolio* diſputata ſunt, deinde de erroribus ejus quibuſdam & exceſſibus, differamus. Uſus Nizolianarum meditationum ſcopum ſimul editionis hujus iteratæ continet, ut ita ei parti ſit paulo diligentiùs incumbendum. Duo autem mihi potiſſimum editione dignum *Nizolium* reddere viſa ſunt, dicendi ratio, & tempus autoris, dicendi ratio quia Philoſopho digna eſt; tempus autoris, quia autor noſtro dignus eſt, illo certè tempore quo vixit, meditationes ejuſmodi non niſi ſolidiſſimis & exquiſitiſſimis ingeniis obtigerunt. Dicendi ratio, quam ille non adhibet tantùm, ſed & perpetuò urget, ſolidiſſimis viris dudum digna viſa eſt, quæ paulatim velut poſtliminio in Scholas reducatur. Dicendi inquam ratio naturalis & propria ſimplex & perſpicua, & ab omni detorſione & fuco libera, & facilis & popularis, & e medio ſumta, & congrua rebus, & luce ſua juvans potiùs memoriam, quàm judicium

inani

inani & naſuto acumine confundens. Sed nobis ipſis danda hic opera eſt, ne in vitium incidamus quod reprehendimus, grandem nimirum & translatam & ampulloſam dictionem.

VI. Tres in univerſum laudes orationis mihi eſſe videntur: claritas, veritas & elegantia. Nam utilitas ipſarum potiùs rerum eſt. Clara eſt oratio cujus omnium vocabulorum ſignificationes notæ ſunt, tantum attendenti. Vera eſt oratio quæ ſentiente & medio rectè diſpoſito ſentietur: (nam claritatis menſura intellectus, veritatis ſenſus) quæ unica eſt, & veriſſima veritatis definitio, quicquid etiam hactenus ſit dictum, & ex qua omnes rectè judicandi Canones demonſtrari poſſunt. Sed hoc exponere alterius loci eſt, tantùm exemplo eam declarabimus. Hæc oratio: Roma ad Tiberim ſita eſt, ideo vera eſt, quia ut ſentiam quod dicit, nihil aliud requiritur, quàm ut ſentiens & medium rectè ſe habeat; ſentiens nimirum nec ſit cœcus, nec ſurdus, medium ſeu intervallum non ſit nimis grande. His poſitis, ſi ego ſim Romæ aut prope Romam, fiet ut videam eodem obtutu urbem & flumen, & ita urbem hanc eſſe ad hoc flumen, audiam verò urbem hanc dici Romam, fluvium Tiberin. Similiter in abſtractis, hæc oratio: binarius eſt par, vera eſt, quia ſi video (audio, tango, cogito) binarium, video unum & unum, (per definitionem binarii ex auditu lectuve perceptam) & nihil ultra; video igitur duas partes binarii totum abſolventes, unum & unum, eaſque inter ſe æquales, quia unum uni æquale eſt. Numerus autem cujus duæ partes totum abſolventes ſeu integrantes ſunt æquales dicitur Par (per definitionem Paris lectu audituve perceptam.) Ergo qui ſentiet propoſitum numerum eſſe binarium, ſentiet eſſe parem, & ideo propoſitam orationem eſſe veram. Elegans eſt oratio, quæ auditu lectuve jucunda eſt. Quum autem de oratione philoſophica, ſtyloque illi debito ſermo ſit nobis, elegantiam impræſentiarum prætermittemus, etſi fatemur eam ad attentionem procurandam, ad movendos animos, ad memoriam fortiùs, ut ſic dicam, imprægnandam, plurimum poſſe. Sola certitudinis ratio habenda eſt, quantam materia capit. Certitudo autem, etiamſi rigoroſiſſimus definitor accedat, nihil aliud eſſe comperietur, quàm claritas veritatis, ut ita vel ex ipſa certitudinis notione ſequatur orationis philoſophicæ, quippe certitudinem quærentis dotes eſſe claritatem & veritatem. Et verò manifeſtum eſt veritatem propoſitionis notam eſſe non poſſe, niſi ſignificatio vocabulorum ſit nota, id eſt (per definitionem claritatis) niſi ſit clara.

VII. Claritas eſt non verborum tantùm, ſed & conſtructionis. Nam ſi conſtructio clara non ſit, notum erit quidem, quid verba ſignificent ſimpliciter & per ſe ſumta, ſed non quid ſignificent hoc loco ad cætera relata. Sed in obſcuritate conſtructionis oratores potiùs & poëtæ, quàm philoſophi noſtri peccare ſolent, nobis igitur eſt de vocum per ſe ſumtarum potiùs claritate dicendum. Claritati, ſeu notitiæ ſignificationis, duo vitia oppoſita ſunt, obſcuritas, & ut ſic dicam nimia claritas ſeu ambi-

guitas, illic nulla ſignificatio nota eſt, hic plures ſimul apparent, ſed quæ ſit vera incertum eſt. Porrò claritas vocabuli ex duobus oritur, vel ex voce per ſe, vel ex circumſtantiis orationis. Claritas vocis per ſe rurſus duos habet fontes: originem & uſum. Origo autem vocis tandem in duo reſolvitur, uſum radicis, & analogiam ex radice factæ derivationis. Uſus eſt ſignificatio vocis communiter nota eadem lingua utentibus. Analogia eſt ſignificatio flexionis ſeu derivationis itidem nota eadem lingua utentibus v. g. Vocis Fatum, uſus vel ſignificatio nota eſt neceſſitas eventuum; ejuſdem origo componitur ex uſu radicis & analogia: radix eſt for, vel fari, radicis uſus eſt: dicere; analogia fati eſt: fatum, qua in lingua Latina ſignificatur participium perfectum paſſivum radicis, ut ita origine fatum idem ſit quod dictum. Plerumque autem uſus ex origine tropo quodam ortus eſt, quod & in exemplo propoſito patet, nam origine fatum idem eſt quod dictum, uſu idem eſt quod neceſſario eventurum; videamus igitur cujus dicta ſint neceſſario eventura, & manifeſtum eſt ad Dei ſolius dicta rem ſequi. Igitur fatum origine eſt dictum, hinc antonomaſia ſeu κατ' ἐξοχὴν dictum Dei, hinc porrò per ſynecdochen dictum Dei de futuris, ſeu decretum Dei, hinc denique metonymia cauſæ, neceſſariò eventurum, qui nunc vocis uſus eſt. Unde boni Grammatici, atque etiam Philoſophi eſt continuatis troporum ſoritis, ut ſic loquar, vocis uſum ex origine deducere poſſe. Qua in re artificem inprimis eſſe video *Julium Cæſarem Scaligerum*, cujus originum libri non exiguo etiam Philoſophiæ detrimento perierunt, niſi quatenus filius iis fortè in notis ad *Varronem* uſus eſt, qui tamen plerumque ab iis, quæ parens jam publicavit, & ſuis ſcriptis paſſim interſperſit, diſſentit. Sed ut in filii meditationibus plus eruditionis habemus, ita in parentis originationibus plus acuminis & philoſophiæ amiſimus. Cæterum in vocabulis adhibendis hæc regula tenenda eſt, ut ſi origo ab uſu diſſentit, uſum potiùs quàm originem in dicendo ſequamur, ſed uſu vel dubio vel non repugnante origini potiùs hæreamus. Si multiplex uſus eſt, danda opera eſt, ut vel abſtrahatur formalis aliqua ſignificatio quam vocant, id eſt, ut detur ſignificatio vocis, quæ omnes uſitatas in ſe continet, in quo laborare ſolent Theologi, inprimis ſcripturarum Hebraicarum interpretes, quos inter hac ſenſuum venatione excellebat *Samuel Bohlius*; vel ſi illud fieri non poteſt, ſaltem conſtituatur uſus aliquis, ut ſic loquar, originarius, id eſt, ex quo ſic fluant uſus cæteri, quemadmodum ex origine fluxit ipſe, nempe per canales troporum. Danda tamen in uſu originario conſtituendo opera eſt, ut ſit ſignificatio formalis, ſaltem plerorumque uſuum, quoad ejus fieri poteſt, ex qua cæteri uſus deducantur. Sed in utroque, tam uſu originario, quàm ſignificatione formali deligendis, illud maximè diſpiciendum eſt, ut ex pluribus ſe offerentibus eligatur propior origini vocis. Electa autem ſemel ſignificatio ſi locus fert redigenda in definitionem (definitio enim nihil aliud eſt, quàm ſignificatio verbis expreſſa; ſeu brevius,

vius, ſignificatio ſignificata) & auditori lectorive proponenda eſt. In definiendo non id ſolum curandum eſt, ut definitio ſit reciprocè vera, ſed &, ut ſit clara.

VIII. Termini igitur technici cane pejus & angue fugiendi ſunt, & abſtinendum inprimis illis prædicamentorum vocabulis plerumque ab uſu Latinæ linguæ remotiſſimis. Conſtitutæ ſemel definitioni conſtantiſſimè inſiſtendum eſt, ita ut ubique etiamſi definitionem definito ſubſtitueres nulla locutio abſurda ſequatur; ſed etſi definitionem nullam præmiſeris, debet tamen uniformis eſſe vocis uſus, ita ut eadem utrobique definitio ſubſtitui poſſit. Atque ita patet dato vocabulo quæ adhibenda ſit ſignificatio, videamus, & contra: datæ ſignificationi quod adhibendum ſit vocabulum. Qua in re & compendii & claritatis ratio habenda eſt. Claritas autem maxima eſt in Terminis e medio ſumtis, uſu etiam populari retento; obſcuritas ſemper aliqua in Technicis. Terminum (liceat enim hoc ſenſu Termini nomine uti, ut ſignificet vocem quatenus ſignificata eſt, niſi vocabuli nomen ſubſtituere mavelis, quod me quidem non invito fiet) popularem, voco quum vox & ſignificatio uſitata eſt, technicum, quum vel vox vel ſignificatio privata (ſeu certo homini vel hominum generi propria) eſt.

IX. Si ipſa vox privata eſt, ſequitur, ut facta ſit per quandam ἐπιστροφίαν, qualia ſunt pleraque vocabula *der Rothwelſchen Sprache*, cujus Lexicon in compendio habet *Geſnerus* in *Mithridate*. Eſt autem in hoc vocabulificio illud imprimis attendendum, ut non caſu quaſi & arbitrario animi impetu, ſed ratione quadam efformetur, ratio autem quo aptior, hoc laudabilior. Ratio formandi aptitudinem habet tum a radice, tum a modo formandi; radix debet eſſe uſitata, & rei quam novo vocabulo deſignare contendimus, quantum fieri poteſt propinqua, analogia debet eſſe & uſitata & apta, ita ut ex ſignificatione radicis & analogiæ conflari vocabuli novi definitio quam intendimus, poſſit. v. g. Hæcceitas non habet analogiam uſitatam, melior eſſet: hoccitas, (vel hoccimonia) uti quidditas, non quædeitas. Jam ex hoccitatis radice & analogia conflari ejus definitio poteſt, nam hoccitatis radix eſt hoc; analogia, itas. Analogia autem iſta ſeu derivandi ratio ſignificat rationem appellationis in radice, ſeu qualitatem radicis quatenus talis eſt, qualis eſſe dicitur, erit igitur hoccitas ratio cur aliquid dicatur hoc (uti qualitatem definit *Ariſtoteles*, a qua dicimur quales) vel qualitas hujus quatenus hoc eſt. Nec mirum eſt abſtracta definiri per concreta, quia concreta ſunt notiora. Sin verò non vox ſed ſignificatio ſit nova, attendendum eſt, tum an ſignificatio quodammodo congruat voci, id eſt ope troporum vel ex uſu ejus communi, vel ſaltem ex origine deduci poſſit; tum an non haberi potuerit vox congruentior? Exemplis omnia illuſtranda eſſent, ſi eſſet inſtituti mei perſequi magis talia, quàm monere.

X. Porrò terminis technicis, ut dixi, planè carendum, ab iiſque

cavendum eſt, quoad ejus fieri poteſt, fieri autem ſemper non poteſt, prolixitatis cauſa, quæ oritura eſſet, ſi utendum eſſet ſemper vocabulis popularibus. Nam exempli cauſa: Quadratum eſt quadrilaterum, æquilaterum, rectangulum; ſed æquilateri, quadrilateri & rectanguli vox (ut planum præteream) rurſus eſt technica, reſolvatur igitur: æquilaterum eſt cujus omnia latera ſunt æqualia, quadrilaterum eſt cujus tantùm quatuor ſunt latera: Latus eſt linea terminans. Rectangulum eſt, cujus omnes anguli ſunt recti, angulus eſt concurſus linearum, rectus eſt qui utrinque æqualis eſt. Ergo ſi terminis technicis abſtinendum eſt, pro Quadrati voce adhibendæ ſemper eſſent hæ voces ſimul: id cujus omnes lineæ terminantes ſunt æquales, & cujus tantùm quatuor ſunt lineæ terminantes, & omnes concurſus lineæ terminantis ad lineam terminantem utrinque æquales. Et tamen, ſi rigoroſius agendum eſt, etiam, & lineæ, & termini, & concurſus, & æqualitatis vocabula eſſent ulterius reſolvenda, nam ut in uſu ſunt, exactè Geometrarum conceptibus non quadrant, quemadmodum nec vox quadrati, quæ tum origine tum uſu communi omni quadrilatero tribui poteſt, quum Geometræ per antonomaſiam ſoli tribuant æquilatero rectangulo, tanquam perfectiſſimo, quàm verò moleſtum, quàm ineptum futurum ſit in loquendo & demonſtrando pro Quadrati voce tot ſemper aliis vocibus uti, credo etiam cæcum videre, addi poſſunt, quæ in arte combinatoria paſſim dixi. Quamquam igitur iſtis reſolutionibus terminorum technicorum in merè populares, ſolidaretur judicium, unde etiam in perfecta demonſtratione nihil ſit aliud, quàm talis in ultima & notiſſima reſolutio, ſubjecti nimirum & prædicati in definitiones, & terminorum definitionem ingredientium rurſus in definitiones, (ſive omnis ea reſolutio fiat uno loco, ſive aliis definitionibus aut demonſtrationibus noſtris, alteriuſve ſcriptoris, cujus uſum vocabulorum noſtrum facimus, jam facta ſit, ad quas remittimus) tamen obrueretur memoria; neceſſe igitur fuit technicos terminos earum rerum excogitare, quibus populus, vel quia non animadvertit, ut Lineam Quadratricem, vel quia rarò utitur, ut Hyperbola & Parabola, peculiaria nomina non impoſuit, ſufficere credens, ſi fortè tandem aliquando uſus poſceret, circumſcriptione deſignare. Et quidem veriſſimum eſt, nullam rem eſſe, quæ non explicari terminis popularibus, ſaltem pluribus, poſſit. Unde rectè *Nizolius* noſter paſſim urget, id pro nullo, pro commentitio, & inutili, habendum eſſe, cui non in lingua communi aliqua vox ſaltem generalis, (id eſt, ut ego interpretor, quæ cum aliis itidem generalibus juncta ſpeciatim tandem rem exprimere poſſit) ſit impoſita.

XI. Nam philoſophi plebeiis non ſemper in eo præſtant, quòd alias res ſentiant, ſed quòd ſentiant alio modo, id eſt oculo mentis, & cum reflexione ſeu attentione, & rerum cum aliis comparatione; attentio autem hominum ad aliquam rem non potuit meliùs excitari, quàm certo vocabulo impoſito, quod nota eſſet memoriæ mihi ipſi, ſignum judicii erga

erga alios. De cætero tantum abeſt, ut Philoſophi res abſtruſiores & nobiliores ſentiant, quàm homines cæteri, ut potiùs contra, antequam incomparabilis *Verulamius*, aliique præclari viri philoſophiam ex aëris divagationibus aut etiam ſpatio imaginario, ad terram hanc noſtram & uſum vitæ revocarunt, ſæpe ciniflo aliquis Alchymiſta ſolidiores & præclariores de rerum natura comprehenſiones habuerit, quàm philoſophaſter quiſpiam, (neque enim negamus etiam inter Philoſophos, eos præſertim, qui ex *Ariſtotelis* & veterum fontibus potiùs, quàm lacunis ſcholaſticorum ſua hauſerunt, viros ſolidè & ad uſum doctos complures ſuperfuiſſe) intra clauſtra ſolis ſive hæcceitatibus, ſive hoccitatibus incumbens. Philoſophi igitur ſæpe non ſentiunt, niſi quæ & alii ſenſere, ſentiunt tamen cum attentione, quæ alii neglexere. Ita *Joachimus Jungius* Hamburgenſis, vir verè philoſophus, plurimas inſectorum ſpecies multis haud dubiè mortalibus viſas, ſed ab omnibus hactenus præteritas & pede calcatas, obſervavit, collegit, digeſſit, comparavit inter ſe, & ex illa comparatione nomina etiam nova impoſuit. Cujus hæc & alia meditata a Clariſſimo *Vogelio* quàm primùm ſperamus editum iri. Nonnunquam tamen fateor, & philoſophi ſentiunt corpora aut corporum qualitates, quas alii nunquam ſenſere; ita Chymici ſæpiſſimè nova hactenus ignorata corpora variis mixtionibus reſolutionibusque producunt; idem fit compoſitionibus Medicorum, quibus etiam ſæpe ab autore nomen imponi ſolet, majore ad perennitatem nominis efficacia, quàm ſi ex ſolido adamante ſtatua illi cum elogio collocata eſſet. Qualitates quoque novas, ut ignotos hactenus colores plurimos, haud dubiè vidit, qui primus microſcopio uſus eſt. His igitur caſibus nomina vel nova formanda, vel vetera tropis quibuſdam a relatione rei qualitatiſve novæ ad veteres, petitis, huc accommodanda ſunt.

XII. Illud igitur pro certo habendum eſt, quicquid terminis popularibus explicari non poteſt, niſi immediato ſenſu conſtet (qualia ſunt multa genera colorum, odorum, ſaporum) eſſe nullum, & a philoſophia velut piaculari quodam carmine arcendum. Unde philoſophis quibuſdam ingenioſis mos eſt egregios illos diſputatores dialecticos ad hoc urgere, ut vel omnes terminos ſuos clarè explicent, vel ſi hanc moleſtiam ſubterfugere velint, deſcendant ad linguam aliquam vivam ſeu popularem, ac tentent in ea animi ſenſa exponere; quo facto mirum eſt, quam vel conſternentur illi, vel ſi rem tentent, a præſentibus viris judicio atque experientia præditis, Latinæ tamen linguæ non admodum curioſis, irrideantur. Ego certè ea ratione factum eſſe arbitror, ut in Anglia Galliaque paullatim ſcholaſtica philoſophandi ratio exoleverit, quia jam dudum illæ gentes philoſophiam ſua lingua excolere cœperunt, ut ipſi plebi quodammodo, atque etiam fœminis aditus de talibus judicandi ſit factus. Idem haud dubiè factum eſſet apud Italos, niſi ibi Theologi ſcholaſtici cognatis ſibi philoſophis ſubſidio veniſſent. In Germania inter alias cauſas,

ideo

ideo fixior eſt ſcholaſtica Philoſophia, quòd ſerò, & ne nunc quidem ſatis, germanicè philoſophari cœptum eſt.

XIII. Illud tamen aſſerere auſim, huic tentamento probatorio atque examini philoſophematum per linguam aliquam vivam, nullam eſſe in Europa linguam Germanicâ aptiorem; quia Germanica in realibus pleniſſima eſt & perfectiſſima, ad invidiam omnium cæterarum, quum artes reales & mechanicæ a multis ſeculis a nulla gente ſint diligentius excultæ, uſque adeo ut ipſi Turcæ in fodinis Græciæ & Aſiæ minoris, vocabulis metallicis Germanorum utantur. Contra ad commentitia exprimenda lingua Germanica eſt facilè ineptiſſima, longè quidem Gallica Italicaque & cæteris Latinæ propaginibus ineptior; quia in Latinæ filiabus, voce Latino-barbara leviter inflexa ſtatim fit Gallica aut Italica non-barbara, unde & multa philoſophiæ ſcholaſticæ in Gallicum quomodocunque tamen tranſlata habentur; at in Germania nemo hactenus tale quicquam, niſi omnium ſibilis exceptus, tentavit. Sed ſi terminos Latinos retinere aut detorquere voluiſſet aliquis, hoc jam erat non Germanicè ſed Latinè philoſophare, nec habuiſſet ullum uſum nec intellectum fuiſſet a quoquam Latinitatis imperito, quia Germanica a Latina toto cœlo diſtat, quod ſecus eſt in Italica Gallicaque. Atque hæc cauſa fuit philoſophiæ apud nos ſeriùs vernaculo ſermone tractatæ, quia Lingua Germanica non a philoſophia quidem, a barbara tamen philoſophia abhorruit, quum verò barbara philoſophandi ratio ſerò ſit pulſa, mirum etiam non eſt, tardigradam in philoſophando noſtram linguam fuiſſe.

XIV. Quod de Germanica, idem de Germanicæ filiabus Suedica, Danica, Anglica, Belgica, dicendum eſt, niſi quod Belgicam atque Anglicam in admittendis aliarum linguarum vocabulis ipſa vicinitas audaciores fecit, quum contra apud Germanos, tametſi Scholaſticaſtri quidam, aut peregrinatorculi meris Latiniſmis, Italiciſmis & Galliciſmis perſtrepant, uſus tamen & virorum gravium, & plebis talia reſpuat. Slavonicam linguam huc non affero, quia in realibus ipſis ſatis plena non eſt, & plerasque res mechanicas aut importatas Germanicis vocabulis nuncupat. Illud verò prætereundum non eſt loco, quod *Thomas Hobbes* pro ſueto ſibi ingenii acumine obſervavit, apud eas gentes, quibus mos eſt verbum ſubſtantivum: Eſt, perpetua ellipſi ſubintelligere, quales ſunt nonnullæ Orientales, magnam partem philoſophiæ barbaræ, aut non omnino, aut ægerrimè exprimi poſſe; quum tamen eæ gentes non ſint minùs quàm cæteræ aptæ ad philoſophandum, & lingua alioquin in rebus ipſis copioſa cultaque utantur. Sed a digreſſione in viam regrediendum eſt.

XV. Quum igitur conſtet, eas res eſſe nullas, quæ popularibus terminis explicari non poſſunt, conſtet etiam tanto clariorem eſſe orationem, quanto termini ſunt populariores, niſi fortè nimis multiplicatis ea ratione vocabulis, jam ex alio capite tædium, oblivio, & ſic obſcuritas naſcatur, manifeſtum eſt normam ac menſuram adhibendorum terminorum

eſſe

eſſe debere, compendioſiſſimam popularitatem, vel populariſſimum compendium. Quandocunque igitur termini populares ſuppetunt æquè compendioſi, abſtinendum eſt terminis technicis. Eſt profectò hæc una ex regulis fundamentalibus ſtyli philoſophici, in quam paſſim impingitur, præſertim a Metaphyſicis & Dialecticis; nam res ipſæ Dialecticæ & Metaphyſicæ pleræque, creberrimè in ſermonibus, ſcriptis, cogitationibus etiam plebeiis occurrunt, & in omni vita paſſim teruntur. Hinc factum eſt, ut ipſa crebritate admonita gens, peculiaribus, uſitatis maximè naturalibus & compendioſis vocabulis, talia deſignaverit; quæ quum ſuppetant, peccatum eſt novis plerumque etiam incommodioribus conflictis (ut de ipſa ſæpe in fingendo admiſſa ineptitudine nihil dicam) res obſcurare, ſe verò imperitis tantùm admirabiles, cæteris ridiculos reddere. Par eſt ratio in moralibus, civilibus, & juridicis. Quæ quum itidem ſint omnium intellectui expoſita, a novis terminis conflictis, rarò in illis quicquam præter tenebras ſperandum eſt; rarò, inquam, nam & illud fateor nullam eſſe ſcientiam, in qua non terminis technicis ſit opus, tunc nimirum quum plebs rem aut non ſenſit, aut ſine attentione rurſus dimiſit. In Mathematicis autem, Phyſicis & Mechanicis maximè novis terminis aut novè ſumtis opus eſt, quæ, in his diſciplinis tractantur, pleraque non ſunt ſtatim ſenſui obvia, aut in uſu communi crebro verſantia. Producuntur enim eæ res, aut deteguntur qualitates, variis rerum in partes divitionibus, mutationibus, motibus, additionibus, detractionibus, translocationibus, commixtionibus, & omnino experimentorum induſtriis, quæ vulgus niſi neceſſitate coactum, facere non ſolet, artifici cujuſvis ſcientiæ talia relinquens. Sed etſi termini technici parum ſint popularibus compendioſiores, notabile tamen tædii aut memoriæ levamentum hinc non oriatur, manifeſtum eſt itidem technicis in philoſophando utilius abſtineri.

XVI. Eſt tamen inter philoſophandi modos diſcrimen ingens, alius enim eſt, ut ſic dicam, Acroamaticus, alius Exotericus. Acroamaticus eſt, in quo omnia demonſtrantur, Exotericus, in quo quædam ſine demonſtratione dicuntur, confirmantur tamen congruentiis quibuſdam & rationibus topicis, vel etiam demonſtratoriis, ſed non niſi topicè propoſitis; illuſtrantur exemplis & ſimilitudinibus, tale dicendi genus dogmaticum quidem ſeu philoſophicum eſt, acroamaticum tamen non eſt, id eſt, non rigoroſiſſimum, non exactiſſimum. Atque iſta differentia etiam apud Mathematicos obſervatur. Diſtinguunt enim a Demonſtrationibus ſcholia, demonſtrationes rigoroſiſſimè & acroamaticè, ſcholia paulo familiariùs atque exoterica quadam ratione tractantur, quod vel ex ſolo *Proclo* in *Euclidem* patet, qui in ſcholiis hiſtorica quædam & quicquid rei illuſtrandæ facit, inſpergere non dubitat. Gemina huic diſtinctioni diſtinctio eſt inter præcepta & commentaria, quam *Bartholomæo Keckermanno* & *Johanni Henrico Alſtedio* utiliter placuiſſe video,

& tenuit quoque vir ſummæ doctrinæ *Gerhardus Johannes Voſſius* in ſuis artium liberalium ac popularium partitionibus. Uſus hujus diſcriminis eſt, ut non interrupto definitionum, diviſionum & demonſtrationum curſu interſerere tamen nonnulla ſcitu digna aut etiam profutura liceat. Quæcunque igitur de ſtyli philoſophici ratione dicta ſunt, de parte Acroamatica dicta ſunto. In Exoterica parum luxuriari liceat, ut ſi certitudini aliquid, claritati tamen nihil aut parum decedat. Acroamatica autem pars conſtat ut dixi, definitionibus, diviſionibus & demonſtrationibus, quanquam diviſionibus ſuperſederi poſſit, quemadmodum *Euclides* illis caruit, utiliter tamen adhibentur, ſaltem ad definitiones inter ſe ordinatè connectendas, propoſitiones enim non diviſionibus, ſed demonſtrationibus connecti debent. Quicunque igitur accurate definire aut dividere, & demonſtrare ſeu certam quandam propoſitionem reddere profitetur, rigoroſiſſimè ſe gerere, nec re, nec vocem niſi definitam, aut propoſitionem niſi demonſtratam aut immediato ſenſu certam in demonſtrando adhibere debet. De cætero liceat fortaſſe acutas nonnunquam alluſiones, ſimilitudines, metaphoras, exempla, argutias, hiſtorias inſpergere & lectoris feſſi animum jucunditatis interſtitio recreare, ſic tamen, ut tunc quoque omnis obſcuritas, omnis translationum nimietas vitetur.

XVII. Illud quoque hoc loco admonitu dignum viſum eſt, quia vulgo contra ſentiunt inter accuratè philoſophandum concretis tantùm utendum eſſe; idque ipſam *Ariſtotelem* pleruinque feciſſe video; ποσον, ποιὸν, τὰ πρός τι potiùs ipſi in ore ſunt, quàm ποσότης, ποιότης, σχέσις, ſeu ſi ſic loqui fas eſſet, πρωτινότης; id vulgo ſectatores excuſant, quaſi pinguius factum, ac ſe ſi diis placet, acutiores ſomniant, quum omnia abſtractis complent; quum contra pro certo compertum ſit iſtam abſtracta vocabula excogitandi libidinem pene totam nobis philoſophiam obſcuraſſe, quibus tamen carere in philoſophando prorſus poteſt. Nam concreta verè res ſunt, abſtracta non ſunt res, ſed rerum modi, modi autem nihil aliud ſunt quàm relationes rei ad intellectum, ſeu apparendi facultates. Et verò datur modorum in infinitum replicatio, & qualitatum qualitates & numeri numerorum, quæ ſi omnia res ſunt non infinitas tantùm, ſed & contradictio oritur. Nam ſi entitas ens eſt, ſi realitas res eſt, ſi aliquiditas aliquid eſt, idem erit forma ſui ipſius ſeu pars conceptûs ſui quod implicat. Si quis igitur aliquando Elementa Philoſophiæ perfectè conſtituturus eſt, eum abſtractis prope penitus abſtinere neceſſe eſt. Recordor quidem acutiſſimum *Hobbeſium* abſtractis aliquam utilitatem tribuere, idque eo potiſſimum argumento, quod exempli cauſa aliud ſit duplicare calida, aliud duplicare calorem. Verùm hæc ipſa caloris duplicatio terminis concretis efferri poteſt, nam ſi dicam eandem rem duplo calidiorem eſſe factam, jam intelligetur non calida, ſed calorem duplicatum eſſe. Terminorum igitur abſtra-

abſtractorum nunquam ego, ut verum fatear, ullum in philoſophandi rigoroſo genere uſum magnopere comperi, abuſus verò multos & magnos, & valdè perniciosos. At in exoterica dicendi ratione credo abſtracta adhibita tempeſtivè, uſu ſuo non carere, acuere enim inprimis ſententias, & figere quaſi attentionem lectoris, ac de cæteris cogitationibus impræſentiarum dimittendis admonere; more ſecundarum notionum, quibus cur abſtracta æquiparem cauſas habeo multas & graves. Nam in univerſum ita ſentio, ſubſtituere abſtracta concretis, & pro hac propoſitione: homo eſt rationalis, ſubſtituere illam: homo habet rationalitatem, aut: cui ineſt humanitas, illi ineſt rationalitas, aut: humanitate rationalitas continetur, eſſe non tantùm tropicum, ſed & ſuperfluum; ac perinde eſſe, ac ſi quis loco ejuſdem propoſitionis, diceret: certum eſt, verum eſt, non eſt dubitandum; quiſquis attendet, ſentiet, idea hominis menti meæ per ſenſum impreſſa confirmat, hominem eſſe rationalem; quæ variandi genera rei nihil addentia præter relationem ad mentem ad illuſtrandum inculcandumque poſſunt aliquid, ad accuratè philoſophandum, ad definiendum, dividendum & demonſtrandum nihil.

XVIII. Hactenus oſtenſum eſt terminis technicis abſtinendum eſſe, quoad ejus fieri poteſt; nunc illud attendendum eſt, ſive popularibus, ſive technicis utamur, tropos tamen aut nullos aut exiguos aptoſque eſſe debere. Quod a Scholaſticis parum eſt obſervatum, nam, quod quis miretur, eorum oratio tropis ſcatet. Quid enim aliud quàm tropica ſunt dependere, inhærere, emanare, influere. Cujus poſtremi vocabuli inventione mirè ſe effert *Suarez*. Quum enim Scholaſtici ante eum dudum in generali cauſæ notione venanda ſudaſſent, nec verba illis commoda ſuccurrerent, *Suarez* non quidem ingenioſior, tamen audacior fuit, & adhibito callidè influxus vocabulo, cauſam definivit: quod influit eſſe in aliud, barbarè ſatis & obſcurè; nam & inepta conſtructio eſt, qua influere ex neutro fit activum; & metaphoricum eſt iſtud influere, & obſcurius ipſo definito: faciliore enim negotio cauſæ quàm influxûs vocem tam monſtrosè acceptam definire ſperarim. Illud denique obſervandum, quod & jam tum paſſim monuimus originis vocis, præſertim quum certa eſt, qua pote, inſiſtendum. Sanè verum eſt, omnem originariam vocis ſignificationem eſſe propriam, neque enim video qui per tropum ex alio translatus dici poſſit; ſed tamen illud fatcor quandam ſignificationem eſſe propriam, quæ non ſit originaria, quod & rectè obſervavit Cl. *Brunſmannus* in iis, quæ de propria & translata ſignificatione nuper peculiari opera commentatus eſt. Quibus ejus cogitatis tamen illud adjicio: omnem ſignificationem non originariam aliquando fuiſſe translatam, eo nimirum tempore, quo primum vox a primigenia ſignificatione ad alias troporum adminiculo promota eſt; factam verò tandem propriam, quum primum ita vulgaris

facta eſt, ut æquè ſit nota, aut notior etiam nativa; & jam homines non propter flexiones a nativa factam, cujus ſæpe ne recordantur quidem, ſed per ſe voce ſic utantur. Interea ſi quis deſtinato conſilio ſibi proponeret, vocibus quarum certa originatio eſt, perpetuò inter philoſophandum non aliter uti, quàm origo poſtulat ejus conſuetudo nec illaudabilis nec aſpernanda foret, etſi difficilè cenſeam hoc conſtanter exequi. Ita ſatis, opinor, fusè, pro inſtituti ratione de claritate vocabuli per ſe dictum eſt.

XIX. Claritas verò, quæ ex circumſtantiis ſumitur, ſumitur vel ex ipſa oratione, vel extrinſecus. Si ex ipſius orationis circumſtantiis ſumitur, erit claritas, ſi non vocabuli per ſe, tamen orationis per ſe. Quod fit, quum ex ipſa oratione apparet materia ſubjecta de qua agitur, & quum materia ſubjecta tollit ambiguitatem; Nam ſi de urſa, plauſtro, cane, lyra, loquitur is, cujus reliqua oratio in aſtronomicis conſumitur, facilè tollitur ambiguitas. Item ſi præmiſſa eſt definitio vocabuli, eo ipſo obſcuritas ſublata eſt. Sed ſi per multas demum conjecturas, licet ex ipſa oratione ſumtas, ſignificatio venanda eſt, longè infra claritatis laudem ſubſidit. Si verò ex ipſis extrinſecis circumſtantiis colligendus demum ſenſus eſt lectori & auditori, jam per ſe obſcura eſt oratio. Obſcura autem oratio fortaſſe alicui prophetæ, aut ebuccinato i miraculorum Alchymiſtæ, aut oraculo Delphico, aut etiam theologo myſtico, aut ænigmatographo poetæ convenerit, à philoſopho nihil poteſt eſſe alienius.

XX. Equidem non ignoro & philoſophos Ægyptiorum veteres, & Sinenſium, qui Ægyptiorum colonia eſſe videntur, hodiernos; & omnino orientales, &, qui eos ſequutus eſt *Pythagoram* apud Græcos; apud Latinos autem & Arabes, Chemicos; ænigmatibus ſua occuluiſſe. Quod eorum conſilium non poteſt uſquequaque improbari, neque enim omnia omnibus proſtituenda ſunt, & qui poſtea philoſophi artium, medicæ imprimis & mathematicæ myſteria in vulgus exire paſſi ſunt rem à prudentia civili alienam fecerunt; poterant enim his velut inſtrumentis uti ad liberandas à tyrannide patrias & conſtituendas Ariſtocratias: & nemo prudens *Lazarum Riverium*, vel *Antonium Mariam Rheitam Schyrlæum*, Capucinum culpaverit obſcuritatis, quod ille certam quandam compoſitionem medicam, hic tuborum opticorum magis magiſque perficiendorum compendium à ſe repertum ænigmatis nube ſepiverunt. In philoſophando tamen accuratè, id eſt in definiendo, dividendo & demonſtrando, diſpellendas eſſe omnes illas nebulas, non eſt dubitandum. Licebat Philoſophis vel lingua quadam peculiari, quod de Ægyptiis & Hetruſcis ſacerdotibus fertur; vel ſcriptura ſaltem, quod nunc faciunt Sinenſes, ſua occulere, dummodo in hac ipſa lingua, in hac ipſa Scriptura, ipſi ſaltem inter ſe, clarè accurateque philoſophati eſſent, nec nunc intromiſſis in adyta, appareret vaſta re-

bus

Digitized by Google

bus utilibus & egena ſolitudo, quodque de templo Hieroſolymitano *Tacitus* ait, inania arcana, quod de orientalium philoſophia verum eſſe magis magiſque detegitur. Ita explicata eſt una laudum orationis Philoſophicæ: claritas. Elegantiam aliorſum ablegavimus. Lege ſis interim *Quærengum* de Eloquentia Philoſophi.

XXI. Sola veritas reſidua eſt, ſed de hujus comparandæ ac confirmandæ ratione; deque omni inveniendi & judicandi artificio præcepta tradere ad Logicum pertinet, qui tamen illa accurata claritate verborum inquirendi ac morosè cuncta diſcutiendi neceſſario alioquin onere, mirificè levatur. Nam ſi nulla vox adhibetur, niſi clara & certæ definitæque ſignificationis, omnis æquivocatio exulet neceſſe eſt, qua ſemel pulſa ingens ſophiſmatum agmen ſimul evaneſcet; nec quicquam ferè ad ſolidè judicandum ſupererit, quàm ut ſenſus ab erroribus, ſenſorio ac medio rectè conſtitutis, intellectus verò obſervatis ſolis conſequentiarum regulis, præſerventur. Quæ quum ita ſint, parum abeſt, quin credam, uti Rhetoricæ duæ ſunt partes, una de verbis eleganter, ornatè & efficaciter ſtruendis, altera de movendis affectibus; ita ſimiliter Logicæ duas eſſe partes, unam verbalem, alteram realem: unam de claro diſtincto & proprio verborum uſu, ſeu de ſtilo philoſophico; alteram de regendis cogitationibus. Nam Grammatica, ut loquamur purè, & ex uſu gentis, nos docet; Rhetorica, ut aptè ad movendos affectus; Logica, ut aptè ad movendam mentem dicamus. Quemadmodum igitur illi non probantur, qui Oratoriam a Rhetorica divellunt, oratoriam de movendis affectibus, Rhetoricam de elegantia dictionis præſcribere jubent; quod faciunt Ramiſtæ quidam aut Semi-Ramiſtæ, viri cætera doctiſſimi, *Keckermannus*, *Alſtedius*, *Conr. Dietericus*, *Caſpar. Bartholinus*; quemadmodum, inquam, illi non probantur, quum ita implexus ſit verbis omnis cogitandi volendique actus, ut vix unquam niſi tacito intra nos verborum uſu fiat; quum verba ſint proximum cogitandi inſtrumentum; docendi autem cogitata noſtra prope unicum; quum denique iiſdem regulis ſimul & movendorum affectuum, regendarumque cogitationum ratio, &, quibus prope ſolis id fit, verborum ad hoc aptè collocandorum præcepta contineantur; ita non improbandum arbitror, qui ſimul & de cogitandi præceptis, & genere dicendi ad docendum apto tractare ad Logici partes pertinere tuebitur. Quare nec *Nizolius* peccavit, quod in Logica tractatione dicendi rationem exactam paſſim urget, nec fortaſſe, qui ante *Nizolium* eo de argumento tam in omni Encyclopædiæ parte neceſſario, paulo fuſiùs præfati ſumus. Inprimis quum eo potiſſimum fine *Nizolium* ediderimus, ut, vel alieno labore contribueremus aliquid ad philoſophiæ ſolidioris inſtaurationem, quæ nunc tot ubique ſummis ingeniis continentibus tam pulchrè procedit, adjuvandam. Speramus enim à lectione hujus *Nizolianæ* commentationis non mediocrem fructum in rem philoſophicam redundare poſſe, vel ideo, ut homines

ſobrio illi, ac proprio & nativo, ac verè philoſophico dicendi generi magis magiſque aſſuefiant; præſertim quum nemo mihi quidem ſcriptor notus ſit, qui pari zelo, diligentiâ, atque etiam, ſi attentè legatur, efficaciâ, in eam rem incubuerit, ut omnes illæ verborum ſpinæ ex agro philoſophico funditùs evellantur. Quod quidem in parte Logica atque ipſo philoſophiæ veſtibulo ſic ſatis præſtitiſſe mihi videtur, dummodo exiſtant, quod fore non deſperamus in hac florentium paſſim egregiorum ingeniorum ubertate, qui cœptum ſemel laborem perſequantur, ac reliquas philoſophiæ partes metaphyſicam, phyſicam generalem, philoſophiam civilem ac veram juriſprudentiam à terminorum implexis ſentibus eadem ratione purgent; polliceremur de nobis aliquid, niſi partim aliis ſtudiis diſtraheremur, partim timeremus materiam aliis præripere, aptiùs omnia præſtituris.

XXII. Cæterùm quod *Nizolium* dixi præ cæteris aliquid in hoc genere præſtitiſſe, id tueri non vereor. Nam illuſtres illi philoſophiæ inſtauratores hodierni in eo potiùs occupantur, ut ſua ſibi inventa & cogitata præclarè conſtituant atque exornent, quàm ut vetera & in ſcholis recepta *Ariſtotelis* ſcholaſticorum tradita, poliant, ac purgent. Quum tamen non ſit è re philoſophiæ vetera prorſus abjicere, ſed emendare potiùs, & quod egregium eſt, qualia certè ſunt innumera, & præſertim quæ ipſo *Ariſtotelis* textu continentur, tolerare.

XXIII. Deinde fateor de dictione philoſophorum vulgarium barbara abolenda, monuiſſe, conſuluiſſe, declamaſſe multos, rem ipſam verò, quod fecit *Nizolius*, aggreſſos eſſe paucos, quia facilius ſcilicet eſt, carpere quàm emendare. Sanè quum primùm literæ reſtaurari cœptæ ſunt, eruditi in philoſophos ſcholaſticos intonuere; contrà Scholaſtici ſe reales vocabant, illos poetarum & grammaticorum titulo ab interiore rerum cognitione arcebant. Et memini videre aliquando ſcriptum cujuſdam ex illo grege theologi: hoc titulo: *Johannis Scici* Apologia, quòd Theologia non ſit fundata ſuper Poeſi, quaſi ſcilicet quiſquam hoc ſomniaſſet. Sed interea dum iſti fulminant, eruditi aulas magnatum paulatim occuparunt. *Laurentium* certè *Vallam* ſolus favor regius ab hæreſeos commendatione defendit, ut de *Leonis X.* & *Franciſci I.* Galliæ Regis in literatos propenſione nihil dicam, quæ profligandæ barbariæ multum potuit. Jam ante *Vallam*, princeps DANTES *Aligerius* Florentinus meliores literas velut ab inferis revocavit; hujus diſcipulus *Franciſcus Petrarcha* primum in philoſophia civili quippe capaciore elegantiam expertus eſt, qua in re *Franciſcum Philelphum*, *Poggium Florentinum*, *Leonardum Aretinum*, alioſque ſuccenturiatos habuit. Ut *Valla* majore vir ingenio ſpinas ſcholaſticorum primus calcare aggreſſus eſt, ac dialecticam conſcripſit ingenio ſuo dignam, JCtos etiam libello de inſignibus & armis, contra *Bartolum*, Theologos libello de libero arbitrio, contra *Boethium* laceſſere auſus. Tunc verò philoſophiæ ſimul & eloquentiæ exquiſitiori è Græcia ſubſidio

Digitized by Google

dio venere *Theodorus Gaza*, *Georgius Trapezuntius*, *Emanuel Chryſoloras* & *Beſſario* poſtea Cardinalis. Et licet *Gaza* & *Trapezuntius* Ariſtotelem græcum reſuſcitantes, pugnarent inter ſe, *Beſſario* autem Platonicus cum utroque; in Barbaros tamen æquali animi impetu itum eſt. Ab his inſtructi *Johannes Picus de Mirandula*, ſui ævi phœnix, Aſtrologorum hoſtis, *Hermolaus Barbarus* ἐντελεχίας interpres, *Nicolaus Leonicenus* Patavinus, cujus & *Nizolius* noſter lib. 4. cap. 8. meminit, cujus opera, ut *Eraſmus* ait, Medicina iterum loqui cœpit, *Marſilius Ficinus Beſſarionis* in affectu erga *Platonem* hæres, certamen pro vera ſapientum eloquentia contra corruptores utriuſque ſuſceptum, acriore impetu, & recentibus armis continuarunt. Tandem *Angelus Politianus*, *Joh. Franciſcus Picus de Mirandula*, *Rudolphus Agricola*, *Joh. Reuchlinus*, *Hadrianus Cardinalis*, *Eraſmus Roterodamus*, *Paulus Cortejius*, *Joh. Ludovicus Vives*, *Philippus Melanchthon*, *Joachimus Camerarius*, & multi conſimiles, perrupere hoſtiles ordines, & latè ſtragem dedere. Hos, qui toto orbe ſequuti ſunt philoſophi eloquentiſſimi, tam multi ſunt, ut brevibus chartis non capiantur. Barbarum porrò dicendi genus peculiaribus ſcriptis multi oppugnarunt. Et exſtant Epiſtolæ amœbææ *Johannis Pici Mirandulani* & *Hermolai Barbari*, quorum hic acerrimè in Scholaſticos invehitur, ille mollire eorum vitia ac tegere magis quàm defendere, non improbabili pietate conatur. Tanti fecit eas Epiſtolas *Philippus Melanchthon*, ut addita diſpoſitione edi in Germania curaverit. Addi poteſt *Quærengus* de Eloquentia Philoſophi, *Franciſcus Floridus Sabinus*, ſcripto quod pro latina lingua ejuſque Scriptoribus edidit, *Ubertus Folieta* de Latinæ Linguæ uſu & præſtantia, *Germonius*, *Corradus*, *Taubmannus*, *Barthius*, de Latina Lingua, *Suſii* Lima Ciceroniana, *Andr. Schotti* Tullianæ quæſtiones, *Alberti de Albertis* actio in corruptores eloquentiæ, *Melch. Inchofer* de ſacra latinitate, *Eraſmi* Apologeticus adverſus *Martinum Dorpium*, *Joachimus Vagetius* de ſtilo, *Chriſtoph. à Capite Fontium* de neceſſaria correctione Theologiæ Scholaſticæ, *Ludovicus Carbajalus* Beticus libro uno de reſtituta Theologia, in quo, ut inſeruit titulo ipſe, Lector viſurus ſit Theologiam a Sophiſtica & barbarie magna induſtria repurgatam. *Erycius Puteanus* diatriba de Barbaris ad Barbarinos, *Chriſtianus Becmannus*, & *Iſaacus Clauderus* de barbarie ſuperiorum temporum, *Friſchlinus* Priſciano vapulante, *Joh. Conradus Dietericus* de infelicitate ſeculi ſuperioris in græcarum literarum ignoratione, Antibarbarus *Sixti Amamæ* & *Petri Molinæi*, *Gerhardus Joh. Voſſius* de vitiis ſermonis & gloſſematis latino-barbaris, *Joh. Nieſſ.* de ortu & occaſu linguæ latinæ ejuſque inſtaurandæ ratione, *Petrus a Valle Clauſa* de immunitate Cyriacorum, qui omnes data opera in dictionem illam pſeudophiloſophicam invehuntur. His addi poſſunt, qui ex *Cicerone* & *Quintiliano* & *Boethio*, philoſophati ſunt: *Freigius*, *Buſcherus*, *Jaſon Denores*, *Ramus*que & Ramei aut Philippo-Ramei prope omnes; *Hadrianus* item *Cardinalis* libris 4. de

de vera philoſophia ex 4. Eccleſiæ doctoribus, *Ambroſio*, *Hieronymo*, *Auguſtino*, & *Gregorio Magno*. De cætero ut Theologiam Scholaſticam *Melchior Canus* in locis, & *Paulus Corteſius* in libros ſententiarum, (nuper *Petavius*, opere dogmatum Theol.) ita Dialecticam *Valla*, *Rudolphus Agricola*, *Polichius*, *Melanchthon*, *Caſarius*, *Hunnæus*, *Cornelius Valerius*, *Perionius*, *Cœlius Secundus Curio*, *Joan. Sturmius*, *Hottomannus*; Metaphyſicam *Vives*, *Niphus*, *Javellus* (etiam *Nizolio* noſtro laudatus lib. 2. cap. 10.) *Fonſeca*, *Brunus*, *Monlorius*; Phyſicam *Hermolaus Barbarus*, *Cornelius Valerius*, *Franciſcus Vicomercatus*, *Hieron. Fracaſtorius*, *Hieron. Cardanus*, *Jul. Caſar Scaliger*, *Scipio Capucius*, *Titelmannus*, & nuper *Gaſſendus*, dictionis elegantia illuſtrare cœperunt. Qui tamen terminos in Scholis receptos ſic ad vivum in cæteris philoſophiæ partibus reſecuerit, ut fecit in Logica *Nizolius* noſter, nondum comperi. *Nizolium* igitur, quo hactenus fuit ignoratior, hoc magis dignum putavi, qui in exemplum dictionis philoſophicæ reformatæ proponatur.

XXIV. Altera editionis ratio fuit tempus Autoris. Acceſſit enim ad edendum hic quoque ſtimulus, quod apparet ex *Nizolio* eſſe quaſdam ſententiarum periodos, & quæ noſtro tempore velut nova producuntur, jam olim plurima a doctis viris magna cum contentione agitata eſſe. Ita detexit Teleſcopium viam lacteam eſſe conſertam innumerabilium ſtellarum, idem dudum conjecerat *Democritus*. Ejuſdem *Democriti* Vaticinatio erat, Nili incrementa eſſe à pluviis Æthiopiæ, quæ ſententia à coævis & propinquis ſcriptoribus irriſa, nunc peregrinationibus vera deprehenſa eſt; *Epicuri* & *Lucretii* Atomi, quam magna nunc contentione refodiuntur? Hypotheſis terreni motus *Pythagoræ* fuiſſe dicitur, & illuc inclinaſſe *Archimedem* non obſcura ſunt veſtigia in libello de Numero arenæ. Illuſtris *Digbæi* pulverem ſympatheticum *Antonius Deuſingius* & *Joh. Frid. Helvetius* contendunt veterem eſſe. Circulationem ſanguinis per totum corpus non ab *Harvæo* primum obſervatam, ſed dudum deprehenſam legi in manuſcriptis cujuſdam religioſi, quæ nunc quoque Venetiis monſtrentur, refert in abſolutiſſimo Inſtitutionum Anatomicarum opere *Thomas Bartolinus*. Habeo ex narratione doctiſſimorum virorum, ipſum illum magnum *Carteſium* non mediocriter conturbatum fuiſſe, quum eſſet ei monſtratum, complura ejus philoſophemata, quæ noviter inventa putabat, in *Platone* & *Ariſtotele*, quorum tamen ille contemtum præferebat, tum in naturalibus, tum in civilibus clavè tradita, contineri; *Keckermannus* oſtendit ex collatione verborum paralleliſmo quodam ſibi oppoſitorum pleraque *Petri Rami* dogmata dudum vidiſſe *Ludovicum Vivem*. Addo ego, quæ nunc noſtro tempore a ſcriptoribus præclaris, *Hobbeſio*, *Carteſio*, *Jungio*, *Claubergio*, *Raeo*, *Antonio Arnoldo* Theologo, quem Gallicæ Logicæ, libelli ſanè elegantiſſimi autorem ferunt, acerrimè urgetur terminorum technicorum ad populares reductio, eam jam tum *Nizolio* noſtro in votis ac ſcopo unicè fuiſſe, longè meliore, quàm *Rami* conſilio, qui

qui Ariſtoteleis ſubverſis alios terminos technicos ſubſtituit, multiplicavitque non ſcientiam, ſed laborem.

XXV. Reſtat nunc, ut errores quoque & vitia *Nizolii* noſtri ne diſſimulemus. Et ex vitiis potiſſimum mihi vituperationem mereri videtur maledicentia, qua in *Ariſtotelem*, in *Platonem* ipſum, in *Galenum*, in veteres *Ariſtotelis* interpretes Græcos, in Scholaſticos ſine diſcrimine (nam *Thomam Aquinatem*, quum molliſſimè tractatum cupit, appellat monoculum inter cæcos lib. 4. cap. 7.) invehitur, qua etiam conſentientes ſibi in pleriſque *Vallam*, *Vivem*, *Rudolphum Agricolam* ob leviſſima quædam ſententiarum diſcrimina proſcindit. Optaſſem deleta e libro talia ne lectores vel cum puritate dictionis ſimul procacitatem diſcerent, vel ſaltem in percurrendo offenderentur, non ſum auſus tamen in alieno opere quicquam immutare.

XXVI. Errores in *Nizolio* & multi ſunt, & magni, quorum plures in breviculis notis quas minutiori typo inſertas adjeci, ſunt tacti, aliquorum vero extantiorum etiam hic mentio facienda eſt. Nimirum ille palmarius eſt, quod Scholaſticorum vitia *Ariſtoteli* imputat, & modeſtiores ſe viros, *Johannem Picum*, *Leonicenum*, *Rudolph. Agricolam*, *Vivem*, etiam conviciis laceſſit, & adulationis inſimulat, quod eximere *Ariſtotelem* conentur; quum tamen noſtro ſeculo poſt tot in *Ariſtotelem* doctiſſimorum & prioris barbariei diſſimillimorum interpretum curas nihil ſit compertius, quàm *Ariſtotelem* omnis illius ineptiæ purum & inſontem eſſe, qua ſcholaſtici paſſim inquinantur. Errores ejus quicunque ſunt, tales tamen ſunt, ut facilè internoſcas lapſus viri magni & in rerum luce verſati, a vertiginoſis deceptionibus imperiti alicujus clauſtralis. Hoc demonſtratum ſatis dedere primum ſuperiore ſeculo Itali interpretes: *Auguſtin. Niphus*, *Angelus Mercenarius*, *Alexander* & *Franciſcus Piccolominæi*, *Cæſar Cremoninus*, *M. Antonius Zeinara*, *Simon Simonius*, *Jacobus Zabarella*, *Franc. Vicomercatus*, & tot alii. Hoc verò ſeculo illuſtrati *Ariſtotelis* Germanis maximè laus debetur. Nam partem de demonſtratione, quæ vulgo *Ariſtotelis* adverſariis pro menſtruo eſt, *Corn. Martini*, & *Jungius* & *Joh. a Felden* non mediocriter illuſtrarunt, quanquam enim *Feldeni* in Topicis & Analyticis *Ariſtotelis* ad uſum transferendis eruditiſſimæ albique lapidis calculo dignſſimæ meditationes nondum ſint editæ, ſperamus tamen quamprimum eas ab ipſo autore editum iri; ad Metaphyſicam *Ariſtotelis* ſolidè comprehendendam plurimum contribuere *Sonerus* & *Dreierus*, ille in Academia Altorfina, hic in Regiomontana profeſſor; *Soneri* inſtitutiones non ita dudum, autore jam olim mortuo, prodiere, *Dreieri* Sapientia univerſalis ſeu prima philoſophia ex Græcorum potiſſimum interpretum ſententiis ad præclaram harmoniam concinnata eſt, ex qua intelligi ſatis poteſt, quàm gravi conſilio ſua aggreſſus ſit *Ariſtoteles*, quàm præclaro ordine collocaverit, quàm denique magnificè ſit exequutus. Philoſophia *Ariſtotelis* naturalis generalis (nam quæ particularis eſt, ejus realitas per ſe

lucet) ad uſum maximè & ſolidas de rerum natura notiones traducta eſt a ſolidiſſimo Viro *Abdia Trew* Mathematicarum ſcientiarum profeſſore Altorfino, qui Phyſicam *Ariſtotelis* generalem ad morem mathematicum traditam ſcripſit. Et certè *Ariſtotelem* a ſurdis illis & nullam intellectum patientibus dogmatibusque ei publica ſuperiorum temporum ignorantia affinxit longiſſimè affuiſſe, illas tot formalitatum realitates prorſus ignoraſſe, notiones tantùm generaliſſimas tradidiſſe, ſatis oſtendunt, quicunque nunc in *Ariſtotele* cum Recentioribus conciliando operam ponunt, quod partim acutiſſimus *Thomas Anglus* ad mentem tamen illuſtris *Digbæi*, partim Clariſſimus *Raeus* oſtendere, in ſe ſuſceperunt. Quod conſilium quàm ſit optimum, & rei literariæ neceſſarium, ne utilia cum vanis aboleantur, & nonnullorum ſomnia de abjiciendo prorſus *Ariſtotele* in animis incautæ juventutis invaleſcant; viſus eſt hic locus opportunus, cui excerpta quædam mea ex prolixa aliqua Epiſtola non ita dudum ad celeberrimum peripateticum Germanum, Virum præter accuratiſſimam philoſophiæ cognitionem (aliquot jam præclaris ſpeciminibus orbi declaratam, & quod opto, multo pluribus, quorum illi ingens copia ſuppetit, declarandam) in omni eruditione exquiſitiſſimum data, adjiciantur: quæ proinde præfationi huic noſtræ ſtatim ſubnectemus, nihil veriti, ne poſt præfationem jam tum prolixam, patientia lectoris abutamur. Qui ſi æquus eſt in re tam neceſſaria etiam prolixiores nos facilè feret; ſin iniquus, ſciat nihil ad nos judicia ſua pertinere. In Morali ac Civili philoſophia *Ariſtotelem* profundiùs aſſequuti ſunt præ cæteris πολυμαθέστατος *Conringius*, *Joh. a Felden* JCtus notis in *Grotium*, & Elementis Juriſprudentiæ univerſalis & Analyſi politicorum *Ariſtotelis* celebris, ac denique Clariſſimus Vir *Jacobus Thomaſius*, cum in multis varii argumenti diatribis, tum inprimis in Tabulis philoſophiæ practicæ exquiſitiſſimis ac planè a cæterarum inanitate alienis, ut de *Heinſii* paraphraſi nihil dicam: (cujus etiam in phyſica Ariſtotelica tum præclara introductio, tum de origine formarum diſquiſitio, tum de laudibus *Ariſtotelis* oratio inſignis extat) libros *Ariſtotelis* politicos disjectos & hiatibus deformes, in alium longè ordinem redegit, eumque ipſius *Ariſtotelis* fuiſſe multis argumentis acutiſſimis oſtendit, ut de cæteris ejus in illâ philoſophiæ parte ſcriptis limatiſſimis nihil dicam. Hos jam quos dixi interpretes, qui adhibebit, ſine fidiculis, credo, fatebitur, longè alium *Ariſtotelem* eſſe, quàm qui vulgo depingitur, nec cum *Valla*, *Nizolio*, *Baſſone*, aliisque Ariſtotelomaſtigibus, refundi in autorem textus debere, quæ interpretum vel imperitia, vel ſi tempora ſpectemus, quibus vixere, infelicitas peccavit.

XXVII. Nam nec illud prætereundum eſt, iniquos eſſe, qui illorum temporum lapſus tam acerbè perſtringunt; tu ſi illic ſis, aliter ſentias. Quum hiſtoria & civilis & philoſophica delitesceret, quum ſcriptores optimi non niſi peſſimè tranſlati haberentur, quum typographiæ beneficio deſtitutis aut ſumtuoſiſſimè omnia aut moleſtiſſimè tranſcribenda eſſent,

ſent, & unius inventa ad cæterorum notitiam rarò, nec niſi tardè pervenirent (unde fit, ut nunc ſæpe ex collatione ſcriptorum deprehendantur, quæ etiam coævi ignorarunt) non mirum fuit graviter & ſæpe labi, miraculi potius inſtar fuit vel mediocriter aliquid in literis & vera philoſophia præſtare. Quare etiam, ſicubi mihi aliquid durius hic currente calamo excidit, id de temporum magis miſerabili fato, quàm hominum ignavia intellectum volo. Illi potiùs culpandi ſunt, qui nunc quoque inventa fruge glandibus veſci malunt, & pertinacia potiùs quàm ignorantia peccant. Nec vereor dicere Scholaſticos vetuſtiores nonnullis hodiernis & acumine, & ſoliditate, & modeſtia, & ab inutilibus quæſtionibus circumſpectiore abſtinentia longè præſtare: hodierni enim nonnulli quum vix quicquam dignum typis addere veteribus poſſint, hoc unum faciunt, ut allegata opinionum cumulent, & innumeras frivolas quæſtiones excogitent, & unum argumentum in multa partiantur, & mutent methodum, & terminos fingantque atque refingant. Ita illis tot tamque grandes libri naſcuntur.

XXVIII. Quàm verò longè ſint acumine inferiores ſuperioribus ſuperioris & hujus ſeculi Scholaſtici, documento eſſe poteſt ſecta nominalium, omnium inter Scholaſticas profundiſſima, & hodiernæ reformatæ philoſophandi rationi congruentiſſima; quæ quum olim maximè floreret, nunc, apud ſcholaſticos quidem, extincta eſt. Unde conjicias decrementa potiùs quàm augmenta acuminis. Quum autem ipſe *Nizolius* noſter ſe Nominalem exſertè profiteri non dubitet prope finem capitis ſexti, libri primi; & verò in realitate formalitatum & univerſalium evertenda nervus diſputationis ejus omnis potiſſimum contineatur, pauca quædam de Nominalibus ſubjicere operæ pretium duxi. Nominales ſunt, qui omnia putant eſſe nuda nomina præter ſubſtantias ſingulares, abſtractorum igitur & univerſalium realitatem prorſus tollunt. Primum autem nominalium aiunt fuiſſe neſcio quem *Rucelinum* Britonem, cujus occaſione cruenta certamina in Academia Pariſienſi fuerunt excitata. Refert in eum ejuſmodi Epigramma *Aventinus*;

Quas Ruceline *doces, odit Dialectica voces,*
Jamque dolens de ſe, non vult in vocibus eſſe;
Res amat, in rebus cunctis vult eſſe diebus.
Voce retractetur, res ſit, quod voce docetur;
Plorat Ariſtoteles *nugas tradendo ſeniles,*
Res ſibi ſubtractas per voces intitulatas;
Porphyriusque *gemit, quia res ſibi lector ademit;*
Qui res abrodit, Ruceline, Boetius *edit.*
Non argumentis, nulloque Sophiſmate ſentis
Res exiſtentes in vocibus eſſe manentes.

Diu autem jacuit in tenebris ſecta Nominalium, donec maximi vir

ingenii, & eruditionis pro illo ævo ſummæ, *Wilhelmus Occam* Anglus, *Scoti* diſcipulus, ſed mox oppugnator maximus, de improviſo eam reſuſcitavit; conſenſere *Gregorius* Ariminenſis, *Gabr. Biel*, & plerique ordinis Auguſtinianorum, unde & in *Martini Lutheri* ſcriptis prioribus amor Nominalium ſatis elucet, donec procedente tempore erga omnes Monachos æqualiter affectus eſſe cœpit. Generalis autem Regula eſt, qua Nominales paſſim utuntur; Entia non eſſe multiplicanda præter neceſſitatem. Hæc regula ab aliis paſſim oppugnatur, quaſi injuria in Divinam ubertatem, liberalem potiùs quàm parcam, & varietate ac copia rerum gaudentem. Sed, qui ſic objiciunt, non ſatis mihi nominalium mentem cepiſſe videntur, quæ, etſi obſcuriùs propoſita, huc redit: Hypotheſin eo eſſe meliorem, quo ſimpliciorem, & in cauſis eorum quæ apparent reddendis eum optimè ſe gerere, qui quam pauciſſima gratis ſupponat. Nam qui aliter agit, eo ipſo naturam, aut potiùs autorem ejus Deum ineptæ ſuperfluitatis accuſat. Si quis Aſtronomus rationem phænomenorum cœleſtium reddere poteſt paucis ſuppoſitis, meris nimirum motibus ſimplicibus circularibus, ejus certè hypotheſis ejus hypotheſi præferenda erit, qui multis orbibus variè implexis ad explicanda cœleſtia indiget. Ex hac jam regula Nominales deduxerunt, omnia in rerum natura explicari poſſe, etſi univerſalibus & formalitatibus realibus prorſus careatur? qua ſententia nihil verius, nihil noſtri temporis philoſopho dignius, uſque adeo, ut credam ipſum *Occamum* non fuiſſe Nominaliorem, quam nunc eſt *Thomas Hobbes*, qui, ut verum fatear, mihi, pluſquàm nominalis videtur. Non contentus enim cum nominalibus univerſalia ad nomina reducere, ipſam rerum veritatem ait in nominibus conſiſtere, ac, quod majus eſt, pendere ab arbitrio humano, quia veritas pendeat a definitionibus terminorum, definitiones autem terminorum ab arbitrio humano. Hæc eſt ſententia viri inter profundiſſimos ſeculi cenſendi, qua, ut dixi, nihil poteſt eſſe nominalius. Idem dicendum eſt de noſtri temporis philoſophiæ Reformatoribus eos ſi non pluſquam nominales tamen Nominales eſſe ferè omnes. Tanto igitur aptior his temporibus *Nizolius* erit.

XXIX. Nunc ad *Nizolii* errores redeundum eſt, ex quibus, poſt *Ariſtotelem* interpretibus confuſum, palmarius eſt, omnimoda illa Dialecticæ & Metaphyſicæ abolitio, quum tamen & Nominales iiſdem licet principiis nixi retinuerint. Et verò quis neget, eſſe quædam præcepta tum artis cogitandi ſeu ſcientiæ de mente, tum pietatis naturalis, ſeu ſcientiæ de ſumma rerum, id eſt Metaphyſicæ; nam etſi illam ad Oratoriam ſeu artem dicendi, hanc ad Phyſicam ſeu ſcientiam naturæ pertinere velit, eo argumento quod & veteres tantùm tres fecerint Encyclopœdiæ partes, Logicam, Phyſicam & Ethicam; quo facilè effecerit, ne Mathematicas quidem ſcientias peculiares eſſe; nihil tamen prohibet accuratius partes ſubdiſtinguere, & dialecticæ ſeparatam a Rhetorica, ut & grammaticæ datur; Metaphyſicæ ſeu Theologiæ ſeparatum a Phyſica,

ſica, ut & Matheſi dantur, locum aſſignare. Illud quoque minimè ferendum eſt, quod demonſtrationem, qualem deſcripſit *Ariſtoteles*, prorſus e natura rerum tollit, levibus certè argumentis, ex quibus potiſſimum eſt: quod univerſalia non ſint in rerum natura, (quum tamen ſufficiat ad demonſtrandum: nomina eſſe univerſalia;) deinde quod exemplum ejus hactenus interpretes magno conatu fruſtra quæſiverint. Ego verò contra arbitror, paſſim in libris *Ariſtotelis*, imò & ipſius *Nizolii*, occurrere accuratas & perfectas demonſtrationes. Quod ipſum demonſtrare, & a non intelligentium objectionibus nobiliſſimam artem demonſtrandi vindicare, peculiari operæ ſervo.

XXX. Quod item contendit genuina *Ariſtotelis* opera nunc non haberi, idque locis potiſſimum *Ciceronis*, mihi nunquam perſuaſerit. Nam quid mirum eſt hominem politicum & infinitis curis obrutum, qualis erat *Cicero*, nonnunquam ſubtiliſſimi cujuſdam Philoſophi ſententias, fugiente oculo lectas, non ſatis aſſequi? qui credit *Ariſtotelem* in veris ſuis operibus Deum appellaſſe Καῦμα εὐρανοῦ ardorem cœli, næ is *Ariſtotelem* fatuum putat; & quum ſapientem & ingenioſum habeamus per vim nobis ineptum & ſtultum obtrudit. Novum hoc Criticæ artis genus eſt, in dignoſcendis ſcriptis autoris omnium confeſſione ingenioſi, quædam pro ſuppoſititiis habere, quia ſtultum aliquid autori a conviciatoribus impoſitum (nam nec *Cicero* niſi alia ſibi perſona *Ariſtoteli* iniqua impoſita hæc loquitur) in iis non reperitur. Mihi genuitatem operum Ariſtoteleorum, quicquid dicant *Joh. Franciſc. Picus* in Examine Vanitatis doctrinæ gentium, quicquid *Nizolius*, quicquid *Petrus Ramus*, quicquid *Patricius*, quicquid in Apologia magnorum virorum Magiæ ſuſpectorum, ubi & hunc *Nizolius* librum citat, *Naudæus*; ſatis ſuperque perſuadet perſpecta hypotheſium inter ſe harmonia, & æqualis ubique methodus velociſſimæ ſubtilitatis.

XXXI. Ultimo loco gravis aliquis error *Nizolii* circa univerſalium naturam diſſimulari non debet, poteſt enim lectorem non ſatis cautum a vero philoſophandi tramite penitus abducere. Perſuadere conatur nobis univerſale, nihil aliud eſſe quàm omnia ſingularia collectivè ſimul ſumta; & quum dico: omnis homo eſt animal, ſenſum eſſe: omnes homines ſunt animalia. Hoc quidem verè, ſed hinc non ſequitur: univerſalia eſſe totum collectivum. At probat *Nizolius*: Omne totum eſt aut continuum aut diſcretum. Univerſale autem eſt totum, non continuum verò, diſcretum igitur. Totum autem diſcretum eſt collectivum, & eadem eſt ratio generis hominum, quæ gregis. Et par eſt ratio hujus propoſitionis omnis homo (ſeu totum genus humanum) eſt rationalis, quæ hujus: omnes pecudes quæ hic paſcuntur ſunt albæ, vel totus grex eſt albus. At erras *Nizoli*, datur enim aliud totius diſcreti genus præter collectivum, nimirum: diſtributivum. Quum igitur dicimus: omnis homo eſt animal, ſeu omnes homines ſunt animalia, ſenſus eſt diſtributivus: ſive illum, (*Titium*) ſive hunc (*Caium*) &c. ſumſeris, reperies, eſſe animal,

ſeu ſentire. Et ſi Nizoliano more omnis homo, ſeu omnes homines ſunt totum collectivum, & idem quod totum genus humanum, ſequetur abſurda loquutio. Nam ſi eadem ſunt, age in propoſitione iſta: omnis homo eſt animal, vel omnes homines ſunt animalia, ſubſtituamus totum genus humanum, orietur hæc propoſitio, plus quàm inepta: totum genus humanum eſt animal, ſimiliter de grege eſt propoſitio: omnes pecudes, quæ hic paſcuntur, ſeu univerſale ab iis abſtractum, idem eſt cum toto ex iis collecto, grege, ut vult *Nizolius*, vera erit hæc propoſitio: totus grex eſt ovis, vel ſaltem ſi ſuccurrere ei velis: totus grex eſt oves, quod ipſum tamen ſatis verè non dicitur. Sed & aliud exemplum minus poſtremo effugio commodum videamus, JCti veteres quos *Nizolius* opinor non negavit Latinè ſimul & accuratè loquutos, genus legatum aiunt, ſi quis ſic leget: *Titio* equum meum do lego. Jam *Nizolii* ſenſu, quum genus ſit totum ex ſingularibus collectum, erit idem ac ſi dixiſſet: *Titio* omnes equos meos do lego. Egregio, ſi diis placet, juriſprudentiæ ſpecimine. Contra, ſubſtituto toto diſtributivo, plana res eſt, ſenſus enim erit: *Titio* illum aut equum do lego. Addamus hoc quoque: cùm dico omnis homo eſt animal, ſi genus de ſpecie dicitur, & genus eſt univerſale, univerſale totum genus ex ſingularibus collectum, ſubſtituamus voci animalis, omnia animalia ſimul ſumta; Orietur hæc propoſitio: Homo eſt omnia animalia ſimul ſumta. Quum ſufficiat homini eſſe quoddam animal, ſeu aliquod ex univerſo animalium genere.

XXXII. Nec vero error hic *Nizolii* levis eſt, habet enim magnum aliquid in receſſu. Nam ſi univerſalia nihil aliud ſunt quàm ſingularium collectiones, ſequetur, ſcientiam nullam haberi per demonſtrationem (quod & infra colligit *Nizolius*,) ſed collectionem ſingularium, ſeu inductionem. Sed ea ratione prorſus evertuntur ſcientiæ, & Sceptici vicere. Nam nunquam conſtitui poſſunt ea ratione propoſitiones perfectè univerſales; quia inductione nunquam certus es, omnia individua a te tentata eſſe; ſed ſemper intra hanc propoſitionem ſubſiſtes, omnia illa, quæ expertus ſum, ſunt talia; quum verò non poſſit eſſe ulla ratio univerſalis, ſemper manebit poſſibile, innumera, quæ tu non ſis expertus, eſſe diverſa. At, inquies, ignem (id eſt corpus quoddam lucidum, tremulum, tenue) ex lignis ordinario modo ſuſcitatum urere, dicimus univerſaliter, etiamſi nemo ſit omnes tales ignes expertus, ſed quia in iis, quos experti ſumus, res comperta eſt. Ita eſt: hinc conjicimus, & morali etiam certitudine credimus: omnes ignes, ejuſmodi urere, & uſturos te ſi manum admoveas. Sed hæc moralis certitudo non fundata eſt in ſola inductione, ex ea enim nullis eam fidiculis collegeris; ſed ex additione ſeu adminiculo harum propoſitionum univerſalium non ab inductione ſingularium, ſed idea univerſali ſeu definitione terminorum pendentium: (1) Si eadem vel per omnia ſimilis eſt cauſa, idem vel per omnia ſimilis eſt effectus. Et hujus (2) exiſtentia rei, quæ non ſentitur, non præſumitur; & denique

nique hujus: (3) Quicquid non præſumitur, in praxi habendum eſt pro nullo, antequàm probetur. Ex his conficitur certitudo practica vel moralis hujus propoſitionis, quod omnis ille ignis uret. Nam eſto ignis ille talis quicunque qui mihi nunc offeratur; aio eſſe per omnia (quantum ad rem pertinet) ſimilem prioribus, quia, per hypotheſin, non ſentio diſſimilitudinem ad rem facientem, jam quod non ſentitur, non præſumitur, per adminiculum 2. Quod non præſumitur, eſt in praxi tenendum per adminiculum 3. Ergo per omnia ſimilem eſſe, (quantum ad rem pertinet) eſt in praxi tenendum. Jam per omnia ſimilis cauſæ, erit per omnia ſimilis effectus, per adminiculum 1. nimirum uſtio, per hypotheſin: Ergo ignem talem quemcunque oblatum, ſeu omnem illum ignem uſturum, eſt in praxi tenendum. Quod erat demonſtrandum. Hinc jam patet, inductionem per ſe nihil producere, ne certitudinem quidem moralem, ſine adminiculo propoſitionum non ab inductione, ſed ratione univerſali pendentium; nam ſi eſſent & adminicula ab inductione, indigerent novis adminiculis nec haberetur certitudo moralis in infinitum. Sed certitudo perfecta ab inductione ſperari planè non poteſt, additis quibuſcunque adminiculis, & propoſitionem hanc: totum majus eſſe ſua parte, ſola inductione nunquam perfectè ſciemus. Mox enim prodibit, qui negabit ob peculiarem quandam rationem in aliis nondum tentatis veram eſſe, quemadmodum ex facto ſcimus *Gregorium a S. Vincentio* negaſſe totum eſſe majus ſua parte, in angulis ſaltem contactus; alios in infinito; & *Thomam Hobbes*, (at quem virum?) cœpiſſe dubitare de propoſitione illa Geometrica a *Pythagora* demonſtrata, & hecatombæ ſacrificio digna habita; quod ego non ſine ſtupore legi. Atque hi ſunt potiſſimi *Nizolii* noſtri errores, alios partim notulis inſperſis tetigimus, partim tales eſſe judicavimus, ut ab attento lectore, qui hæc noſtra præmittere dignatus ſit, deprehendi non magno negotio poſſint. Nunc igitur loquaciſſimæ, ſed, ni fallor, neceſſariæ, præfationi finis imponendus eſt. Si quis metuit, ne domus porta elabatur, cogitet aditum noſtrum tam vaſtum, domum tam parvam eſſe, quia cæpta eſt tantum; ſi poſt Logicam, cæterarum quoque partium ſimilis repurgatio acceſſerit, tum faxo ut in juſtam omnia ſymmetriam redeant, nec quiſquam amplius de magnitudine atrii, parvitate areæ conquerantur. Quod ſupereſt, vale, Lector benevole, & ſtudium tuis commodis conſulendi, boni conſule.

G. G.

G. G. LEIBNITII
ANNOTATIONES
IN MARII NIZOLII
ANTI-BARBARUM PHILOSOPHICUM.

Nizolius lib. I. cap. I. p. 6. Primum generale principium veritatis rectèque philoſophandi, ut nos putamus, eſt cognitio atque notitia linguarum Græcæ & Latinæ.

Leibnitii annotatio: *Hæc omnia ſunt loquendi potiùs, quàm ſentiendi principia.*

P. 7. N. Jam hinc profiteor, me diſputaturum contra Dialecticos & Metaphyſicos & rèliquos omnes philoſophaſtros nullis aliis præceptis neque loquendi, neque dividendi, neque definiendi, neque argumentandi inſtructum ac munitum, niſi iis, quæ partim a Grammaticis & Rhetoribus didici, partim per me ipſum & probatis authoribus legendis animadverti. Atque his tamquam armis non ullis aliis pene totam Dialecticam & non parvam etiam Metaphyſicæ partem everſurum.

L. *Hic exceſſu peccat, nihil enim arti obeſt error artificis.*

P. 10. N. De Dialecticis & Metaphyſicis loquor noſtrorum temporum, atque etiam aliquot ſuperiorum ætatum, qui in publicis ſtudiis profeſſi ſunt, & adhuc profitentur, apud quos, non qui magis verum dicunt & magis moderatè diſputant, ſed qui magis contenta voce clamant, & magis barbarè magisque ruſticè loquuntur, ii ſine ulla controverſia habentur doctiores & planè meliores Dialectici ac Metaphyſici.

L. *Hæc de ſuperioribus ſaculis verius, quàm noſtro.*

P. 13. N. Plato ſine ulla utilitate ac neceſſitate introduxit, cùm multa alia paradoxa & abſurda, tum maximè ſuas illas *ideas* vanas & inanes, atque ideo non immeritò tot locis ab *Ariſtotele* refutatus & deriſus.

L. *Harum naturam & rationem autor noſter non ſatis videtur aſſequutus.*

Lib. I. cap. III. p. 18. N. Differam de nominibus rerum, quæ mihi videntur ad rectè philoſophandum in primis cognitu eſſe neceſſaria.

L. *Nomina ſunt notæ mihi ipſi ad reminiſcendum, ſigna erga alios ad docendum.*

Lib. I. cap. IV. p. 24. N. Quum dico genus animalium, & ſpecies hominum, ita intelligi volo, ut ſignificem non animal illud univerſale, neque hominem illum univerſalem, quem Dialectici & philoſophaſtri plus

plus quàm inaniter & ſtultè ſibi confingunt, ſed omnia ſingularia animalia, & omnes ſingulares homines.

L. *Hic errat. Sublatis enim è mundo ſingularibus nihilominùs univerſalis propoſitio in poſſibilibus tuetur veritatem. Nam etſi occidantur omnes elephantes, manebit tamen vera hæc propoſitio: Omnis elephas eſt animal, in effectu, quum ad hanc conditionalem reſolvitur: Si quis eſt elephas, (ſive jam ſit, ſive non ſit) ille eſt animal.*

P. 25. *N.* Similiter in illis enuntiationibus: *Socrates* eſt homo, homo eſt animal, apertè nego, & hominem in ſuperiore propriè eſſe ſpeciem, & animal in poſteriore propriè eſſe genus.

L. *Falſa eſt hæc propoſitio:* Socrates *eſt omnis homo. Contra vera eſt hæc:* Socrates *eſt quidam homo. Propoſitio igitur:* Socrates *eſt homo, quæ prædicati infiniti eſt, non priore, ſed poſteriore modo capienda eſt. Jam verò quidam homo eſt particulare; omnis homo eſt univerſale; Patet igitur numquam univerſale, ſed ſemper particulare de inferioribus prædicari.*

P. 26. *N.* Varietas numeri tum ſingularis tum pluralis in primis eſt cauſſa, cur nomina hæc modò unius & ſolius, modò plurium & multorum ſignificationem obtineant. Secundo autem loco diverſitas poſitionis tum propriæ tum figuratæ idem efficit.

L. *Quum vox* omnis *adjicitur nomini in ſingulari, propoſitio eſt figurata.* v. g. Omnis homo eſt animal, *eſt propoſitio figurata: Sed:* Omnes homines ſunt animalia, *eſt propoſitio propria. Univerſalium igitur imaginaria realitas extra ſingularia à ſermone figurato orta.*

Lib. I. cap. V. p. 35. *N.* Nomina ſubſtantiva ſive, ut Dialectici vocant, *abſtracta* ſunt, ut nomen hominis, nomen animalis &c.

L. *Non homo, ſed humanitas, dialecticis abſtractum eſt.*

P. 37. *N.* Ad interrogationem, factam per quale eſt, ſemper reſpondemus per nomina adjectiva & per res tamquam in alio exiſtentes, ut rurſus in ſubſtantiis, qualis eſt homo? eſt rationalis vel animalis.

L. *Hæc propoſitio:* Homo eſt rationale, *eſt figurata & elliptica. Subintelligendum enim ens, vel aliquid ſimile. vide* Scioppii *Grammat. philoſ.*

Ibid. N. Quemadmodum ex ſubſtantivis per derivationem ſive denominationem ſæpe fiunt adjectiva, ut eo quod eſt lignum ligneus, & ab eo, quod eſt lapis, lapideus, ſic etiam ex adjectivis per ſubſtantivationem, quam vocant, ſæpe numero effici ſubſtantiva, quum tertia vox adjectivi nominis in ſubſtantivum tranſit: ut *animale, & per apocopen animal*, pro re habente animam, ab eo quod eſt, hic & hæc animalis & hoc animale, qua voce utitur *Cicero* & alii probati ſcriptores latini.

L. *Uti ex voce:* Capitale, *ſcilicet crimen, factum eſt* Capital: *Ita ex voce* adjectiva: *animale, ſcilicet ens, factum eſt* ſubſtantivum *animal. Et eo differunt ſubſtantiva & adjectiva, quòd illis τὸ ens vel res (primum ſubſtantivum) ineſt in his per ellipſin omiſſum, mente ſupplendum eſt, ſimi-*

liter igitur ex rationali poteſt fieri Rational. *Et tunc rectè dicitur*: quid eſt homo? eſt rationale. *Quum nunc non rectè dicatur: quid eſt homo? eſt rationale, niſi ſubintelligatur: Ens; rectè verò dicatur*: quale (*ſcil. Ens*) eſt homo? rationale: *vel ſimpliciter*: qualis eſt homo? rationalis.

Lib. I. cap. VI. p. 39. N. A ratione alienum non eſt, non plura neque pauciora rerum genera à Deo ſive à natura, rerum omnium opifice, procreata fuiſſe, quam quibus linguarum authores & vocabulorum inventores nomina atque appellationes impoſuerunt.

L. v. g. *ſi ne vox quidem: Res, Entis, Subſtantiæ ei tribui poſſit, ſi nullo ſimplici, & figura carente ſermone ſit explicabilis, conſequens eſt, eam nec diſtinctè intelligibilem, & ita nec poſſibilem eſſe.*

P. 41. N. Ubi nos ponimus univerſa ſive univerſas multitudines rerum ſingularium, ipſi collocant univerſalia ſive naturas univerſales, hoc eſt ſua genera & ſuas ſpecies, longè à veris generibus & ſpeciebus differentes, ut oſtendemus. Hic verò turpiſſimè & fœdiſſimè labuntur, unà cum *Ariſtotele* ſuo iſtius diviſionis vel inventore, vel approbatore.

L. *Imò* Ariſtoteles *& veteres ejus interpretes idem rurſus volunt, quod* Nizolius: τὸ καθ' ὅλου *enim quid aliud, quàm ſecundum totum? univerſale igitur ex mente* Ariſtotelis, *& totum collectum ex ſingularibus, ſeu univerſa ſingularia.*

P. 43. N. Varro de lingua latina, dixit, cauſſam univerſalem, Auctor ad *Herennium*, rationem univerſalem. Idem *Quintilianus*, vocem univerſalem, & quæſtionem univerſalem. Quibus auctoritatibus patet, hoc quod eſt, eſſe univerſale, propriè ſemper tribui aut rebus, quæ ſunt in alio, aut verbis, quæ dicuntur de alio.

L. *Rectè igitur dicitur: Nomina eſſe univerſalia, non res.*

P. 44. N. Quamquam apud Dialecticos ſint quinque univerſalia, tamen duo ex eis apud illos ſunt maximè celebrata, genus & ſpecies, atque ideo ab eiſdem multis & ambitioſis inſignita nominibus.

L. *Propriè duo tantùm ſunt univerſalia, genus, & ſpecies; reliqua tria, quæ adjectiva ſunt, prædicabilia ſunt, univerſalia non ſunt. Rationale non eſt univerſale, ſed Ens rationale eſt univerſale.*

P. 46. N. Ariſtoteles ſine ulla dubitatione exiſtimavit & poſuit univerſalia realia.

L. *Imò verò horum in* Ariſtotele *vix veſtigium ullum eſt, niſi in ſingularibus, mente & vocibus.*

Lib. I. Cap. VII. p. 47. N. Cum univerſalibus cadit penè tota Dialectica.

L. *Hoc falſum eſt. Neque enim minùs Nominales, quàm ceteri Dialectica* Ariſtotelis *uſi ſunt, & rectè quidem. Nam etſi in nominibus ſaltem vera ſint, quæ vulgo rebus tribuebantur. Salva res eſt; quando nominibus iſtis in explicandis rebus utimur.*

P. 49. 50. N. Nunc incipio reſpondere Dialecticis ac Metaphyſicis cete-

ceteriſque philoſophaſtris ad ea, quæ pro defenſione ſuorum univerſalium afferre ſolent. At primum ei, quod *Ariſtoteles* craſsè nimis & imperitè ita quærit in ſecundo τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Si nihil eſt præter ſingularia, nempe ut ipſe dicere vult, infinita, corruptibilia & contingentia, & nulla exiſtant univerſalia, videlicet finita, incorruptibilia, & neceſſaria, quomodo & de quibus tradentur & erunt artes & ſcientiæ? Reſpondeo Tibi, domine *Ariſtoteles*, etiamſi nulla erunt univerſalia ſtulta & inepta, ut verè non ſunt, tamen artes & ſcientiæ & definitiones tradentur, & erunt de ſingularibus & individuis, ut dixi, non per naturam propriam & privatam, ſed per communem & perpetuam ſucceſſionem æternis, nec de omnibus ſingillatim & ſeorſim, ſed in univerſum vel universè, hoc eſt ſimul & ſemel acceptis. Quo modo accepta nec ſic infinita ſunt, ut non facile cognoſci ac ſciri, nec ſic corrumpuntur & intereunt, ut non perpetuò durare, & ea, quare de ſe traduntur, conſervare poſſint.

L. *Imò verò etſi non regenerarentur homines, ſed interiret planè humanum genus, tamen multa de genere humano verè dici poſſent, maneret enim vera hæc propoſitio: ſi quis datur homo, (tametſi nunc nullus detur) neceſſe eſt, ut ſit animal.*

Non ſic effugerit. Nam ſi ſingulorum ſeu ſingularium infinitus eſt numerus, ſequitur, res universè ſeu ſimul ac ſemel accipi poſſe. Totum enim infinitum eſt, cujus infinitæ ſunt partes. Quare ſi ſcientia eſt de univerſo genere, & univerſum genus eſt totum collectum ex omnibus ſingularibus, quum omnia ſingularia ſimul ſint infinita, vel ſaltem indefinita, neceſſe eſt, ſcientiam de re quadam infinita aut indefinita eſſe, & ita de re incomprehenſibili. Nam ſi veritas hujus propoſitionis, quod ter tria ſint novem, à collectione omnium ſingularium ſeu inductione pendet, nunquam certo ſciri poteſt, antequam omnia ſingularia ſint explorata, quod eſt infinitum. Neceſſe eſt igitur, ut aut nulla certa ſcientia haberi poſſit, (nam argumentum à multis exploratis ad reliqua inexplorata ad ſcientiam parandam non ſufficit, etſi ſufficiat nonnunquam ad Praxin) aut falſum ſit, univerſalia & ſcientiam a collectione ſingularium ſeu inductione pendere.

P. 51. *N.* Tam res, quam vos dicitis eſſe univerſalem, quàm nomen univerſalis apud Latinos rectè loquentes ſunt nova, inuſitata & barbara.

L. *Citat tamen ipſe ſuprà pag.* 42. Quintilianum; *univerſalis vocé utentem.*

P. 57. *N.* Vos veſtrum univerſale totum quidem quoddam eſſe ponitis, ſed quodvis potiùs aliud, quàm continuum aut diſcretum. Nos noſtrum univerſum nihil aliud eſſe volumus, niſi totum quoddam ex numero continuorum vel diſcretorum.

L. *JCti genus eſſe putant neque continuum, neque diſcretum, ſed disjunctum. Nam qui hominem ſeu genus promittit, non promittit omnes homines*

mines ſuos, ſed aut Stichum, *aut* Davum *&c. non &* Stichum *&* Davum.

Lib. I. Cap. IX. p. 77. *N.* Rurſus dico, rationale & mortale, quas illi differentias eſſe aiunt, eſſe quidem differentias, ſed etiam genera, & multo magis genera quàm differentias. Siquidem communiter loquentes magis rectè magiſque uſitatè dicimus, hominem eſſe in genere rationalium & in genere mortalium, quàm in differentia rationalium, & in differentia mortalium.

L. *Non rectè dicitur homines in genere rationalium mortalium contineri, quia genus hominum, & genus rationalium mortalium æquè latè pateat. Genus humanum igitur non eſt ſpecies generis rationalium. Quare hoc in loco ab Auctore diſſentiendum & omnino ſtatuendum eſt, nomina univerſalia eſſe quinque. Nam nomen univerſale eſt vel ſubjectum, quod dicitur* ſpecies, *vel prædicatum. Prædicatum vel neceſſarium vel contingens. Neceſſarium prædicatum vel eſt ſpecies totius & dicitur* genus, *vel ei æquale, & dicitur* differentia, *vel arctius, & dicitur* proprium, *contingens dicitur* accidens.

Lib. I. Cap. X. p. 80. *N.* Non eſſe poſſunt niſi duo totorum genera, totum continuum & totum diſcretum.

L. *Imò datur tertium: totum disjunctivum, v. g. animal eſt aut homo aut brutum; non, & homo & brutum. Nec omnia animalia ſunt & homines & bruta, ſed aut homines aut bruta. Multitudo verò omnium animalium eſt, & homines & bruta. Aliud igitur ſunt omnia animalia, aliud multitudo eorum. Aliud genus, aliud totum, aliud totum diſtributivum, aliud collectivum.*

Lib. II. Cap. I. p. 99. *N.* Definitiones propriè rerum ſunt, non vocum.

L. *Imò verò definitio nihil aliud, quàm accurata nominis explicatio eſt.*

P. 111. *N.* Definitio roſæ, datur non de ſingulis roſis generis roſarum, ſed de genere ſingularum roſarum, quod ſemper eſt, fuit & erit, etiamſi nulla ſingularis roſa in præſentia ſit.

L. *Si genus roſarum eſt multitudo roſarum præteritarum, præſentium & futurarum omnium ſimul ſumtarum, numquam exiſtet; quia numquam exiſtunt præterita & futura ſimul ſumta.*

Lib. II. Cap. II. p. 116. *N.* Species pars eſt totius tam diſcreti quàm continui.

L. *At certè miles non poteſt ſpecies exercitus appellari. Falſum igitur eſt, idem eſſe ſpeciem, & partem totius diſtincti.*

P. 119. *N.* Individua verò ipſa quoque ſimiliter appellantur ſpecies.

L. *Idem ſentiunt* Cornelius Valerius, Nicolaus Vigelius, Franc. Hottomannus, Petrus Gaſſendus.

Lib. II. Cap III. p. 134. *N.* In traditione primi modi non rectè dixit *Porphyrius*, eum convenire ſoli, ſed non omni, eſſe enim Medicum vel Geo-

Digitized by Google

Geometram, non modò convenit ſoli, ſed etiam omni homini, poteſtate ſcilicet, non actu, quemadmodum riſibile.

L. *Hic malè arguit, nam eſſe medicum poteſtate, non propria ſed figurata loquutio eſt,* & Porphyrius *hoc ipſum vult; actu eſſe medicum, eſſe proprium primi modi, poſſe eſſe, quarti.*

P. 135. *N. Porphyrius* rectè ait, habere duos pedes, eſſe hominis proprium, non rectè autem *Valla Porphyrium* reprehendit in primo Dialecticæ ſuæ libro, cap. XX. ita ſcribens, ne hoc quidem homini proprium quod ei cum tot avium generibus commune.

L. *Imò rectè* Valla, Porphyrius *malè. Proprii vox, quatenus ſeparabili opponitur, minùs uſitata eſt.*

Lib. II. Cap. V. p. 148. *N.* A Dialecticis non rectè dicitur, definitionem fieri ex differentia, vel differentiis, quum non ex differentiis, ſed ex propriis conſtitui dicatur.

L. *Hoc totum vitiligitatio eſt. Nam quod ſpeciei proprium, id generis differentia eſſe intelligitur. Idemque eſt dicere, ſpeciem definiri per genus & proprium ſuum, & eandem definiri per genus & differentiam generis.*

P. 149. *N.* Fiunt autem perfectæ definitiones ex genere communi, & genere proprio in Mathematicis, hoc modo: Triangulus eſt figura, habens tres angulos æquales duobus rectis.

L. *Ita nemo Mathematicus Triangulum definiverit, ſufficit dicere, quod ſit figura trium angulorum, ex qua demonſtratione colligitur, eos eſſe rectis æquales, eo ipſo, quia figuram claudunt.*

P. 150. *N.* Scientia eſt cognitio rei vel rerum ſcitu dignarum, cognitu difficilium, & vulgo ignotarum.

L. *Illud vulgo ignotarum ſupervacuum. Nam quod cognitu difficile, id vulgo ignotum eſt.*

P. 151. *N.* Diligenter cavendum, ne in definiendo cadat in id vitium, quod ſuprà reprehendimus, h. e. ut ne res pro vocibus, nec voces ac nomina pro rebus definiat.

L. *Imò verò nulla niſi nominum definitio eſt. Nam realem ſeu eſſentialem ipſe rejecit pag.* 149. *initio.*

P. 152. *N.* Definitio Rhetoricæ, quam *Ariſtoteles* tradit in primo Rhetorices, eſt *falſa.*

L. *Definitio non rectè dicitur falſa; dicenda potiùs inepta aut mala: Nam etiam veriſſima propoſitio, ſi convertibilis non eſt, nec definitio eſt.*

Lib. II. Cap. IV. p. 157. *N.* Univoca & æquivoca non poſſunt eſſe vera, niſi tanquam Centauri ac Minotauri quidam, ex duabus naturis diverſis ſint compoſita, hoc eſt ex rebus & verbis.

L. *Ipſe ſuprà dixit, Orationem eſſe compoſitam ex rebus & verbis, p.* 60. *fin.*

Lib. II. Cap. VIII. p. 164. *N.* Dialectici dum ens rei æquare & tranſcendens facere conantur, perinde faciunt, ac ſi legentem vel ſcribentem

tem homini æquare vellent; non intelligentes omnem quidem legentem vel ſcribentem eſſe hominem, non contrà.

L. *Hic malè. Nam omnis res eſt, & omne, quod eſt res, & omne quod eſt, eſt Ens, & contra omne ens eſt. Igitur omnis res eſt ens, & omne ens eſt res. Res autem, quæ non eſt, idem eſt, quod res ficta, ſeu quæ res dicitur, ſed non eſt res. Præterea res ex uſu Latinorum veterum Ente ſtrictior eſt. Nam Eſſe & Ens æquè latè patet. Sed qualitates non dicimus Res, verùm modos rerum. Sic igitur optimè. Aliquid eſt aut Ens aut non Ens. Ens aut Res aut modus.*

Lib. II. Cap. IX. p. 178. *N.* Subſtantia eſt ea, quæ per ſe ſtat & accidentibus ſubſtat.

L. *Quid autem eſt per ſe ſtare?*

Lib. II. Cap. X. p. 181. *N.* Nemini dubium eſſe debet, quin qualitates revera ſint duæ, una generalis, altera ſpecialis, & quia hæc ſpecialis una cum quantitate ſub illa generali tamquam ſpecies ſub genere ſuo comprehendatur.

L. *Non duæ ſunt Qualitates, ſed duæ vocis acceptiones. Qualitatem generalem diſtinctionis cauſſa mallem appellare potiùs modum. Nam qui eandem vocem eodem loco diverſo ſenſu adhibet, neceſſe eſt tropicè loquatur, quod a philoſopho, præſertim in conſtituendis vocibus potiſſimis, alienum. Malo autem Modum vocare, quàm Accidens, quia multi modi abeſſe non poſſunt citra ſubjecti corruptionem, v. g. calor ab igne.*

Lib. II. Cap. XI. p. 185. *N.* Ergo partes ſive ſpecies qualitatis generalis, tam comparatæ quàm abſolutæ, novem ſunt ferè, quarum prima eſt, qualitas ut ſpecies, ſecunda quantitas, tertia actio, quarta paſſio, quinta cauſſa, ſexta locus, ſeptima tempus, octava ſitus, nona habere.

L. *Hic in effectu retinet novem Accidentium ſpecies* Ariſtoteles, *niſi quod Qualitatem quantitati præponit, ſanè non malè; item cauſſam pro Relatione ſubſtituit, hoc verò malè; Nam Relatio ſimilitudinis ſub relatione cauſſalitatis non continetur. Malè quoque pro Quando & Ubi ſeu localitate & duratione, quæ ſunt accidentia, ſubſtituit locum & tempus, quæ ſubſtantiæ vim habent. Manent enim locus & tempus, ſublatis omnibus locatis & durantibus, unde & enuntiantur nominibus ſubſtantivis.*

P. 186. *N.* Ad cauſſam pertinent & auctores, ſive cauſſæ efficientes, ut eſſe Polycleteum vel Parrhaſianum opus; & materiæ rerum, ut eſſe lapideum in domo, eſſe ligneum in arca; & fines ſive cauſſæ finales, ut voluptatis capiendæ vel ſanitatis recuperandæ cauſſa facere aliquid.

L. *Cauſſam non rectè admiſcuit, uti enim actioni paſſionem, ita debuiſſet opponere cauſſæ effectum. Præterea cauſſa eſt ſubſtantia, relatio ſeu cauſſalitas eſt modus. Præterea cauſſa efficiens pertinet ad actionem, materialis ad paſſionem, forma ad modum in genere, finis ad nullum, quia nondum eſt, tantùm optatur.*

P. 187.

P. 187. *N. Ariſtoteles* Categoriam πρός τι, h. e. ad aliquid, a qualitate, quantitate, ceteriſque accidentibus, haud ſcio quàm rectè, prorſus ſeparavit. Nulla enim ferè qualitas abſoluta eſt, quæ non poſſit comparari, & tanquam ad aliquid fieri.

L. *Aliud eſt poſſe comparari, aliud eſſe ipſam comparationem ſeu relationem.*

P. 188. *Ariſtoteles* præter alia, quæ peccavit in deſcribendis categoriis ſuis, etiam hoc peccatum admiſit, quod prætermiſit categoriam cauſſæ. Nam ſi quis ab eo quærat, in quanam categoria hæc ſint, eſſe Polycleteum vel Parrhaſianum, eſſe marmoreum vel ligneum, & alia hujuſmodi, numquam ipſe ſeſe explicare poterit, nec ad ullam categoriarum ſuarum tales loquendi modos reducere.

L. Ad τὰ πρός τι *referet.*

P. 188. *N.* Neque ſolum cauſſam prætermiſit, ſed etiam multa alia in aliis partibus, ut in qualitate ſpeciali, ſtatum & conditionem perſonarum aliarumque rerum, ut eſſe divitem vel pauperem, eſſe nobilem vel ignobilem, quæ ſimiliter, ut ſuperiora, ad nullam *Ariſtotelis* categoriam reduci poſſe videntur.

L. *Divitis vox ad annos, nobilis ad parentes refertur. Sunt ergo hæc non qualitates, ſed relationes.*

Lib. III. Cap. I. p. 190. *N.* Scientiam habet, ſed non certam, hoc eſt ſuſpicionem vel opinionem.

L. *Imò verò is neſcire propriè dicetur.*

Ib. N. Earum, quæ traduntur partim in Theologia, Phyſiologia, Geographia, Aſtrologia, ceteriſque hujuſmodi facultatibus, finis eſt non actio aliqua, ſed cognitio ſola.

L. *Imò verò falſum horum finem non eſſe actionem. Theologia Dei colendi, Phyſiologia corporis curandi, Geographia itinerum, Aſtrologia, tum temporum in uſum rei publicæ dignoſcendorum, tum agriculturæ & navigationis cauſſa, ut alia taceam, ab hominibus perquiſita eſt.*

P. 193. *N.* Si univerſalia dialectica & realia, quemadmodum nos ſupra probavimus, falſa ſunt, ut certè ſunt, iſta ſcientia, quæ non niſi de talibus univerſalibus eſſe dicitur, non poteſt eſſe vera.

L. *Imò verò hoc non ſequitur. Quia ſcientia eſt non ſolùm de exiſtentibus, ſed & de poſſibilibus. Nec illud curat, an exiſtat in rebus Triangulum, ſed quid conſequens, quantos angulos habiturum ſit, ſi exiſtat. Scientia igitur non eſt de univerſalibus realibus, ſed de omnibus ſingularibus etiam poſſibilibus.*

Lib. III. Cap. II. p. 197. *N.* Officium eſt id, quod præſtare, hoc eſt, agere vel facere debet ſcientia vel arte præditus, &, ſi id non præſtet, aut malè præſtet, non eſt verè ſciens nec peritus artifex, ſed reprehenſionem meretur.

L. *Quod officium vocat, vulgo vocant finem internum, qui eſt in poteſtate artificis; quod finem κατ' ἐξοχὴν vocat, vulgo vocant externum.*

Lib.

Lib. III. Cap. III. p. 205. *N.* Ethice ſine dubio Politicæ pars eſt.

L. *Idem tuetur* Jaſon Denores, *Cyprius.*

P. 206. *N.* Per deos immortales quid cauſſæ eſt, cur ſcientia de ſermone vel ratione, qualis eſt ſine dubio Logice, potius appellari debet rationalis, quàm Phyſice, quæ eſt de natura?

L. *Phyſica rationalis quidem, ſed tamen non agit de ratione.*

P. 215. *N.* Videmur etiam cognoſcere ac ſcire ea, quæ non ſunt, ut diametrum eſſe incommenſurabilem lateri, & de eiſdem verba facere, ut Mathematici, quum problema illud verum eſſe probant.

L. *Quaſi verò hoc non ſit, aut quaſi poſſit appellari problema.*

Lib. III. Cap. IV. p. 217. *N.* Peripatetici vehementer errant, eo quod eloquentiam a ſapientia, &, ut *Cicero* inquit, quaſi linguam a corde ſeparare incipiunt.

L. *Non ſeparant, ſed ſub ea comprehendunt.*

P. 218. *N.* Metaphyſicam partim falſam, partim ſupervacaneam, & non neceſſariam eſſe affirmamus.

L. *Quidni detur cognitio de univerſo genere rerum.*

Ib. N. In Geometria non ſolùm ſunt theoremata, ſed etiam problemata.

L. *Problemata omnia ad theoremata reduxit* Ramus.

P. 221. *N.* Nemo niſi planè imperitus & Dialecticus ita diceret, Logicam docentem & Logicam utentem.

L. *Id eſt Logicæ doctrinam & uſum.*

Lib. III. Cap. V. p. 223. *N. Ariſtoteles* quemadmodum Rhetoricæ, ſic etiam Dialecticæ ſubjicit omnes res mundi.

L. *Subjectum Dialecticæ eſt cogitatio, Rhetoricæ ſermo. Quia autem ſermo & cogitatio omnium rerum eſt, contingit & Dialecticam & Rhetoricam omnium rerum eſſe.*

Lib. III. Cap. VI. p. 246. *N. Ariſtoteles* apertè dicit, τὸ ὂν ᾗ ὄν, hoc eſt ens, qua ens, vel ut barbari loquuntur, ens in quantum ens, eſſe proprium Metaphyſicæ ſubjectum.

L. *Vana hæc diſputatio eſt. Nam perinde eſt, dicere cum ſcholaſticis Ens qua Ens eſſe Metaphyſicæ ſubjectum, & dicere cum* Nizolio, *ſubjectum ejus eſſe genus rerum, qua res ſunt.*

P. 248. *N.* Grammaticæ & nullius præterea alterius artis proprium eſt, omnes voces contemplari.

L. *Imo Grammaticæ non eſt tradere voces, ſed communia de vocibus. Cuiuſlibet diſciplinæ eſt tradere voces & explicare, quibus ſubjectum ſuum ejuſque partes, ſpecies, & affectiones ſignificatura eſt. Lexica verò ſunt excerpta ex variis diſciplinis ordine Alphabetico facta.*

P. 251. *N.* Quomodo Metaphyſica confirmare aut probare poterit quidquam negatum aut dubitatum, quum nullos habeat ſyllogiſmos? nullas inductiones? nullos argumentandi modos? ſed hæc omnia vel a Dialecticis, vel ab Oratoribus mutuari neceſſe habeat?

L. *Ineptè.*

L. *Ineptè. Nam ita concludetur, nec Phyſicam quidquam argumentari, quæ itidem argumenta Dialecticis & Oratoribus mutuatur.*

Lib. III. Cap. VII. p. 260. *N.* Abſtrahere eſt conſiderare unam rem ſine alia.

L. *Quod abſtrahere, ſi ſano ſenſu accipiatur, nihil aliud ſit, quàm conſiderare unam rem, alia non conſiderata, pluribus hodie inculcavit* Thomas Hobbes.

P. 264. *N.* Candor eſt color contrarius nigritiei.

L. *Hæc definitio inanis eſt. Similiter enim nigrities eſſet definienda; Color contrarius candori, & ita oriretur Circulus.*

P. 266. *N.* Curvum nullam habet certam materiam ſibi ſubjectam, ſimum verò habet, hoc eſt naſum. Atque ideo curvum cum materia certa definiri non poteſt, quia non habet, ſimum verò cùm materia certa definitur, quia linguarum uſus & communis loquendi conſuetudo eam illi proprietatem attribuerunt.

L. *Hoc ipſum eſt, quod ſcholaſtici ſibi volunt, etſi minus commodè eloquantur.*

P. 267. *N.* Cur curvum magis quàm nigrum in mathematicis numeratur?

L. *Imò ſpatium curvum intelligi poteſt, etſi ſublata ſint omnia corpora, corpus nigrum intelligi non poteſt, ſi ſublata ſint omnia corpora.*

Lib. III. Cap. VIII. p. 274. *N.* Ex ſententia tua, rationem inveniendi ab Oratore auferens, cogis Oratores de quavis re dicturos a Dialecticis ſuppliciter petere præcepta rerum inveniendarum.

L. *Aliud eſt hominem ab homine, aliud artem ab arte ſua mutuari.*

Lib. IV. Cap. I. p. 283. *N. Ariſtoteles* in libris topicorum pollicetur, ſe traditurum artem & methodum diſputandi de omnibus rebus in contrarias partes probabiliter. Quod pollicitum certè ſi verum eſſet, & ſi præſtaretur, omni eſſet labore & pecunia redimendum.

L. *Imò verò hac arte nihil eſt generi humano nocentius.*

P. 287. *N.* Nullum poteſt eſſe problema neque de proprio, neque de definitione, neque de accidente, quin idem etiam ſit problema de genere.

L. *Etſi omne ferè prædicatum ſit genus, non tamen genus ſubjectum velut ſpeciem continens.*

P. 289. *N.* Genera numquam poſſunt non ineſſe ſuis ſpeciebus.

L. *Imò verò etiam ex Nizolianis principiis verum manet, genus a ſpecie ſeparari non poſſe. Species enim calidi non eſt aqua, ſed calida aqua. Jam etſi calidum eſſe ab aqua ſeparari poſſit; calidam tamen aquam calidam non eſſe, implicat contradictionem.*

P. 291. *N.* Diverſitas categoriarum nihil impedit, quo minus res unius categoriæ rei alterius categoriæ verum poſſit eſſe genus, ſi non eſſentiale at accidentale & extraneum.

L. *Breviter* : *Concreta non abſtracta diverſarum categoriarum ſibi invicem genus eſſe poſſunt. Imò concreta qualitatum non ſunt in categoriis qualitatum, ſed ſubſtantiarum. Quid enim aliud eſt doctum quàm ſubſtantia docta? Quædam tamen excipienda ſunt, ut bonum, quæ & de accidentibus abſtractis rectè dicuntur in concreto, v. g. virtus eſt bona; non virtus eſt bonitas. Præterea relationes habent ſe ad qualitates, ut modi ad ſubſtantias. Ideo rectè dicitur, virtus eſt ſimilis ſcientiæ, non ſimilitudo.*

P. 292. *N.* Sine ulla dubitatione voluptas eſt motus quidam, ſi non generationis neque corruptionis, neque augmenti neque decrementi, neque motus localis, at certè ejus, quam vocant alterationem.

L. *Nullus motus eſt niſi localis, mutatio tamen quædam non eſt localis, nempe mutatio in mente.*

P. 293. *N. Ariſtoteles* putat, genus ſemper de pluribus quàm ſpeciem prædicari. Sed hoc quoque a nobis ſuprà refutatum eſt.

L. *Imò verò hic de voce tantùm movet* Ariſtoteli *litem. Quidni enim licuerit, ei in hunc uſum philoſophicum velut ſegregare a vulgo generis vocem, ut ſignificet prædicatum ſubjecto latius.*

P. 294. *N.* O bone Deus! quid hominis erat iſte *Ariſtoteles*? Diſpeream, niſi arbitror ei decretum fuiſſe, ut & ſe ipſum ſcribendis nugis, & lectores eiſdem legendis incaſſum fatigaret. Primùm enim quis, niſi planè fatuus & ſtultus, diceret aut poneret, lineas eſſe inſecabiles?

L. *Miror, hoc* Nizolium *ignorare. Diſputat enim* Ariſtoteles *contra* Democritum, *qui ponebat τὰς ἀτόμους.*

P. 296. *N.* Habitus eſt affectio exercitatione ita confirmata & manens, ut niſi magna cum difficultate mutetur & removeatur.

L. *Idem* Ariſtoteles *& vult & dicit. Habitum enim vocat non ἀκίνητον, ſed δυσκίνητον.*

Ibid. N. In ſumma virtus vel prorſus non habetur, vel perfectiſſima & abſolutiſſima habetur, quæ omnia ſunt mendacia & ſomnia Ariſtotelica.

L. *Uti* Cicero *perfectum Oratorem, ita meritò* Ariſtoteles *deſcribit perfectam virtutem, etſi nec hanc in σχημῇ collocet.*

P. 299. *N.* Non, ut *Ariſtoteles* ait, in propriis requiritur, ut ſint notiora. Nam & gannire vulpis & hinnire equi ſine ulla dubitatione proprium eſt, & tamen quis niſi mente captus dicat, gannire magis notum eſſe, quàm vulpem, & hinnire, quàm equum?

L. *Rectè* Ariſtoteles. *Nam ſemper propria ſunt notæ rerum, igitur notiora rebus. Et quia vulpem & canem ſimul videt, dignoſcet illam ab hoc, figuræ proprietate, qui utrumque ſimul audit, dignoſcit hunc ab illa, gannitus differentia. Et qui aliunde dignoſcunt, dignoſcent ex aliis differentiis vel propriis, ut ita tandem, quo res cunque cadat, propria ſint notiora.*

Lib. IV. Cap. II. p. 311. *N.* Fateor quidem, exempla ab enthymematibus

ab

ab *Ariſtotele* diſtincta fuiſſe: ſed ut argumenta & res ad probandum accommodatæ, non ut argumentationes & explicationes argumentorum.

L. *Argumenta ab argumentationibus differunt ut res a vocibus.*

P. 314. *N.* Omnes modi ſyllogiſmorum ſimul collecti tam aſyllogiſti, quàm ſyllogiſtici, quemadmodum ait *Nicephorus*, aſcendunt ad ſummam myriadum triginta trium & ampliùs.

L. *Modos in univerſum bonos & malos* 512. *ſtatuit* Jo. Hoſpinianus *libro peculiari.*

Lib. IV. cap. III. p. 320. *N.* Quidam perfectæ demonſtrationis exemplum hoc afferunt: omne animal rationale eſt riſibile; homo eſt animal rationale, ergo homo eſt riſibilis.

L. *Rectè quidam dixit, nihil eſſe hac demonſtratione riſibilius.*

P. 321. *N.* Tam paſſio, quàm ejus definitio, eſt æquè notum natura.

L. *Falſum hoc. Et uti partes natura priores toto, ita definitio prior ſubjecto.*

Ibid. N. In ſpatio paulo minus duorum millium annorum ex verbis *Ariſtotelis* nondum potuit elici, non ſolùm, quodnam ſit verum demonſtrationis potiſſimæ medium, ſed etiam quæ & quales ſint nonnullæ particulæ in ejus definitione appoſitæ.

L. *Naturam demonſtrationis ſatis explicatam dedere* Viottus, Cornelius Martini, Joachimus Jungius, *tum verò Mathematici omnes. Nihil ea intellecta verius, nihil præſtantius. Aio, hanc eſſe perfectiſſimam demonſtrationem: Omne corpus eſt in ſpatio. Omne, quod in ſpatio eſt, poteſt eſſe in alio ſpatio (quia datur cuilibet ſpatio aliud æquale ſe ſimile.) Quidquid poteſt eſſe in alio ſpatio, poteſt mutare ſpatium. Quidquid poteſt mutare ſpatium, eſt mobile. Ergo omne corpus eſt mobile.*

P. 322. *N.* Quidquid ſcitur, & quomodocunque ſcitur, per cauſſam ſciendi, h. e. per rationem ſciatur neceſſe eſt.

L. *Ea demum vera ſcientia perfectaque eſt, quando coincidit cauſſa ſcientiæ & rei.*

Lib. IV. Cap. IV. p. 327. *N.* Si *Socrates* eſt alius a *Platone*, cujus vox eſt individua, vel minùs communis, non continuò eſſe, ut ſit alius ab homine.

L. *Imò eſt alius ab homine, nempe alio, non ergo ſtatim a ſe.*

Lib. IV. Cap. V. p. 330. *N.* In primo ingreſſu Parvorum Logicalium traditum: Iſtam propoſitionem, homo eſt animal, in ſempiternum tempus eſſe veram, etiamſi nullus homo ſingularis eſſet in mundo.

L. *Rectè hoc dicunt. Qui enim ait, hominem eſſe animal, is hoc vult; ſi quis eſt homo, ille eſt animal. Et quia conditio nihil ponit, ideo ad veritatem hujus propoſitionis non requiritur, ut ſit aliquis homo, ſed, ut ſi ſit, neceſſariò etiam animal ſit, quod eſt veriſſimum.*

Lib. IV. Cap. VI. p. 334. *N.* Libri *Ariſtotelis* hoc modo, quo nunc habentur, nequaquam verè ſunt Ariſtotelici, nec ab *Ariſtotele* verò ita compoſiti,

positi, sed ab alio quopiam ex veris *Aristotelis* libris magna ex parte extracti, & in has Epitomas & compendia, quæ nunc extant, redacti.

L. *Conferendi* Franciscus Patritius & Petrus Ramus.

Ibid. N. Ab Ethicis igitur Nicomachiis incipiens, dico, librum non verè esse Aristotelicum, idque probo primum auctoritate *Ciceronis* in libro V. de Finibus, ita scribentis: Quare teneamus *Aristotelem* & ejus filium *Nicomachum*, cujus accuratè scripti de moribus libri, dicuntur illi quidem esse *Aristotelis*, sed non video, quare non potuerit patri similis esse filius.

L. Cicero *hic duo dicit, primum communem esse sententiam, quòd sint* Aristotelis, *deinde non negat, esse* Aristotelis, *sed saltem conjicit, posse fortasse esse filii. Hæc verò a possibili conjectura communi illorum quoque temporum sententiæ nihil præjudicare debet.*

P. 336. *N. Majoragius* Ciceromastix contrarium sentiens ait, non potuisse *Nicomachum Platonis* amicum esse, ut dicitur in Ethicis, quam constet ex historiis, *Aristotelem*, *Platone* vivo, filios non suscepisse.

L. *Acuta* hæc Majoragii *objectio est, cui nihil solidi opponit* Nizolius. *Nam quum* Cicero Terentium, aliquot sæculis antè vita functum, *suum familiarem vocat, tropicè loquitur, & librum intelligit. Quod in auctorem Ethicorum non quadrat. Si enim* Platonem *amicum vocaret, tantum ob libros ejus sibi charos, non esset, cur amore veritatis crimen violatæ amicitiæ excusaret. Amicitia enim inter hominem & librum verè nulla est.*

Ibid. N. Suidas apertè dicit, *Nicomachum* scripsisse περὶ τῆς Φυσικῆς ἀκροάσεως τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, hoc est, de Physica auscultatione patris sui, ---- et si *Aristoteles* eorum librorum verus fuisset auctor, numquam ipsos inscripsisset de Physico auditu, quum talis inscriptio non *Aristoteli* patri, qui docebat filium, sed *Nicomacho* filio, qui patrem audiebat, & ab eo discebat, convenire videatur.

L. *Hoc perinde est, ac si quis argutaretur, nullum præceptorem debere libellum conscribere de disciplinis, sed de doctrinis, quia doctrina sit præceptoris, disciplina discipuli. Eadem ratione nec Acroamaticos libros suos appellare debuisset.*

P. 337. *N.* Ita loquitur *Galenus*; quasi Analytica priora & posteriora non ab *Aristotele* ipso, sed ab alio quopiam ita fuissent inscripta, & quasi non eadem Analytica multis in locis illorum *Aristotelis* librorum ab eodem *Aristotele* citata reperiantur.

L. *Hoc non dicit* Galenus, *& si diceret, quàm facilè in homine tam Polygrapho ἁμάρτημα μνημονικόν. Credo etiam nunc multos viros doctos, eosque* Aristotelis *lectores, ex tempore interrogatos, non satis certò responsuros, quomodo* Aristoteles *alios suos libros citet. Et arbitror, ipsum* Nizolium *ignoraturum fuisse, nisi ex scriptis aut indicibus, aut observationibus aliorum in* Aristotelem, *quæ tempore* Galeni *aut raræ aut exiguæ erant, didicisset.*

P. 341. *N. Aristoteles* cæli ardorem Deum dicit esse.

L.

L. *Hoc non niſi ab imperitis* Ariſtoteli *tribui poſſe; quod Deum dixerit ardorem cæli, rectè contra* Ciceronem *admonuit* Julius Cæſar Scaliger *Exercit. de Subtil.*

Lib. IV. Cap. VII. p. 345. *N.* Si quis mihi quamlibet excellenter laudet *Platonem* vel tamquam Oratorem, vel tamquam Poëtam proſaicum, libentiſſimè concedam; ſi verò ut magnum Philoſophum & veritatis indagatorem, non ita libenter aſſentior.

L. *Qui ſpecimen profundiſſimæ* Platonis *philoſophiæ cupit, is legat non interpretes, etiam veteres, magnam partem in turgidum ampulloſumque ſermonem ineptientes, ſed ipſum* Parmenidem *&* Timæum, *quorum ille de uno & Ente, id eſt Deo, (nam nulla creatura eſt ens, ſed entia) admiranda ratiocinatur, hic naturas corporum ſolo motu & figura explicat, quod hodie tantopere novis noſtris philoſophis meritò ſanè probatur.*

G. G. LEIBNITII

PRÆFATIO

LIBRO INSCRIPTO

NOVISSIMA SINICA,

Hiſtoriam noſtri temporis illuſtratura. In quibus de Chriſtianiſmo publicâ nunc auctoritate propagato miſſa in Europam relatio exhibetur, deque favore ſcientiarum Europæarum ac moribus gentis & ipſius præſertim Monarchæ, tum & de bello Sinenſium cum Moſcis ac pace conſtituta, multa hactenus ignota explicantur.

Edito anno 1697.

BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

SIngulari quodam fatorum conſilio factum arbitror, ut maximus generis humani cultus ornatuſque hodie velut collectus ſit in duobus extremis noſtri continentis, Europa & Tſchina, (ſic enim efferunt) quæ velut Orientalis quædam Europa oppoſitum terræ marginem ornat. Fortè id agitat ſuprema Providentia, ut dum politiſſimæ gentes eædemque remotiſſimæ ſibi brachia porrigunt, paulatim quicquid intermedium eſt, ad meliorem vitæ rationem traducatur. Nec temerè fieri arbitror, quod Moſci, qui vaſtiſſima ditione Sinas Europæ connectunt, & intimam ſeptentrionis barbariem per glacialis Oceani littora imperio continent, Monarcha ipſo, qui nunc rerum potitur, potiſſimum annitente, & Patriarcha etiam, ut accepi, conſiliis aſtimulante, ad quandam rerum noſtrarum æmulationem eriguntur. Porrò Sinenſe Imperium, ut magnitudine Europam qua exculta eſt provocat, & populoſitate etiam ſuperat, ita multa alia habet, quibus nobis certet, æquo propemodum Marte, & nunc vincat, nunc vincatur. Sed ut rem in ſummam conferam, nam per omnia ire, etſi utilis, longæ tamen & non hujus loci operæ foret; arti-

Digitized by Google

artibus quarum indiget uſus vitæ, & rerum naturalium experimentis, fortaſſe compenſatione facta pares ſumus, habetque utraque pars, quæ alteri cum fructu communicare poſſit: ſed meditationum profunditate & theoreticis diſciplinis nos vincimus. Nam præter Logicam & Metaphyſicam, & cognitionem rerum incorporearum, quas nobis proprias meritò vindicamus; certè contemplatione formarum, quæ mente à materia abſtrahuntur, id eſt rerum mathematicarum, longè excellimus, quemadmodum reapſe compertum eſt, quando Aſtronomia Sinenſium cum noſtra in certamen vênit. Videntur enim ignoraſſe magnum illud mentis lumen, artem demonſtrandi, & Geometria quadam Empirica contenti fuiſſe, qualem inter nos paſſim operarii habent. Diſciplina etiam militari noſtris cedunt, non tam ignoratione quàm conſilio quodam ſuo, dum aſpernantur, quicquid in hominibus feritatem quandam facit aut alit, & propemodum æmulatione altioris doctrinæ Chriſti, quam nonnulli malè perceptam ad ſcrupuloſitatem producunt, bella averſantur. Sapienter illi quidem ſi ſoli in orbe eſſent: nunc eo res redit, ut etiam bonos neceſſe ſit artes nocendi colere, ne omnem rerum poteſtatem mali ad ſe trahant. His ergo nos ſuperiores ſumus. Sed quis olim credidiſſet, eſſe gentem in orbe terrarum quæ nos opinione noſtra ad omnem morum elegantiam uſque adeo eruditos, tamen vincat civilioris vitæ præſcriptis? & hoc tamen in Sinenſibus nunc experimur, ex quo illa gens nobis notior facta eſt. Itaque ſi artibus operatricibus pares ſumus, ſi ſcientiis contemplativis vicimus, certè practica philoſophia (quod propemodum fateri pudet) victi ſumus, id eſt Ethicæ & Politicæ præceptis, ad ipſam vitam uſumque mortalium accommodatis. Dici enim non poteſt, quàm pulchrè omnia ad tranquillitatem publicam, ordinemque hominum inter ſe, ut quàm minimum ſibi ipſi incommodent, ſupra aliarum gentium leges apud Sinenſes ſint ordinata. Certum eſt maxima mala hominibus à ſe ipſis, & à ſe invicem oriri, & hominem homini lupum eſſe nimis verè dictum eſt, magna quidem noſtra ſed catholica admodum ſtultitia, qui tot naturæ injuriis expoſiti miſerias nobis ipſi cumulamus, quaſi aliunde deeſſent. Cui malo ſi quod ratio remedium utcunque attulit, certè Sinenſes præ cæteris ad meliorem normam acceſſere, & in vaſta hominum ſocietate plus penè effecere, quàm in ſua familia apud nos religioſorum ordinum fundatores. Tanta eſt obedientia erga ſuperiores, tanta erga ſeniores reverentia, tam religioſus propemodum liberorum in parentes cultus, ut violentum aliquid vel verbo in eos parare, inauditum propemodum illis, & penè, ut parricidium inter nos, facinus piaculare videatur. Porrò inter pares aut minùs invicem obligatos mirabilis obſervantia & præſcripta officiorum ratio, quæ nobis, ſcilicet ratione & regula agere parum aſſuetis, ſervitutis aliquid habere videtur, illis uſu in naturam verſa, jucundè obitur. Ruſtici & ſervi Sinenſes, quod noſtris cum ſtupore obſervatum, cùm valedicendum eſt amicis, aut cùm à diuturna abſentia mutuo conſpectu

ſpectu fruuntur, ita amanter, ita reverenter inter ſe agunt, ut omnem magnatum Europæorum provocent civilitatem. Quid jam à Mandarinis, quid à Colais expectes? Ita obtinuere, ut vix quiſquam alterum vel verbulo offendat in communi converſatione, & rara odii, iræ, commotionis indicia excidant. Et cùm apud nos reverentia quædam & diſpenſata converſatio vix ac ne vix quidem primis novæ notitiæ diebus duret, mox autem familiaritate procedente circumſpectio exuatur, jucundæ quidem libertatis ſpecie, ſed unde mox contemtus, & mordacia dicta, & iræ, poſtremoque inimicitiæ: contra Sinenſibus vicini etiam, imò domeſtici, ſepimento quodam conſuetudinum ita continentur, ut perpetuæ officioſitatis ſpecies conſervetur. Et licet nec avaritia, nec libidine, nec ambitione vacent; ut hactenus de illis verum ſit quod de Lunaribus populis apud Harlequinum Imperatorem Lunæ in theatro ſæpe repetebatur, perinde ibi omnia ut hic agi; (*C'eſt tout comme ici*) veramque adeo virtutem ſatis aſſecuti non ſint Sinenſes, quam niſi à cœleſti gratia & Chriſtiana diſciplina non expectes: vitiorum tamen acerbos fructus temperavere; & cùm radices peccatorum de humana natura exſtirpare non poſſent, propullulantes tamen frutices malorum pro bona parte ſuccidi poſſe oſtenderunt. Quis verò non miretur Monarcham tanti Imperii, qui penè humanum faſtigium magnitudine exceſſit, & mortalis quidam Deus habetur, ut ad nutus ejus omnia agantur, ita tamen educari ſolere ad virtutem & ſapientiam, ut legum obſervantia incredibili, & ſapientum hominum reverentia vincere ſubditos, ipſo culmine ſuo dignum judicare videatur. Nec facilè quicquam occurrat memoratu dignius, quàm videre maximum Regum, qui nunc omnia poteſt, poſteritatem tam religioſè vereri, & annalium metu magis quàm alii Comitiis ordinum & Parlamentis coerceri; magnaque circumſpectione vitare, ne quid ii quibus hiſtoriæ ſui regni materiam præparare datum, in clauſas illas atque inviolabiles arculas immittere poſſint, quo ſua exiſtimatio aliquando maculetur. Uſque adeo ut qui nunc regnat *Cam-Hi*, Princeps pene ſine exemplo egregius, utcunque in Europæos propenſus, libertatem tamen Religionis Chriſtianæ lege publica indulgere, tribunalibus diſſuadentibus auſus non ſit, donec ſanctitas ejus explorata fuit, & conſtitit non alia melius ratione magnum Principis & ſalutare conſilium ad exitum perduci poſſe, de introducendis apud Sinas artibus ſcientiiſque Europæis. Qua ille in re mihi longiùs unus quàm omnia ſua tribunalia proſpexiſſe videtur: tantæque prudentiæ cauſam hanc eſſe exiſtimo, quod Sinenſibus Europæa conjunxit. Nam in omni Sinenſium diſciplina pene ultra privati hominis diligentiam jam tum inſtructus fuit à pueritia, ut in Mandarinorum examinibus, quibus honores & magiſtratus deferuntur, judex habeatur acerrimus, & (quæ apud ipſos doctrina ſumma eſt) animi ſenſa mirificè ipſe exponat characteribus, in tantum ut conſcriptum à doctiſſimis hominibus Chriſtianorum libellum ſupplicem ipſe potuerit in

melius

melius reformare. Itaque ſuæ primum gentis doctrinam accuratè intelligens, nec jam iniquus judex, ubi à Patre *Ferdinando Verbieſtio* Brugenſi Belga, ex Societate Jeſu, *Joh. Adami Schalli* Colonienſis diſcipulo, Europæarum ſcientiarum guſtum accepit, quem fortaſſe in illo Imperio hactenus habuit nemo, non potuit non ſupra omnes Sinas & Tartaros rerum cognitione proſpectuque extolli, quemadmodum ſi pyramidi Ægyptiæ turris Europæa imponeretur. Memini R. Patrem *Claudium Philippum Grimaldum* ex eadem Societate inſignem virum, Romæ mihi non ſine admiratione hujus Principis virtutem & ſapientiam prædicaſſe; nam ut de amore juſtitiæ, de caritate erga populos, de moderata vivendi ratione, cæteriſque laudibus nil dicam; mirificam ſciendi cupiditatem pene fidem ſuperare ajebat. Nam is quem cognati Principes, & maximi Viri totius Imperii eminùs venerantur & propè adorant, cum *Verbieſtio* in interiore conclavi per tres quatuorve horas quotidie Mathematicis inſtrumentis libriſque operam dabat, ut diſcipulus cum Magiſtro; tantumque profecit, ut demonſtrationes Euclideas perceperit, & trigonometricis calculis intellectis, Aſtrorum phænomena numeris vincire poſſit. Quin & quod R. P. *Ludovicus de Comitibus* nuper inde redux relatione de Sinis edita nos docuit, librum ipſe de Geometria confecit, ut tantæ ſcientiæ elementis & magnarum veritatum notitia liberos ipſe ſuos imbuat, ſapientiamque, quam ſuo Imperio intulit, in ſua domo hæreditariam reddat felicitati populorum etiam ultra vitam ſuam proſpiciens: quibus conſiliis, quæ agitari in humanis præclariora poſſint, non video. Geometriam autem non operarii ſed Philoſophi ritu intueri oportet; & cùm virtus fluat ex ſapientia, ſapientiæ autem anima ſit veritas, ii autem demum quibus exploratæ ſunt Geometrarum demonſtrationes, æternarum veritatum indolem perſpectam habeant, & certum incerto diſcernere poſſint; cæteris mortalibus inter conjecturas vacillantibus, & propemodum quod *Pilatus* quærebat, quid ſit veritas neſcientibus; ideo non dubium eſt, Sinenſium Monarcham præclarè vidiſſe, quod in noſtra orbis parte *Plato* olim inculcabat, neminem imbui poſſe ſcientiarum myſteriis niſi per Geometriam. Nec alia re factum puto quòd Sinenſes, etſi ab aliquot annorum millibus miro ſtudio doctrinam colentes, & maxima doctis præmia proponentes, tamen ad exquiſitam ſcientiam non pervenere, quam quòd uno illo Europæorum oculo, Geometria ſcilicet caruere. Tametſi autem illi nos monoculos crediderint, habemus tamen alium adhuc oculum, nondum ſatis ipſis cognitum, primam ſcilicet Philoſophiam, per quam ad rerum incorporalium etiam notitiam admiſſi ſumus. Hanc docere jam paraverat *Verbieſtius*, quod ita Chriſtianæ religioni viam magis parari rectè judicaret, ſed morte præventus fuit. Nunc accepi RR. PP. *Gerbillonium* & *Bouvetum* Jeſuitas Gallos auſpiciis Regiis, magnorumque ejus ordinis gentiſque virorum *Hedræi* & *Verjuſii* ſtudio, cum quatuor aliis, Mathematicorum titulo ex Academia Scientiarum in Orientem miſſos, præter

Mathematicas artes, etiam Philoſophiæ noſtræ doctrina Monarcham ſibi devinxiſſe. Quod ſi ita pergitur, vereor ne mox omni laude Sinenſibus inferiores ſimus: quæ non ideo dico quod illis lucem novam invideam, cum gratuler potius; ſed quod optandum ſit viciſſim nos discere, quæ magis adhuc in rem noſtram eſſent, uſum maximè Philoſophiæ practicæ, & emendatiorem vivendi rationem, ut de aliis eorum artibus nunc nil dicam. Certè talis noſtrarum rerum mihi videtur eſſe conditio, gliſcentibus in immenſum corruptelis, ut propemodum neceſſarium videatur Miſſionarios Sinenſium ad nos mitti, qui Theologiæ naturalis uſum praxinque nos doceant, quemadmodum nos illis mittimus qui Theologiam eos doceant revelatam. Itaque credo, ſi quis ſapiens, non formæ Dearum, ſed excellentiæ populorum judex lectus eſſet, pomum aureum Sinenſibus daturum eſſe, niſi una maximè ſed ſupra-humana re eos vinceremus, divino ſcilicet munere Chriſtianæ religionis.

Hoc tantum cœli beneficium laudatiſſima caritate à compluribus annis Sinenſi Imperio inferre ſtudent, cùm alii in Europa, tum maximè Societas Jeſu, cujus, etiam eos qui hoſtem ſibi judicant, laudare in ea re virtutem oportet. Scio *Antonium Arnaldum* virum inter noſtri ſeculi ornamenta referendum & mihi olim amicum, concitato contra illos zelo, exprobraſſe quædam eorum Miſſionariis, ſed ut arbitror in nonnullis juſto vehementius, nam *Pauli* exemplo omnibus omnia fieri oportet, & *Confutii* honores religioſæ adorationis nihil habere videntur. Idemque *Arnaldus* etiam cum Batavis Angliſque ſua Apologia egit iniquius, vel paucorum deſidiam omnibus imputans, vel *Tavernerii* privata quadam in Batavos injuria irritati dicteriis idem habens, cùm multa hominum millia in utriſque Indiis ab illis ad fidem converſa conſtet, & ſæpe privatis conſiliis, publicaque auctoritate actum ſit, ut in ſocietatem laudis laboriſque communis, ſepoſita interim contentione veniretur. De quo, magnorum Principum pietatem & ſapientiam intuens, reddita Europæ pace non deſpero. Tametſi religioſorum ordinum inſtitutum eam miſſionibus ſacris commoditatem præbeat, quam aliorum conatus non facilè aſſequuntur. Rem autem ita agi velim, ut ne intelligant quidem populi, quorum ſalutem meditamur, quibus Chriſtiani inter nos diſſideamus, cùm omnes catholicè conſentiamus in ea Chriſtianæ fidei præcepta, quæ ſi illæ amplecterentur gentes, de ſalute earum nemo dubitaret; dummodo nihil hæreticum & ſubditicium & omnino dubitatione gravi libatum affricaretur. Qua in re ita prudenter agi oportet Eccleſiæ veteris exemplo, ut neque omnia myſteria inconſultè ingerantur animis non præparatis, neque tamen ſtudio placendi gentibus Chriſtiana veritas detrimentum patiatur, ut in Evangelio quodam Perſicè compoſito factum eſſe queſtus eſt *Ludovicus de Dieu*. Et cùm intelligam Romam ipſam interdum moram progreſſibus injeciſſe viſam ſcrupuloſitate quadam ex relationibus miniſtris orta; & nonnullos malè conſultos rerumque humanarum

harum imperitos, reclamantibus doctioribus, longinquos Chriſtianos ad omnes occidentalium formulas adigere voluiſſe, qui ſanè error ipſis haud dubiè florentis jam apud Abaſſinos Eccleſiæ interitu ſtetit: ſperandum eſt in poſterum ex Chriſtianæ prudentiæ præſcripto cautiùs acturos & daturos operam, ut magna illa occaſione divinitus data rectè utantur, ex quo Monarcha Sinarum publica lege Chriſtianam fidem permiſit, cujus negotii hiſtoriam præſens libellus tradit. Hactenus enim tolerabantur magis Chriſtiani ritus quàm permittebantur, nec vel Sinenſium vel Tartarorum Principum favor, meritaque noſtrorum aliud effecerant, quàm ut conniveretur, ſuſpenſa legum executione, quæ in ſectas improbatas diſtrictæ habentur, quibus noſtra religio connumerabatur; ſed fecit materialis cœli ſtudium, & (ut eleganter in opere quodam ſuo Sinicè & Latinè edito aiebat *Verbieſtius.*)

Regales animos dignata movere ut Uranie ſancta noſtra & verè cœleſtis doctrina admitteretur. Mox Geometriæ noſtræ firmitas, ubi primùm à Rege guſtata eſt, tantæ admirationi fuit, ut facilè crederet in rebus aliis etiam recta docere, qui ſic ratiocinari didiciſſent. *Riccius* Sinenſibus primus quid Europæi poſſent ſub initium ſeculi hujus oſtenderat; *Schallus*, ſub Sinenſi Monarcha & ſub Tartaro ſucceſſore publicè triumphum egerat de Sinenſi aſtronomia; *Verbieſtius* rem Chriſtianam ſub Principe adhuc minore annis, hoſtili jam furore everſam, magna virtute reſtituit, & mox Regis juvenis familiaritatem adeptus, conſtantiam viri invenit. Uſurum promta voluntate Principis ſcientiarum dulcedine capti, & miſſionarios accerſentem, aliquandiu lites impediere, quæ Vicariis Pontificis, & Luſitanis intercedebant jus Epiſcopos Sinis nominandi vindicantibus. Sed & inter Epiſcopos Heliopolitanum & Berytenſem, cum ampla poteſtate à Pontifice in orientem deſtinatos, & miſſionarios ex ordinibus religioſis profectos privilegiiſque ſuis & prima poſſeſſione ſubnixos variè certatum eſt, donec Pontificis autoritas vicit. Compoſitis ergo rebus *Verbieſtius* ſibi non defuit, & cùm plurimum in animo Principis poſſet, perſuaſit ipſi, quod res eſt, eſſe in Europæorum doctrina magnarum rerum theſauros, effecitque, ut quod nemo meminit à Sinis factum (niſi cùm in occidentem deſtinatus olim legatus ex prima Indiæ Inſula infelix *Foe* idolum attulit) mitteretur in Europam ille ipſe quem dixi *Grimaldus*, ut homines variarum artium periti adducerentur. Cujus ab hoc viro ſuſcepti laboris memoria tanti fuit apud Imperatorem (extincto jam *Verbieſtio*, & nondum reverſo *Grimaldo*) ut in libello ſupplice pro libertate religionis oblato, inter magna Doctorum Europæorum merita recenſeretur. Mox cùm quinque Jeſuitæ Galli Mathematicis ſcientiis inſtructi, ex Siamenſi regno invitis quidem tunc Luſitanis ad Sinas penetraſſent, nova occaſio oblata eſt noſtris Imperatorem demerendi. Moſci Barbaras nationes prudenti moderatione paulatim ſub jugum pellicientes, propagato in immenſum Imperio, ita Tartaris Sinen-

ſibus appropinquaverant, ut tandem de finibus controverſiæ naſcerentur. Res nunc armis, nunc tractatibus acta eſt: Tandem in urbe Nipchou ditionis Moſchicæ, utriuſque gentis legati juſſis propemodum exercitibus ſtipati convenere, Sinenſes ſecum adduxere Patres *Pererium* Luſitanum, & *Gerbillonium* Gallum Jeſuitas, quibus interpretibus factum eſt, ut ultima manus feliciter imponeretur negotio, firma pace concluſa, ipſisque Legatis publicè profitentibus, in tanto morum & conſiliorum divortio & ſcrupuloſiſſimarum nationum æmulatione re infecta diſceſſuros omnes fuiſſe, niſi affuiſſent. Quo deinde ſucceſſu ipſe Imperator prudentiſſimè uſus eſt, ut Europæos Doctores tribunalibus ſuis commendaret. Facta mihi copia eſt literarum, quas ex loco Tractatuum *Gerbillonius* ad *Hedræum* & *Verjuſtum* ſcripſit Moſciſque curandas commendavit, ex quibus non contemnenda didici & in appendice ſubjeci. Quædam etiam brevis relatio noviſſimæ Moſcorum ad Sinas pace jam facta obitæ legationis vel itineris potius hic adjicitur. Amplam & argumento dignam expectamus à Dn. *Brandio* Lubecenſi, qui ablegatus ipſe fuit. Addemus & notitiam libri Aſtronomici Sinenſibus ſimul & latinis characteribus à *Verbieſtio*, editi, & à me inſpecti, & breves R. P. *Grimaldi* Præſidis in Mathematico Tribunali literas Goa ex itinere datas 6. Decemb. 1693. cùm ad Sinas ſuos rediret; vel ideo quod ſpem egregiarum in Europam communicationum mihi fecere; & poſtremas R. P. *Thomæ* natione Belgæ vice Præſidis in Mathematico tribunali, quibus nonnulla de inſigni Chriſtianiſmi progreſſu docemur, & ſpero excitari poſſe Europæas aulas Eccleſiaſque, ut operarios mittant in paratiſſimam meſſem. Ex his etiam colligi videtur *Grimaldum*, quem ut primum Pequinum attigerat, periculosè decubuiſſe intelleximus magno publicæ rei bono reſtitutum eſſe. Hic cùm Româ digrederetur, miſſionariorum partem maximam in Luſitanis navibus præmittens, conſtituerat terra ire per Moſcos, literis & ſigillo Tribunalis Regii rerum militarium ſupremam curam gentis inſtructus, & Magno Cæſare noſtro Regeque Poloniæ in itinere ſalutatis; ſed nec ſui negotii momento, nec tantorum principum commendatione obtinere potuit ut à Moſcis admitteretur, quod paulo ante fatum etiam R. P. *Aprilis* ſenſit, cujus itinerarium extat. A me *Grimaldus Andreæ Mulleri* Pomerani orientalium rerum doctiſſimi, promiſſa Clavis Sinicæ acceperat, & virum, per Sileſiam tranſiturus convenire fruſtra quæſierat, quanquam ſubdubitans de ſucceſſu, nihil tamen in tanta re judicans negligendum. Sed certabat in *Mullero* cum doctrina moroſitas, itaque & ego & *Grimaldus* & *Ludolphus*, & Magnus ipſe Elector defunctus à quo Berolinenſem præpoſituram acceperat, fruſtra fuimus; ſive ille inventa ſua nimio æſtimaret, ſive nondum ſatis exculta in apricum proferre dubitaret, majora credi putans de ignotis. Et eo uſque proceſſit ſingulare viri ingenium, ut minas quas ſparſerat executus, ſchedas ſuas paulo ante obitum exuſſiſſe dicatur, ambiguo judicio,

utrius

utrius nobis notitiam ſubtrahere voluerit, ſcientiæ ſuæ an neſcientiæ. Ego, ut præclara aliqua jam tum obtinuiſſe, ita plura ſperaſſe arbitror, quæ potuiſſet præſtare ſi ſatis fuiſſet adjutus; quòd ſi intelligentibus ingenuè rem omnem expoſuiſſet, haud dubiè magnorum principum, & ſui præſertim domini favore deſiderata ſuppleſſet. Interea quicquid hoc fuit, quod non planè de nihilo fuiſſe arbitror, obſtinatione viri cætera boni & bene meriti, Chriſtianæ rei & miſſionibus periit. *Grimaldus* autem, ut ad hunc revertar, impenetrabiles Moſcos expertus, iter Genuam relêgit, inde Maſſiliam & hinc Smyrnam navigans, terra ad Perſas pervênit, quorſum eum & ultra etiam, literæ meæ ſunt ſecutæ, quas commendatitiis pro *Grimaldo* ad Perſarum Regem ſuis Sereniſſimus Poloniæ Rex adjungi juſſerat, commendantibus RR. PP. *Vota* & *Kochanskio*: tametſi ipſo jam digreſſo literæ Iſpahanum advenere. Ex Perſis per Usbeccenſes Tartaros & Bocharam porrò ad Sinas cogitaverat, ſed infeſtis itineribus in illa barbarie deterritus, tritiore via per Goam & Indos Macaenſem poſtremò portum tenuit: & magno Principis gaudio ſummoque honore in Sinenſi Imperio fuit exceptus. Nunc res Chriſtiana egregiè amplificari dicitur, maxima ſpe progreſſuum majorum, præſertim ſi verum eſt, quod R. P. *Adamus Adamandus Kochanskius*, pollens inſigni humanitate, præclaraque rerum præſertim mathematicarum ſcientia, inventiſque etiam ſuis Jeſuitici ordinis ornamentum, ſibi nuntiatum ad me ſcripſit, hæredem Imperii aliqua linguarum Europæarum notitia imbui. Jam ex Gallia nova Miſſionariorum ſupplementa mittuntur. Spero Germaniam quoque ſibi & Chriſto non defuturam & quod literis Viennam ſcriptis optare me ſignificavi, Cæſareo cum Moſcis fœdere nuper icto mittendis ad Sinas Evangelii præconibus aditus apertos: ſumma Cæſaris pietate & ſapientia utente R. P. *Menegatto* Confeſſario, cujus doctrina eminens auctoritati reſpondet. Quod ſi ea res cordi ſit iis ad quos pertinet, putem aliqua moneri poſſe, ut divino munere, proniſque rebus tanto rectiùs utamur.

Jam olim Sinæ Chriſtum audire cæpêre. Serum nomine Romanis & Græcis notos fuiſſe conſtat. *Juſtiniani* magni temporibus vermes ſerici textores allati ſunt in Romanum Imperium, tunc etiam *Coſmas* Monachus Indopleuſtes ſupra alios remotarum gentium notitiam dedit. Ex ejus ſcriptis excerptam Inſcriptionem Adulitanam Africæ interioris *Holſtenius* edidit. Idem *Coſmas*, quod nemo ante ipſum quantum conſtet, regionis Sericæ verum nomen prodidit. Nam Tzin vocat, quæ pronunciatio magis veritati accedit, quàm noſtra vulgaris, cum Sinas aut Chinam nominamus, Tſchinam enim cum Luſitanis efferendam jam dixi.

Porrò Syriæ Chriſtianos penetraſſe ad Sinas & Chriſto Eccleſiam fundaſſe, monumentum prodit apud Sinenſes noſtro ſeculo repertum, quod edidit *Athanaſius Kircherus*, & *Andreas* quoque *Mullerus* illuſtravit. Cùm verò apud eruditos dubitatione aliqua libatum fuerit, *Melchiſedecus Thevenotius*

venotius Bibliothecarius in Gallia Regius, qui maxima rerum cognitione inſtructus, & præclara conſilia agitans Geographiam imprimis illuſtrare cogitabat, ſubſidia quædam juvandæ ejus auctoritati in Mahometanorum ſcriptis invênit, quæ vereor ne morte viri intercideriut. Poſtea inquirens intellexi *Herbelotium* Gallum Orientalium rerum notitia inſtructiſſimum, qui & ipſe obiit, relationem quandam (Arabicam an Perſicam) itineris per Usbeccenſes ad Catainos vel Sinenſes, magno Hetruriæ Duci interpretatum, ubi comprobatio quædam extare dicitur antiqui apud Sinas Chriſtianiſmi; quam in publicum proferri, cùm rei Chriſtianæ intereſt, V. Cl. *Antonium Magliabechium*, & meis & aliorum laudationibus ſæpe nominatum, hortatus ſum, ut quicquid hoc eſt erui curet, favituro haud dubiè Magno Duce cujus æquat pietatem ſapientia. Apud nos poſt *Andr. Mulleri* obitum *Chriſtianus Menzelius* Sereniſſimi & Potentiſſimi Electoris Archiater, Sinenſem eruditionem Berolini conſervat; optimam ejus voluntatem animante prono favore Electoris ſapientiſſimi, & veræ pietatis fideique propagandæ ardentiſſimo ſtudio nemini concedentis. Porrò cùm hæc quam nunc edo Rectoris Collegii Pekinenſis relatio à R. P. *de Amarat* Lusitano ex urbe miſſa, commendante Dn. *de Cochenheim* Celſiſſimi Epiſcopi Monaſterienſis Conſiliario mihi communicata ſit, putavi rei Chriſtianæ intereſſe, ut matura extaret divini beneficii accurata recitatio, conferenda cum iis, quæ R. P. *Ludov. de Comitibus* in ſua rerum Sinenſium expoſitione Gallica attigit. Nec me inconſultè facturum putavi, ſi quædam adjicerem præfarerque, quibus Europæa pietas magis magiſque ad maximum negotium proſequendum inflammetur. Certè tanta eſt per ſe amplitudo Sinenſis Imperii, tantaque prudentiſſimæ nationis in Oriente opinio, & in exemplum cæteris valitura auctoritas, ut vix inde ab Apoſtolicis temporibus aliquid majus pro Chriſtiana fide agitatum videatur. Faxit Deus ut ſolida & durabilia ſint gaudia noſtra, nec imprudenti zelo, vel inteſtinis diſſidiis hominum Apoſtolica officia obeuntium, aut pravis exemplis noſtrorum turbentur.

RECEN-

Digitized by Google

RECENSIO LIBRI INSCRIPTI

Noviſſima Sinica, Hiſtoriam noſtri temporis illuſtratura, a D. G. G. Leibnitio anno 1697. edito.

Ex Actis Eruditorum Lipſienſibus anni 1697. depromta.

NIhil ab aliquo tempore Orbi Chriſtiano fructuoſum magis lætumque accidit, quàm Religionis Divinæ libertas in ampliſſimo Sinarum Imperio ante hos quinque annos publico decreto ſtabilita. Primus, quantum quidem nobis conſtat, rei gratiſſimæ nuncium ad Europæos miſit P. *Joſephus Suarius*, Luſitanus, Societatis Jeſu Millionarius Sinenſis, Pekinenſiſque Collegii Aulici Rector, edito libello, quo & Miſſionariorum in annuncianda per Sinam Chriſtiana Fide ſtudium, & objectas iis arduo in negotio difficultates, & felicem tandem, impetrato anno 1692. d. 22. Martii ſolenni pro libertate Chriſtianiſmi edicto, conatuum eventum ſtudiosè enarravit: quem, ut fama tantæ felicitatis latiùs propagaretur, recudi non ita pridem, luculenta elegantiſſimaque præfatione ac opuſculis aliis auctum, ſub *Noviſſimorum Sinicorum* titulo curavit Vir illuſtris, *Gothofredus Guilielmus Leibnitius*. Equidem ſeculum jam, & quod excedit, lapſum eſt, ex quo poſt tentatum fruſtra tum à *Franciſco Xaverio* è primis Societatis Jeſu Patribus, tum ab aliorum religioſorum Ordinum Sociis nonnullis in Sinam ingreſſum, utpote quo exteri omnes lege publica prohibebantur, P. *Matthæo Riccio* ejuſque commilitonibus tam felicibus eſſe licuit, ut comparata ſibi Sinenſis linguæ peritia, & Proceribus nonnullis per inſignem Matheſeos & Aſtronomiæ inprimis, qua pollebant, ſcientiam conciliatis, clam ſenſimque, his conniventibus in diverſas Sinici Imperii provincias ad ſpargendum Evangelii ſemen penetrarint, ſtationemque paſſim ac denique in ipſa Pekinenſi aula fixerint. Quorum progreſſum hiſto iam ex ipſis P. *Riccii* commentariis P. *Nicolaus Trigautius*, editis an. 1616. de Chriſtiana expeditione apud Sinas ſuſcepta ab Societate Jeſu libris V. curatè deſcripſit. Aſt plurimum & augmenti & decoris naſcenti in Sinis Chriſtianiſmo P. *Joannes Adamus Schall* è Societate itidem Jeſu addidit, qui cùm jam anno 1621, rerum adhuc potiente familia *Taiminga*, in Sinam perveniſſet, poſt inſecutam rerum converſionem Sinamque à Tartaris ſubjugatam, eum gratiæ locum Aſtronomica ſcientia ſua apud novum Imperatorem *Xunchium* adeptus eſt, ut ſupremus Tribunalis Mathematicæ Præſes conſtitueretur, *præſtantis & Arcanæ Legis Doctor* honorifico cognomento dictus; cui adeo in proclivi fuit, *Xunchio* ſuperſtite, & promovere Evangelii curſum,

ſum, & ſi quæ hic illic ſe proderent, perſecutiones auctoritate ſua comprimere. Sed ea quidem felicitas cum ipſo *Xunchio* extincta eſt, adminiſtratione Imperii dum filius illius *Khambius* ea tempeſtate minor adoleſceret, ad Quatuorviros è Proceribus, eoſque Jeſuitis infenſiſſimos delata: quando paſſim in Chriſtianos ſævitum fuit, *Schallio* ipſo in præſentiſſimum vitæ periculum adducto, plurimis actis in exilium, fide Chriſtiana ex univerſo Imperio proſcripta; tribus tantùm cum *Schallio*, qui non multo poſt obiit Patribus Societatis Pekini remanere juſſis. Ex quibus tamen anguſtiis emergere res Chriſtiana cœpit, ſimul ac regno maturus *Khambius* anno 1667. imperii habenas capeſſivit. Nec enim difficile Jeſuitis fuit, Principis ſcientiarum omnium & Mathematicarum inprimis cupidiſſimi, probata ipſi Aſtronomicarum rerum inſigni, qua inſtructi erant, peritia, graphicis etiam ac artificioſis operibus oblatis, gratiam ſibi conciliare: ut non ſolùm paulo poſt P. *Ferdinandus Verbieſt* Matheſeos Tribunali fuerit præfectus, ſed tandem omnibus, ſine diſcrimine, Chriſtiana ſacra amplectendi licentia impetrata. Id quo pacto & per quas ambages perfectum fuerit: ut nulli occaſioni, qua conſulere Chriſtianæ religionis libertati & incrementis poſſent, defuerint Patres; ut Imperator iis faventiſſimus, nec ſui tamen unius auſpiciis rem publicè inviſam promovere auſus, jam cum Tribunali Rituum, jam cum Imperii Comitiis, jam cum Tribunali operarum publicarum, de Chriſtianiſmo ſeu opprimendo, ſeu ſuſtentando firmandove egerit; ut promulgata iſthoc de negotio mandata publica fuerint, quorum aliis Chriſtiana fides prohibita planè, aliis permiſſa quidem, ſed licentia ad ſolos ex Europa advenas, indigenis excluſis, reſtricta; ut denique Imperator auctoritate ſua Tribunalium pervicaciam vicerit, cunctiſque adeo, nemine excepto, ſolenni decreto permiſſum fuerit, inter Chriſtianos nomen profiteri: hæc ſunt, quæ eleganter ſatis à *Suario* in brevi hoc libello expoſita legi ab unoquoque merentur. Subjunguntur illi ab illuſtri Editore opuſcula alia (quæ inter & Epiſtola ad eum a viro celeberrimo P. *Claudio Philippo Grimaldi S. J.* perſcripta comparet) ad Sinenſem Hiſtoriam ſpectantia. Faxit modò Numen, ut ea felicitas rei Chriſtianæ ſit perpetua, nec unquam à Sinenſium Imperatoribus Edictum in eam ſatis benignum revocetur. Certè ab omni metu immunes nos non ſint; Imperatoris ipſius ad Jeſuitas apud *Suarium* noſtrum pag. 158. monitum: *ut ad beneficii* (non æternitatem ſed) *diuturnitatem caute eo uterentur, opus eſſe Chriſtianos, imprudenti agendi modo obnoxios in officio & quietos continere.* Sicut & alterum ejuſdem monitum ibidem expendi meretur: *ut Religio Chriſtiana ſe, quantum fieri poſſit, accommodaret Imperii conſuetudinibus.*

TRAI-

TRAITÉ

SUR QUELQUES POINTS DE LA RELIGION DES CHINOIS,

PAR LE R. P. NICOLAS LONGOBARDI,

Ancien Supérieur des Miſſions de la Compagnie de Jeſus à la Chine.

Imprimé à Paris l'an 1701. *auquel on a joint quelques remarques de M.* G. G. LEIBNIZ.

AVANT-PROPOS.

IL y a plus de vingt-cinq ans, que le XANGTI de la Chine (terme qui ſignifie le Roi d'enhaut) commença à me faire quelque peine, parce qu'à mon entrée dans le Royaume, ayant lû, ſelon la coûtume de nôtre Compagnie, les quatre Livres de CONFUCIUS, je remarquai, que l'idée que divers Commentateurs donnoient du XANGTI, étoit oppoſée à la nature divine. Mais comme nos Péres, qui depuis longtems faiſoient la Miſſion, m'avoient dit, que le XANGTI étoit nôtre Dieu, je rejettois mes ſcrupules, & je m'imaginois que la différence qui ſe trouvoit entre le texte ainſi entendu, & les Commentaires Chinois, venoit de l'erreur de quelque Interpréte, qui n'avoit pas bien pris le ſens du texte, & qui s'étoit éloigné de la doctrine des Anciens. Je demeurai dans cette penſée pendant les treize premiéres années de mon ſéjour en la ville XAO-CHEU, ſans m'éclaircir, comme je le devois, ſur ces difficultés, & ſans le pouvoir même, parce

que nos Péres étoient diſperſés dans les autres maiſons de nôtre Compagnie.

Le P. *Matthieu Ricci* étant mort, je fus mis en ſa place, chargé comme lui de tout le poids de la Miſſion (1). Je reçûs une lettre du P. *François Paſſio*, Viſiteur du Japon, par laquelle il m'avertiſſoit, qu'en tels & tels livres qu'il marquoit dans ſa lettre, & compoſés en Chinois par nos Péres, il y avoit des erreurs ſemblables à celles des Gentils. Ce qui donnoit, ajoutoit-il, beaucoup d'embarras aux Péres & aux Fréres de la Miſſion du Japon : parce qu'au même tems qu'ils combattoient ces erreurs, les Gentils les ſoutenoient par les livres de nos Péres ; c'eſt pourquoi il me recommandoit très particuliérement d'examiner bien cette affaire avec les autres Miſſionnaires de la Chine. Car quoiqu'il ne pût ſe perſuader, diſoit-il, que les Péres qui compoſoient ces livres, étant de bons Théologiens, fuſſent capables de ſe tromper, & de ne pas bien démêler la doctrine des différentes ſectes des Gentils, il avoüoit pourtant ingénûment que l'aſſurance avec laquelle nos Péres du Japon, qui avoient fait une étude particuliére de la doctrine & des principes de ces mêmes ſectes, & qui entendoient auſſi les livres Chinois, que leur aſſurance, dis-je, à ſoutenir, qu'il y avoit de l'erreur dans les ouvrages de nos Péres de la Chine, faiſoit beaucoup d'impreſſion ſur ſon eſprit. Cet avis du P. *Paſſio* augmenta les doutes que j'avois eu autrefois, & je donnai tous mes ſoins à découvrir la vérité, & à la mettre en ſon jour. Les fonctions de ma charge m'ayant obligé d'aller à Pekin, je trouvai le Pére *Sabathino de Urſis* dans les mêmes ſcrupules que moi, au ſujet du XANGTI. Nous eûmes pluſieurs entretiens avec le Docteur *Paul*, & avec quelques autres Docteurs bien verſés dans la matiére dont il s'agiſſoit, pour ſçavoir d'eux le moyen d'accorder les Commentaires avec

REMARQUES DE M. LEIBNIZ.

induſtria, ſive felicitate, quam nunc quoque, ubi omnia fere ſcrinia expilata ſunt, admiramur. Sed ille ut Magi famam in naturali ſcientia quæſivit, ita in hiſtoria pulchrum putavit Principum ſtudiis illudere per plauſibiles fabulas, confiĉto *Hunibaldo*, & ſimilibus nugis, genealogiiſque ultra comperta productis: Idque ipſi non obſcurè à *Friderico Sapiente* Saxonum Duce, Imperii Electore, exprobratum vidi. *Maximilianus* ipſe Cæſar Genealogiis imprimis delectabatur, nec Hiſtoriam minùs quàm cæteras liberales artes fovebat. Nam eum conſtat Viennæ Auſtriæ Collegium Poëtarum ſub *Conrado Celta*, & aliud Mathematicorum inſtituiſſe, extatque diploma Tomo ſecundo *Freheri*. Iiſdem, aut vicinis temporibus etiam *Hermannus* Comes Nuenarius, *Bilibaldus Pirckeimerus*, *Conradus Peutingerus*, *Jacobus Wimphelingus*, *Henricus Bebelius* meliorum literarum ſimul, & Hiſtoriæ patriæ ſtudio floruere. Hos ſecuti ſunt *Philippus Melanchthon*, *Beatus Rhenanus*, *Huldericus Mutius*, *Caſpar Bruſchius*, *Ortwinus Gratius*. Et cùm lux Reformationis exorta eſſet, excitata eſt magis hominum curioſitas: nam Reipublicæ, & Eccleſiæ negotia à ſe invicem divelli non poſſunt.

Factum erat divino munere, ut Typographiæ inventum, & bonarum literarum introductio in Germaniam, & Reformatio ſacrorum ſeſe ordine conſequerentur, non magno intervallo; & tanta commoda mutuo ſibi auxilio eſſent. Jam veteres plurimi typis prodierant, cum de mediæ ætatis Hiſtoricis cogitari paulatim cœpit, qui elegantia, & argumento, & fama inferiores, minus curioſitatem lectorum invitabant; ſed non minùs neceſſarii erant, ut temporum ſeries expleretur. Jam anno 1505. *Conradus Celtes* inter cætera *Roſwitæ* Poetriæ Saxonis, apud Gandeshemenſes Sanctimonialis etiam *Ottonis Magni* elogium carmine Latino ſcriptum edidit. *Peutingerus Conradi* Ursbergenſis Abbatis Chronica in lucem miſit anno 1515. Eodem *Johannes Cuſpinianus Ottonem* Epiſcopum Friſingenſem produxit. Mox anno 1521. *Carolo Quinto Hermannus* Nuenarius Comes *Eginhardum* inſcripſit. Eidem eodem tempore *Reginonem* Abbatem Prumienſem *Sebaſtianus de Rotenhan* Eques Francus dicavit. *Melanchthoni* inter cætera beneficia debet Germania, hæc quoque ſtudia excitaſſe non hortatibus tantùm, ſed & laboribus. Nam admodum juvenis anno 1516. *Joannis Naucleri* Hiſtoriam ita digeſſit, atque expolivit, ut lucem ferre poſſet. Mox anno 1525. *Lambertum Schafnaburgem* (etſi ignorato adhuc nomine) ex Codice Auguſtinianorum Witebergenſium deſcriptum Tubingæ typis ſummiſit: multo poſt (1537.) Ursbergenſis Abbatis novam editionem procuravit, ubi continuandæ Hiſtoriæ acceſſere paralipomena, quæ *Caſpari Hedioni* tribuuntur. Suprema jam ætate (1556.) *Philippus Helmoldi* Chronica Slavorum typographo excudenda dedit, ne de *Carionis* Hiſtoria emendata, atque aucta nunc dicam.

Ex eo tempore complures in laudabile inſtitutum eruendi noſtros medii ævi Hiſtoricos incubuere, quos nominibus perſtringere ſuffecerit: *Baſilius Johannes Heroldus*, *Simon Schardius*, *Juſtus Reuberus*, *Chriſtianus Urſtiſius*, *Andreas Vellejus* Danus, *Reinerus Reineccius*, *Petrus Pithoeus* (etſi Franco-Gallus) *Henricus Caniſius*, *Marcus Velſerus*, *Johannes Piſtorius*, *Marquardus Freherus*, *Chriſtophorus Gewoldus*, *Henricus Meibomius* ſenior, *Melchior Goldaſtus ab Haiminsfeld*, *Sebaſtianus Tengnagelius*, *Jacobus Gretſerus*, *Chriſtophorus Browerus*, *Johannes Chappeavillæus* Leodienſis. Tum *Aub. Miræus*, *Petrus Scriverius*, & *Arnoldus Buchelius* Belgæ, ſed quos Germanis computo; & Franco-Galli *Andreas* & *Franciſcus Quercetani*, *Jacobus Sirmondus*, *Philippus Labbæus*, *Andreas Dacherius*, *Johannes Mabillonius*, *Stephanus Baluzius*, & qui Acta Sanctorum (poſt *Laurentium Surium*) ediderunt, eduntque *Johannes Bollandus* cum ſociis, & ſucceſſoribus *Godefrido Henſchenio*, *Daniele Papebrochio*, *Franciſco Baertio*, *Conrado Janningo*, quibus nuper acceſſit *Johannes Baptiſta Solerius*, quos in rebus Germanicis plurimum adjuvit ex eodem ordine *Johannes Gamanſius*. Præterea in eamdem curam edendi antiquiores incubuere *Hermannus Conringius*, *Johannes Henricus Boeclerus*, *Petrus Lambecius*, *Johannes Henricus Maderus*, *Johannes Schilterus*, *Chriſtophorus Hartknochius*, *Antonius Matthæus* Junior, *Johannes Kirchmannus* Junior; & talium nos exempla ſecuti paucos, ante annos Acceſſiones Hiſtoricas edidimus, in quibus ſcriptores aliquot inediti, & plerique diu expetiti tandem prodierunt, habemuſque adhuc materiam non unius Tomi.

Nunc conſtituimus ſcriptores aliquot uno faſce complecti, quibus *Hiſtoria Brunſvicenſis* illuſtretur, partim ineditos prorſus, partim ex Manuſcriptis Codicibus emendatos, & auctos; quibus nonnulli accedunt, quos renovamus tantùm, quia in pauciſſimorum manibus verſantur, faciuntque egregiè in rem noſtram. Ea in re *Melchioris Goldaſti* & *Petri Scriverii*, & *Erpoldi Lindenbrogii* exemplum ſecuti ſumus, quorum ille Alamannicarum (id eſt Sueviæ, Helvetiæque) alter Belgicarum, hic Septentrionalium rerum ſcriptores propriis voluminibus dedere, quemadmodum Normannicarum *Andreas Quercetanus*, Neapolitanarum *Antonius Caracciolus*, Longobardorum ulteriorum *Camillus Peregrinus*, citeriorum *Felix Oſius*: ſperamuſque exemplo noſtro excitatum iri, qui idem in aliis Germaniæ regionibus præſtent. Nam Auſtrii, Bavari, Bohemi, Francones, Saxones ſuperiores, Marchici Rhenani, Weſtfali; quin etiam illuſtriores Principum Germanicorum familiæ non ſpernenda ſpicilegia invenient domi ſuæ, quibus in publicum prolatis & gloriæ ſuæ, & publicæ utilitati velificentur. Nos ſimul & Regionis Brunſvicenſis, & familiæ regnantis rationem habemus, collegimuſque, quæ utriuſque hiſtoriam illuſtrent.

Sed ut melius noſcatur inſtitutum, ſciendum eſt, Brunſvicenſi, & Lune-

Digitized by Google

Lunèburgenſi ditione maximam partem Oſtfaliæ veteris contineri, cujus Ducatum mutato nomine retinuiſſe, aut recuperaſſe *Henrici Leonis* poſteros, Weſtfalico licet, & Angarico in *Bernardum Aſcanium*, & Colonienſem Eccleſiam à *Friderico I.* Cæſare translatis non ineptè dici poteſt; quamquam & ex Angaria Comitatus aliquot poſtliminio redierint, ipſaque ditio Oſnabrugenſis acceſſerit alternis. Equidem rationes à Ducatu ſeparatas in Saxonia ab antiquo habuere Epiſcopi, & Marchiones, & Comites Provinciales, ne quid de veteribus Saxoniæ Palatinis dicam. Itaque neque Orientalibus, neque Septentrionalibus Marchionibus, id eſt, Miſnenſibus, Brandeburgiciſque, neque Thuringis propria huc admiſimus: præſertim quod Marchiones iſti non in antiqua Saxonia, ſed Slavorum terris conſtituti erant; Magdeburgicus etiam Archiepiſcopatus cum ſuffraganeis ad Slavos pertinebat. Sed Halberſtadenſium, Verdenſium, Mindenſiumque Epiſcoporum res excludi non potuere: nam & noſtrorum regiones horum potiſſimum diœceſibus continebantur, & paſſim permiſtæ ſunt ditiones. Itaque & antiqua quædam harum Eccleſiarum Chronica nondum extantia producemus.

Sed cùm noſtri Principes ex Italia, & ſuperiore Germania in has tandem regiones venerint, hinc jam operis hujus latiùs materia, quàm Brunſvicenſis ditio, patet. Seculo Chriſti undecimo florebat in Italia Marchio *Azo* potentiſſimus Longobardiæ Princeps, quem cum magna illa *Mathilde* Ducatrice (ut tunc appellabatur) inter Cæſarem *Henricum Quartum*, & *Gregorium VII.* Pontificem Romanum Conciliatoris partes egiſſe conſtat: paulo ante finem ſeculi centenario major obiiſſe ſcribitur. Gens ejus jam ab antiquo in illis regionibus rerum latè potiebatur, neque ſubitò creverat. Ipſe autem ſuperum mare infero propemodum ditionibus connectebat. Marchio nunc Longobardiæ, nunc Liguriæ appellatur; nempe cui Marchiam Genuæ, & Mediolani aſcripſit ſequente ſeculo *Fridericus I.* Auguſtus in diplomate, quod poſteris ejus Eſtenſibus Principibus dedit. Ateſtina urbs vetus iis Patrimonium erat, vicinumque tractum verſus Hadriaticum mare procurrentem continebat. Eſtenſes porrò vel Ateſtinos antiquiſſimos Italiæ Principum ſemper habitos conſtat. Ipſi originem ad Romanos Atios retulere, quod neque aſtruere, neque refellere noſtrum eſt. Conduntur remotiora familiarum inſignium capita intra nubes incompertæ vetuſtatis. Duxerat *Azo* primis nuptiis *Cunigundem* ex ſtirpe veterum Guelforum, quæ mox defuncto ſine liberis fratre Duce Carinthiæ, terrarum patrimonialium hæres fuit. In epitaphio antiquo ſcribitur, eam Regali ſtemmate fulſiſſe. Sanè ex illa ſtirpe prodierant Burgundiæ Reges, & ſunt, qui etiam Capetinam, Gallicorum Monarcharum familiam ex *Judithæ* Imperatricis (*Ludovico pio* nuptæ) *Guelfi* filiæ fratre deducant. Porrò ex *Cunigunde Azo Guelfum* novorum Guelforum autorem ſuſcepit, qui ultra majores

majores maternos, paternoſque magnitudine provectus obtinuit Bavariæ Ducatum. *Guelfus* filium cognominem celeberrimæ illi *Mathildi* deſpondit, & licet matrimonium infœcundum fuiſſet, tamen ex pactis dotalibus terras poſtea *Mathildis* ſibi vindicarunt poſteri Guelfigenæ, & aliquamdiu etiam tenuerunt. *Azo* defuncta *Cunigunde* rurſus inſignium terrarum hæredem ſecundis nuptiis duxit ex Gallia *Garſendim*, Comitiſſam Cenomannorum; unde viri prudentiam, & exiſtimationem intelligas. Ex eo matrimonio *Hugo*, & *Julio* nati, quorum ille Comitatum maternum obtinuit; ſed *Julio* ſtirpem in Italia propagavit, & *Marchiones Eſtenſes* ſevit, qui mox *Ferrariam*, *Mutinam*, *Regium* ex veteri *Mathildis* ditione acquiſiverunt, & tandem *Ducatus* axioma obtinuerunt. Etſi autem liberi, conjugiaque *Azonis* malè prorſus ab Hiſtoricis Ateſtinis, aliiſque eos ſecutis, narrentur; ignorata ſecunda conjuge vera, alia ſecunda, tertiaque confictis; filiorum etiam depravatis nominibus, ordineque matrimoniorum perverſo; tamquam *Guelfus* Dux primogenitus non fuiſſet: nos tamen quæ proferimus, ex certis documentis, veterumque teſtimoniis comperta habemus. *Guelfi* filius alter, nomine *Henricus*, in Ducatu ſucceſſor, *Wulfhildem Magnonis* Ducis Saxonum, ſuæ ſtirpis ultimi filiam duxit. Inde novam rerum ſeriem fata paravere. Nam ex eo matrimonio natus *Henricus alter*, cum *Lotharii* Imperatoris filiam unicam duxiſſet, Saxoniæ Ducatum Bavarico adjunxit. Itaque cum fratre terras *Mathildis* Italorum Principis, ex patrui pacto, Imperatoris ope nactus, à mari ad mare, à Balthico ad Tuſcum ſe dominari dictitabat. Ex defuncto ſocero in Imperio ſucceſſurus erat, ſi penſare Principes voluiſſet: Inde *Superbi* nomen tulit. Cumque & moribus, & potentia invidiam concitaſſet, pulſus Bavaria, & tantum non Saxonia in ipſo recuperandi conatu obiit, filio impubere relicto *Henrico*, qui poſtea *Leonis* nomen tulit, cui avia Imperatrix Ducatum Saxoniæ ſervavit. Idem adultus Bavariam recuperavit, Auſtria tamen multatam; quæ cum Marchia olim Bavariæ eſſet contra Hungaros, tunc in proprium, Ducatum *Friderici I.* beneficio, erecta eſt. Id ſolatium Bavariæ uſurpatori relictum. *Henrici Leonis* magnitudinem eorum temporum autores celebrant, neque animo, aut virtute infra potentiam fuit. Sed fortunam poſtremo iniquam ſenſit, & Imperatoris, multorumque Principum conſpiratione oppreſſus eſt. Tenuit tamen Brunſvicenſes, Luneburgenſeſque, & nonnullas etiam Slaviæ terras. Idem ex *Mathilde* filia *Henrici II.* Angliæ Regis filios reliquit *Henricum*, *Ottonem*, *Wilhelmum*. *Henricus*, ducta filia, & hærede *Conradi*, qui frater Imperatoris Palatinatum Francorum habebat, ſeſe Ducem Saxoniæ, & Comitem Palatinum Rheni tulit. *Otto* quarti nomine factus eſt Imperator Romanorum, cùm antea voluntate aviæ *Alionoræ* Ducatum Aquitaniæ, & Comitatum Pictavienſem nactus fuiſſet. Nam cum fratribus,

ob

ob matrem, *Henrici II.* Regis maximam natu filiam, ſucceſſioni Anglicæ proximus habebatur, niſi unus *Henricus III.* conſobrinus obſtitiſſet. Sed neque *Henricus* neque *Otto* ſtirpem Guelficam propagarunt. Tertio id fratri *Wilhelmo* debetur. Filius ejus unicus *Otto* cum Cæſare *Friderico II.* tranſegit, Ducis Brunſvicenſis, & Luneburgenſis nomen ſumſit, oblatum à Papa Imperium recuſavit, quod patrui *Ottonis IV.* malè habiti, meminiſſet. Ita finita eſt in Germania inter *Guelfos*, *Gibellinos*que contentio. Nam *Henrici* Imperatores ex Wibilingia domo orti erant, & in eorum jura, & affectus, & nomen per matrimonium ſucceſſerant *Friderici Hohenſtauffii*. *Guelfi* autem Cæſarum æmuli Pontificibus favebant Romanis. Sed odia in Germania inter Principes ſopita, poſtea in Italia inter affeclas, ſervatis partium nominibus, exitioſius erupere. *Wibelina* familia in *Conradino* periit: *Guelfica* noſtra in Germania, contenta fortunæ reliquiis, ſeſe in meliora tempora faventibus fatis conſervavit. Ex his intelligitur, præter Saxonica, etiam Italiæ, Bavariæ, Alamanniæ monumenta paſſim materiam, baſinque Hiſtoriæ noſtræ præbere; neque nobis vitio verti poſſe, ſi qua inde non vulgaria mutuò ſumamus in rem noſtram, & huic Collectioni Brunſvicenſibus rebus profuturæ inſeramus, quia Scriptores complectimur, in Tomis rerum Germanicarum, aut deſideratos, aut non plenè extantes, autores etiam nonnullos. Diplomata, quorum magnus apparatus adeſt, alteri operi reſervamus. Nunc autem ipſos ſcriptores, quos impræſentiarum damus, recenſere operæ pretium erit. (a)

VITA S. IDÆ &c. (*Num.* 8. *Tom. I.*)

VIta S. *Idæ* ab *Uffingo* Monacho Werthinenſi ſcripta, & a *Surio* primùm edita, continet res notatu dignas de Saxonum Duce poſt *Witikindum* primo, ejuſque familia. *Ecbertus* is fuit *Idæ* maritus, qui etſi ſtylo curiæ Comes tantùm, Ducis tamen poteſtate & apud vulgus nomine ſub *Ludovico Pio* Saxonum rexit: ut ſolebant Dominici Miſſi: & ejus opera Saxones Tranſalbini, *Caroli Magni* antea juſſu trans Rhenum exulantes, in patriam ſunt reducti. Nam *Carolus*, quod crebro rebellarent, & ob Danorum viciniam vix in poteſtate contineri poſſe viderentur, renovato veterum Aſſyriorum exemplo, aliquot eorum millia cum uxoribus & liberis in Belgicam tranſtulerat: ſed poſtea cùm jam bona fide Chriſtiani & obnoxii viderentur, *Ludovicus* ejus filius exules domum

 remiſit.

(a) Autoris noſtri veſtigiis non inſequemur, in ſuâ CLVII. ſcriptorum recenſione, quos tribus ſuis voluminibus adjecit; noſtræ enim collectionis molem augere nolentes, brevibus verbis, ea tantum narrabimus quæ curioſitate digniora, & utiliora nobis videbuntur.

remiſit. *Albertus* Stadenſis antiquiores ſecutus, (quales nondum editi etiam nobis ſunt ad manus) *Wicbertum* quendam Ducem habet, & *Witikindo* filium tribuit, quem verè non dixerim, neque an noſtrum *Ecbertum* hoc nomine paulum inflexo involverit. Sanè poſtea *Ludolphum* Ducem *Henrici Aucupis* & *Ottonum* Auguſtorum progenitorem ſucceſſiſſe in ditiones *Ecberti*, ex eodem diſcimus *Uffingo*. Unde ſuſpicio eſt, ab *Ecberto* deſcendiſſe *Ludolphum*, vel certè ejus liberos; per mares an per fœminas, pro certo affirmari non poteſt. Sanè *Albertus* Stadenſis eum continua maſculorum ſerie ex *Wicberto Witikindi* filio deducit. Sed obſtat, quod *Witikindus* Monachus Corbeienſis ſcripſit, conjugem *Henrici Aucupis* ex ſtirpe *Witikindi* Ducis vel Regis deſcendiſſe, idem dicturus & de marito, ſi eam *Ludolphi* originem noviſſet. *Ecbertus* & *Ida* geniti fuere, *Cobbo* Comes, *Warinus* Abbas & *Hadwid* Abbatiſſa. Sanè *Cobbonem Warini* fratrem facit *Egilmarus* Epiſcopus Oſnabrugenſis in querimoniis, quarum excerptum extat apud *Erdmannum* rerum Oſnabrugenſium ſcriptorem. *Warinum* autem *Ecberti* & *Idæ* filium nominant *Uffingus*, & translationis *Puſinnæ* ſcriptor, qui & *Hadwidem Warini* ſororem facit & *Cobbonis*. Porro *Cobbo* magnæ ſub *Ludovico Germanico* per totam Saxoniam autoritatis fuit. A quo extinctam Comitum Teclenburgicorum familiam derivant. *Warinus* Abbas Corbeiæ Saxonicæ, *Adalardo* ſucceſſit, juniori ſcilicet per quem *Adalardus* ſenior & *Wala* frater ejus, *Caroli Magni* conſobrini, Corbeiam novam ædificaverunt & rexerunt. Annales Corbeienſes à Cl. *Paulino* editi *Warinum* nobilem Francum & *Adalardi* junioris fratrem faciunt, quod poſtremum & alii habent: ſed his, quos damus, ſcriptoribus, tanquam propinquioribus, quemadmodum & *Egilmaro* Epiſcopo, libentius crediderim, *Warinum* Saxonem fuiſſe, non Francum, etſi mater Franca eſſet. *Idam* ergo patre Comite natam ſcribit *Uffingus*, qui à *Pipini* & *Caroli Magni* progenitoribus ſe ferebat, & fratres habebat clariſſimos viros, qui magnis dignitatibus illuſtres apud exteros & apud domeſticos enituerint, ut loquitur ſcriptor translationis *Puſinnæ*. Quinam illi *Magno Carolo* cognati, non facile definiveris. Si *Bernardus* frater *Pipini I.* Regis *Idam* genuiſſet, fratres *Idæ* fuiſſent ipſe *Adalardus* ſenior & *Walla*: Sed hos ab illis diſtinguit ſcriptor ipſe translationis. Neque tantum *Idæ* aut *Warini* decus *Uffingus* & Corbeienſes Saxonici ignoraſſent aut tacuiſſent; *Adalardi* tamen & *Walæ* matrem Saxonem facit, qui vitam *Walæ* poſteris reliquit, & hunc ex Saxonum genere, materno ſcilicet, ortum ſcribit. Unde credo ipſi fratrique neceſſitudines in Saxonia, & cogitatio de condenda apud Saxones nova Corbeia. Quoniam ergo *Ida* non fuit horum ſoror, neque adeò *Carolique Magni* conſobrina, an altiùs aſſurgendo, dicemus, patrem ejus fuiſſe *Nibelungum* Matriacenſem Comitem *Childebrando* natum, quem *Caroli Martelli* fratrem (ex patre an matre ambigunt quidam) *Fredegarius* facit? an *Theodericum*, Regiæ & ipſum cognationis, quem quidam

quidam *Nibelungi* fratrem volunt, magnæ apud *Carolum Magnum* autoritatis, & Ripuariis Præfectum, qui Weſtfalis proximi erant. *Nibelungi* per filium cognominem nepos tertius *Nibelungus* fortaſſe is eſt, quem *Roſwita* poëtria Saxonica *Bilungum* vocavit, patrem *Odæ*, quæ fuit uxor *Ludolfi*, Saxonum Ducis, à quo *Ottones* Cæſares deſcendunt; quos ab *Ecberto* ortos non ſemel ſum ſuſpicatus, quando & in hæreditariis terris & in Ducatu *Ludolphus* ſucceſſit. Hæc fuſius differere operæ pretium fuit, quia primorum Saxoniæ Ducum res illuſtrant.

VITA B. MATHILDIS, REGINÆ GERMANIÆ.

(*Num.* 13. *Tom. I.*)

AUtor hujus Vitæ regnante *Henrico Sancto* vixit, ut ipſe teſtatur. *Mathildis* Regina conjux fuit *Henrici I.* Regis Germaniæ ex vetuſtiſſima Brunſvicenſium Principum ſtirpe. Nam *Henrici* Regis patrui duo, *Bruno* & *Tancmarus* vel *Tankwardus*: ille Brunſwigæ, hic Tankerodæ, quæ poſtea cum Brunſwiga in unam urbem coaluit, conditores fuiſſe ſcribuntur. Regina autem *Mathildis* fuit ex ſtirpe *Witikindi Magni*. Ita enim *Witikindus* Corbeienſis Monachus Lib. I. *Erat namque ipſa Domina Regina filia* Thiaderici, *cujus fratres erant* Witekind, Immed, Reginbern. Reginbern *autem ipſe erat, qui pugnavit contra Danos multo tempore Saxoniam vaſtantes, vicitque eos liberans patriam ab illorum incurſionibus uſque in hodiernum. Et hi erant ſtirpis magni Ducis* Widekindi, *qui bellum potens geſſit contra* Magnum Carolum *per triginta ferme annos.* Hunc locum *Albericus* Monachus trium fontium (quem nos edidimus) & Vir in his ſtudiis egregius, *David Blondellus*, ita accepere, tanquam *Witekind*, *Immed*, *Reginbern*, *Thiaterici* fratres fuiſſent: at *Gobelinus* Reginæ ipſius fratres facit. Ab *Immedo* & *Immedingis* Sabaudiæ Duces genus repetunt, *Amadæorum* frequens in ſua gente nomen huc referentes. Idem *Gobelinus Thiadericum* vocat Comitem Oldenburgenſem, quem Magni Chronici Belgici Autor & *Schiphowerus* in Chronico Oldenburgenſium Comitum, nuper à *Meibomio* edito, ſunt ſecuti. Nec diſſentit noſter vitæ ſcriptor, qui in occidentali Regione, id eſt Weſtfalia, Comitem glorioſum fuiſſe notat. Mater Reginæ *Reinhildis Ditmaro* & noſtro Biographo dicitur, qui addit Danorum Friſonumque germine procreatam. Unde Manuſcriptum Chronicon, *Gelenio* ad vitam *S. Engelberti* citatum, inepto res in majus augendi more, Danorum Friſiorumque Regis filiam procudit. Ex noſtro autem Biographo, fido magis autore, diſcimus, aviam Reginæ (paternam opinor) *Mathildem* nomine, Abbatiſſam Herfordienſem fuiſſe, & adoleſcentulam neptem inter Sanctimoniales ſuas educaſſe. Sorores Reginæ, ſcriptoribus ignotas dieſque anni, quibus & illæ & mater earum obiere, Faſti Eccleſiæ Principis Tre-

virenſis nobis conſervarunt, unde hæc affert *Browerus* Annal. Trev. Lib. X. artic. 4. *Prid. Id. Mart.* Mathild. *Regina mater* Ottonis *Imp. V. Id. Maji* Reinhild *mater Reg.* Mathildis. *IIII. Id. Jun.* Friderun *ſoror* Mahtilt *Reginæ. VIII. Kal. Jun.* Bia *ſoror Reg.* Mahtildis. His ſcilicet diebus memoria eorum in Trevirenſi Eccleſia ſolenniter renovabatur; credo quòd Regina ſuis in eam Eccleſiam beneficiis hoc meruiſſet, vel hanc pro more illorum temporum conditionem aſcripſiſſet, ut pro anima matris & ſororum preces funderentur. Porro Monaſteria probantibus & adjuvantibus marito Rege & filio Imperatore *Ottone M.* conſtruxit in locis, vitalitio ſuo aſſignatis, Quidelingaburg, Northauſen, Palithi; ex quibus duo priora ſanctimonialibus, ultimis monachis colendum dedit, præſcripta omnibus regula S. Benedicti. Quindelingeburgenſis Abbatiſſa hodie locum inter Principes Imperii tenet. In Northuſanum cænobium Canonici regulares multo poſt ſunt introducti. Palithi hodie Polda, præfectura eſt in Electoratu Brunſvicenſi.

INCERTI AUTORIS CARMEN PANEGYRICUM in laudem BERENGARII Auguſti. (*Num.* 18. *Tom. I.*)

CUm hic Autor paucis notus ſit, Hiſtoriamque ſui temporis non mediocriter illuſtret; & *Azonis* cujuſdam, Eſtenſis (ut apparet) Principis alibi indicti, mentionem faciat; dignus viſus eſt, qui noſtræ collectioni inſereretur, præſertim cùm nos, in antiquitatibus Principum noſtrorum explicandis, hujus temporis Hiſtoria Italica opus habeamus. Porro poëta libro 2. *Virgilii* imitatione, viros Italiæ inſignes, *Berengario* & æmulo ejus *Widoni* auxilium ferentes, enumerans, hæc habet in rem noſtram inter Berengarii auxilia:

Advolat Azo *ferox ſubigens in bello ſodales,*
Vicinoque *ſuas cogens ab* limite *turmas*
Olricus, Latium Hadriacis qua clauditur undis,
Ac labor eſt ſævis gladios pretendere Abaris.

Ulricus ſcilicet in extremo Italiæ ad Adriaticum mare limitis cuſtos, contra Avaros ſeu Avares, id eſt, Hungaros excubabat; ſive is Marchiam tenuerit, quam modo Veronenſem, modo Tarviſinam vocabant, ſive Ducatui Forojulienſi præfuerit. Cumque ei vicinus *Azo* memoretur, Eſtenſem Principem fuiſſe intelligas, quod etiam *Hadriano Valeſio* valde veriſimile viſum eſt, quando & nomen familiare genti, & ſitus locorum in unum conſpirant.

VITA

VITA S. ADELHEIDIS IMPERATRICIS, Autore *Odilone* Abbate Cluniacenſi. (*Num.* 21. *Tom. I.*)

OPeræ pretium viſum eſt in Faſciculo noſtro dare vitas matris, conjugis & fratris *Ottonis Magni* Auguſti, qui primam ſtirpem *Brunſvicenſium* Principum ad ſummum decus extulit. *Mathildem* matrem jam exhibuimus: Conjux *Adelheida* nunc adeſt; & *Bruno* frater mox ſequetur. Vitæ ipſe legi dignæ ſunt, ſi quæ aliæ ſanctorum; parciores miraculorum, ditiores rebus geſtis, ob magnitudinem eorum qui celebrantur. Et hanc quidem *Adelheidæ* vitam ſcripſit *Odilo* Cluniacenſis Abbas, Vir ipſe magnus & inter Sanctos habitus. Prudentia & moribus eum excelluiſſe apparet, quod paſſim à Principibus & Antiſtibus coleretur, & Monaſteria plurima ei regenda committerentur. Itaque *Monachorum Archangelum* æqualis *Fulbertus*, Carnotenſis Epiſcopus, appellavit: *Adalbero* autem Laudunenſis Epiſcopus, in carmine ad *Robertum* Francorum occidentalium Monarcham, *Odilonem* per jocum Regem vocat; ita loquentem Monachum introducens:

Non ego ſum monachus, juſſu ſed milito Regis,
Nam Dominus meus eſt Rex Odilo Cluniacenſis.

Porrò *Odilo Adelheidi* Imperatrici, cùm vidua vitam religioſam duceret, familiaris fuit, & paulo ante mortem affuit, ut ipſe narrat *cap.* 14. *Adelheidis* patrem habuit *Rudolfum*, fratrem *Conradum*, Burgundiæ Reges. Ipſa nupſit primùm *Lothario* Regi Italiæ, filio *Hugonis* Regis; marito autem defuncto, capta à *Berengario II.* ſucceſſore, fugaque elapſa, & in arcem Canuſinam recepta eſt ab *Azone*, *Sigefridi* Principis filio, cujus genus ad Eſtenſes *Sigonius* refert. Ibi obſeſſam à *Berengario Otto Magnus*, & Germania evocatur, liberavit & uxorem duxit. Eo defuncto, cùm à filio *Ottone II.* non, ut par erat, coleretur, ſeſe ad fratrem in Burgundiam recepit: mox tamen ad filium pœnitentia ductum, in Italia agentem, Ticinum rogata venit, & eo tandem amiſſo, mortua etiam *Theophania* nunc, *Othonis III.* pueritiam avia moderata eſt. Monaſteria ſtruxit, Paterniacum in Burgundia, Ticinenſe in Longobardia, Selzienſe Argentoratenſis diœceſis in Germania, & erga cœnobia quoque Saxoniæ noſtræ liberalitatem exercuit. Vita *Adelheidis* ab *Odilone* ſcripta, jam apud *Caniſium*, & in Bibliotheca Cluniacenſi extat.

VITA D. BRUNONIS Colonienſis Archiepiſcopi, ad *Folcmarum* ejus ſucceſſorem à *Rotgero* ſcripta. (*Num.* 22. *Tom. I.*)

TESTAMENTUM EJUSDEM BRUNONIS CUM EJUSDEM EPIPHANIO. (*Num.* 23. *Tom. I.*)

TESTIMONIUM DE DOMINO BRUNONE, ſumtum ex vita *Gerhardi* Abbatis Bononienſis Eccleſiæ. (*Num.* 24. *Tom. I.*)

EGregia *Brunonis* Archiepiſcopi Colonienſis vita eſt magni utique viri; ſcripta luculenter (ut *Sigebertus* olim in Chronic. ad ann. 953. judicavit) à familiari ejus *Rotgero* juſſu *Folcmari* in Archiepiſcopatu ſucceſſoris. *Voſſius* in opere de Hiſtoricis Latinis, *Rotgerum* hunc Abbatem Monaſterii de Cruce S. Leufredi in Normannia facit. Sub *Henrico II. Conrado II.* & *Henrico III.* Auguſtis floruiſſe notat, eique librum contra *Berengarium* dicaſſe *Guitmundum*, ejuſdem monaſterii monachum, poſtea Epiſcopum Averſanum. Contra objicit *Sandius* in notis, nullum legi *Rotgerum* in catalogo Abbatum ejus monaſterii: *Guitmundum* ſub *Gregorio VII.* ſcripſiſſe: ſed hæc dictis *Voſſii* non obſunt. Cæterum nec *Voſſium* nec *Sandium* Vitam *Brunonis* legiſſe apparet, alioqui ſtatim animadvertiſſent, *Rotgerum*, qui temporibus *Ottonis M.* & Secundi jam floruit, & tum in diœceſi Colonienſi magnæ haud dubiè dignationis & ſcholarum fortaſſe Magiſter fuit, *Henrici Tertii* temporibus, id eſt, integro inde ſeculo Abbatem in Normannia non fuiſſe. Extat hæc vita apud *Surium* Tom. V. die XII. Octob. Sed nos ex Codice egregio Bibliothecæ Auguſtæ Guelferbytanæ emendavimus auximuſque. Et cum *Surius* ſubinde ſtylum mutare ſoleat, nos Manuſcriptum fideliter expreſſimus. Memorabile eſt, quod ab ipſo *Brunone* audiſſe refert *Rotgerus*, cùm Ultrajecti ſub *Balderico* Epiſcopo liberalibus ſtudiis puer imbueretur, *Prudentium* Poëtam tradente Magiſtro legere cœpiſſe, ejuſque dulcedine & gravitate mirè captum, exinde jucundiùs in omni Latina Græcaque literatura profeciſſe. Neſcio, an alibi mentio fiat *Iſraelis* Epiſcopi Scotigenæ, id eſt Erigenæ, ut puto, ſeu Hiberni, cujus *Rotgerus* noſter meminit cap. 6. Nam conſtat, antiquo ſignificatu Scotorum appellationem ad Hibernos pertinuiſſe, & *Joannes Erigena Scotus*, ut vulgo loquuntur, nihil aliud eſt quàm *Joannes Erigena* ſeu *Scotus*; uti *Rabanus Maurus* duplicatio eſt ejuſdem nominis, nihilque aliud ſibi vult quàm *Rabanus* ſeu *Maurus*, id eſt corvus ſeu niger. Et is erat antiquum *Jernes* nomen, & fertur ſignificaſſe occidentem. Poſtea Scoti Hiberniæ, Coloniis ductis, Caledoniorum regioni nomen Scotiæ dedere. Porro viri

viri docti ex Hibernia, diu ante & poſt Carolina tempora, claros in Europæ continentem viros miſêre, cùm poſtea, mira rerum commutatione, vix ulla pars Europæ magis quàm Inſula illa à cultu deſciverit. *Iſraelem* Epiſcopum Scotigenam inter claros aulæ fratris *Ottonis Magni* viros adiit *Bruno*, & ſub Magiſterio ejus plurimum ſe profeciſſe teſtatus eſt. Hunc Epiſcopum ſuſpicor eundem eſſe cum *S. Silao* Epiſcopo Hiberno, quem Lucæ in Hetruria venerantur, & cujus vitam egregius Hiſtoriæ Lucenſis illuſtratur *Franciſcus Maria Florentinus* ſcripſit. Nihil enim prohibet, nomen vel à librariis vitæ *Brunonis*, vel quod potiùs credo, ab Hetruſcis, quippe poſterioribus, vitiatum, & ex *Iſraele* factum *Silaum*; Hibernos deinde conſultos, de homine ignoto fabulas confinxiſſe: quem eorum morem notant & perſtringunt doctiſſimi Collectores Antverpienſes, de hoc viro agentes XXI. Maij. Iidem meritò refutant fabulatores, *Silaum* ad *S. Patricii* tempora, id eſt quintum ſeculum, aut ſaltem ad ſextum, temporaque *Gregorii Magni* retrahentes. Nam à *S. Gregorio* ordinatum Epiſcopum ſcribit vita, Lucæ reperta. Sed cum ſeculi XII. fœtus ſit, parum ei fidi poteſt. *Iſrael* quidem à *Gregorio* aliquo Romano Papa ordinari non potuit, cum *Folcmaro* Archiepiſcopo Colonienſi vivente jam Epiſcopus fuerit, cujus à temporibus longè abfuit proximè anterior *Gregorius IV.* Credibile eſt, aulæcarum, ſorore in matrimonio honorato Lucæ collocata, ætate provecta: illic quietem quæſiſſe extinctumque ſepulturam inveniſſe: & à morum ſanctitate in monumento vel ſcriptura laudatum, ducentis ferè poſt annis, ignorata rei veritate, malè etiam lectis vel monumenti vel alterius ſcripturæ literis, prono in hæc ſeculo, aperto monumento translatiſque reliquiis, prodiiſſe *S. Silaum*, vitamque ei pro arbitrio componentis, qualibuſcunque ex conjecturis, aſſignatam. Quod ſi eo anno obiit, quo Dominica ante Pentecoſtem in XXI. Maji incidit, ut ex Lucenſibus Calendariis utcunque colligitur, conſequetur, obiiſſe anno 999, quo Paſcha incidit in diem nonum Aprilis. Ita potuerit *Gregorio V.* carus eſſe, cui haud dubiè dudum ex *Ottonum* aula notus erat. Is enim eodem anno deceſſit. Sed ordinatum à *Gregorio* finxere, dum cauſam itineris Italici ab Hiberno ſuſcepti quæſière; non ignorantes, ſæpe regionum remotarum antiſtites id honoris quæſiviſſe, ut à ſummis Pontificibus ordinarentur.

Sed ad *Brunonem* noſtrum à Magiſtro redeamus. Literarum amantiſſimum fuiſſe juvenem Principem, vel inde intelligas, quod Archiepiſcopus Coloniæ & totius Regni Lotharienſis Gubernator, & maximis rebus à fratre adhibitus; quacunque circumagebantur *tabernacula* aut caſtra regalia, *Bibliothecam* ſuam circumducebat, ut *Rotgerus* ait c. 7. Idem non diſſimulat (cap. 20.) fuiſſe, qui reprehenderent, quòd Epiſcopus rem populi & bella tractaret. Sed cui magis fideret frater Imperator?

perator? in illa temporum difficultate, qua filius ſeductus in patrem inſurrexerat; qua Hungari, Slavi, Galli metuebantur. Magnos viros ex Eccleſiaſtico ordine ſæpe Rempublicam laudabiliter adminiſtraſſe conſtat. Illud tamen peculiarem hominum ſermonibus cauſam præbuit quod inſtar Ducis egit. Nam, ut noſter ait c. 17. *Imperator fratrem ſuum Brunonem occidenti* (hoc eſt occidentali parti Imperii Germanici) *tutorem & proviſorem & ut ita dicam Archiducem in tam periculoſo tempore miſit.* Duces autem & rei militari præerant, & domi ſupremam juriſdictionem cum jure gladii per provinciam adminiſtrabant. Hoc Epiſcopi Judicibus Regiis, hoc eſt, Ducibus, Comitibuſque, etiam in ſuis propriis territoriis olim relinquebant, donec ipſi Epiſcopi tandem Ducatus Comitatuſque inter alia regalia accepêre; atque ex eo per Vice-Dominos ſuos juriſdictionem & merum imperium exercuerunt. Et credibile eſt, exemplum *Brunonis*, viri ob mores ſcientiamque laudatiſſimi, plurimum potuiſſe, ut nec vererentur dare Principes, nec accipere Prælati, quod tantus vir habuiſſet. Quidam longius juſto provecti, omnem Epiſcopis & Abbatibus ſub Carolinis Regibus ſecularem poteſtatem negant, tanquam primus omnium *Otto Magnus* eam contulerit. Sed Eccleſiam dudum prædia ampliſſima, allodii jure, & in illis Vaſallos habebant, quibus terras in beneficium dederant, aut à quibus dominium directum reddito utili acceperant, quod feudum oblatum vocamus. Aliquot etiam ruſticorum ſeu colonorum millia aliquando ſub ſua ditione habebant, quos coërcere potuiſſe mixti imperii jure non dubito. Sed juriſdictionem in liberos homines (quæ tunc infima nobilitas) aut merum imperium in quoſcunque habuiſſe non apparet, donec ipſi Comitatus Ducatuſque aut æquivalentem eis poteſtatem in ſua quiſque ditione accepere. Hoc primus forte in occidente Epiſcopus Romanus obtinuit, *Pipini I.* & *Caroli M.* liberalitate. Ducis etiam jus Herbipolenſi in Francia orientali Antiſtiti antiquitus fuiſſe ait *Adamus* Bremenſis; & Wormatiam Ducis poteſtati exemtam, Epiſcopoque attributam narrat *Ditmarus*. *Brunonem* autem in Germania cæteris viam aperuiſſe notavit Chronicon Germanicum, Wicwillagini Magdeburgicæ (quæ ſpeculi Saxonici partem facit) præmiſſum, his verbis: *an denſelben begunten die Biſchoff weltliche Gerichte zu haben und zu richten: und das fing erſtlichen an ſein* (des Keiſers) *bruder* Bruno zu Köln; *und Biſchoff*, Gieleer *zu Magdeburg befahl Keiſer* Otto *das Herzogthum an der Elbe zu ſchartau.* Sed vereor, ut verum ſit, quod de Ducatu ad Albim *Gislero* Magdeburgenſi Epiſcopo ab *Ottone M.* conceſſo refert. De *Brunone* plurimi conſentiunt, ſed Epicriſin addit Chronicon (apud *Gryphiandrum de Weichbildis* c. 28.) *da begunten zu erſt die Biſchoffe weltliche Richte zu haben, das dauchte damals unbillig manchen manne.* Notatu etiam digna ſunt, quæ *Rotgerus* habet (c. 55.) de *Ratherio* Veronenſium Epiſcopo, celebri

bri ejus temporis viro, quem ſede ſua pulſum *Bruno* ob eruditionem ſuſcepit, & Leodienſi Eccleſiæ præfecit, mox ibi potentioribus cedere coactum, Veronæ ſuæ autoritate Cæſaris reſtituit. Tandem profectus in Galliam, ut nepotes ſuos invicem diſſidentes ad concordiam revocaret, (c. 37.) id eſt ut Regem Lotharium, ſororis *Gerbergæ* filium, cum proceribus, *Hugonis* filiis, ex *Hadwide* altera ſorore natis, conciliaret, morbo correptus Remis in flore ætatis obiit, ſepultuſque eſt Coloniæ in Monaſterio S. Pantaleonis, quod ipſe conſtruxerat. In verbis morientis, quæ *Rotgerus* recitat (c. 39.) vix aliquid noſtri Theologi reprehendant; *Spero*, inquit, *quod Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum, juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Mox ad plorantes (c. 40.) *nolite, fratres, hac mea ſorte triſtari: illuc, non abſumta vita, ſed mutata in melius pergo, ubi viros longè plures & clariores, quàm hic unquam, citò videbo.* Credas *Socratem* apud *Platonem*, aut *Scipionem* apud *Ciceronem*, ſed emendata ad Chriſtianam normam philoſophia, loqui. *Teſtamentum Brunonis* ex eodem Codice Manuſcripto Guelferbytano nunc primum exhibemus cum Epitaphio. In Teſtamento Eccleſiis unicè proſpexit. Elogium *Brunonis* etſi breve, ex vita *Gerhardi* Abbatis Bronienſis, ibidem extante, exſcriptum adjecimus, quia refert *Ragineri* cognomento *Longicollum*, Hanonienſium Comitem, quòd Provinciam turbaret, à *Brunone* pulſum, *qui*, inquit, *uſque nunc exulat.* Nempe autor, vivo adhuc *Brunone* ſcripſit: *Ragineri* liberi poſtea reſtituti ſunt. Hinc Duces Brabantiæ veteres deſcenderunt, quibus Landgravii Haſſiæ originem debent.

DITMARUS RESTITUTUS, ſeu *Ditmari* Epiſcopi Merſeburgenſis Geſta Saxonum, Libris VIII. comprehenſa, (quibus Cæſarum, ex antiqua Domo Brunſvicenſi ortorum, Hiſtoria continetur.) *Num.* 28. *Tom. I.*)

VITA DITMARI ex Codice Manuſcripto cujuſdam Chronici Antiſtitum Merſeburgenſium. (*Num.* 29. *Tom. I.*)

Ditmarus ex Comitibus inclytis ortus, quibus caſtrum Waldbeccenſe ſeu (ut ipſe vocat p. 306.) rivi ſylvatici hæreditarium erat; ad Epiſcopatum Merſeburgenſem Imperatoris *Henrici*, quem ſanctum appellant, autoritate pervenit. Cùm non ſpernendus eſſet in ſtudiis, pro temporum captu, Hiſtoriam *Henrici I.* Regis Germaniæ & deſcendentium ex ipſo, Auguſtorum, trium ſcilicet *Ottonum*, & *Henrici Sancti* (quanquam hoc ſuperſtite defunctus vitam ejus non abſolvit) octo libris poſteris reliquit. Hanc *Trithemius* non novit, ſed diſcipulus ejus *Paulus Langius*, Chronici Citizenſis auctor, notam habuit; Hiſtoriæ autem

Germanicæ ſcriptores antiquiores plerique adhibuere, ipſis verbis tranſcripſit. Apographum *Reinerus Reineccius*, beneficio *Petri Albini* Hiſtorici Saxonici, deſcriptum à Codice Bibliothecæ Auguſti Electoris nactus eſt, & Francofurti apud Wechelios typis edi curavit anno 1580. in fol. paginis comprehenſum 114. *Brouſſius* in Chronico Merſeburgico, Autographum *Ditmari* ſupereſſe dixerat: ſed hoc non comparuit. Nam, quod *Albinus Meibomio* ſcribens, ſeſe ex Autographo Dreſdenſi locum quendam Reineccianæ editionis correxiſſe, ait (Chron. Walbecc. Meibom. p. 30.) id comparatione apographi, quod ipſe miſerat *Reineccio*, aut ex quo miſerat, accipiendum putem: non quaſi codicem ipſe manu ſua ſcripſerit, aut recenſuerit *Ditmarus*. Certè Dreſdenſem non mutilum tantum, ſed etiam, ubi integer eſt, non emendatiſſimum eſſe, res ipſa evincit. Editionem alteram curavit *Jo. Joach. Maderus* Helmſtadii 1667. in 4to. pag. 254. Sed Reineccianam ferè ſecutus eſt. Cùm ergo beneficio *Danielis Papebrochii* celeberrimi in Societate Jeſu Viri, pluſquam dici poteſt, meriti, facta & de Hiſtoria ſacra pariter ac civili mihi eſſet copia codicis antiqui, in quo integrior extat *Ditmarus*: inde reſtitutum huic operi inſeruimus. Nam cùm Cæſarum, ex antiqua domo *Brunſvicenſi* ortorum, Hiſtoriam texat; maximè ad noſtram ſpectat. Præfixit verſus pleriſque libris in prologi modum: itaque qui primo libro, totique adeò operi præmiſſi erant exciderantque, nunc ſunt ex manuſcripto reſtituti, quemadmodum & quod proſâ ſequitur initium operis uſque ad verba: *Hic* (Henricus) *nobiliſſimo Ottonis & Hathui ſtemmate natus*, pro quo in editis initium eſt: Henricus nobiliſſimo &c. Reſtitutum etiam eſt libro 6. (pag. 380.) breviarium Canonum Synodi Tremonienſis ſeu in Throtmanni ſub *Henrico II.* Aug. habitæ (hodie eſt Dortmunda in *Weſtfalia*) etſi errore typorum relicta ſint pagina ſequenti hæc verba: *deeſt decretum Synodi Tremonienſis*, quæ ex *Reineccii* & *Maderi* editionibus malè huc tranſcriptæ ſunt, neque enim amplius deeſt decretum. Cætera pleraque, quæ ſupplevimus, parentheſibus uncinatis (.....) incluſa ſunt (niſi ubi neglexere typothetæ) ut à dudum editis diſtingui poſſint. Indicabo tamen lacunas majores expletas. Sic p. 329. ubi in priùs edito habebatur: *hìc quædam deſiderantur*, ea ipſa deſiderata autori reddidimus. Libro etiam IV. pag. 353. noſtræ Editionis magnum ſupplevimus hiatum, qui paulo plus quàm duas in folio paginas nobis occupat, finitque demum non procul à fine paginæ 355. Nempe in prioribus Editionibus, poſt verba: *Deinde Romam veniens* (Imperator Otto III.) *gloriosè nepotem ſuum Brunonem* (conſobrini filius erat) .... *in loco Joannis Papæ conſtituit. Sed incuria ejus contigit damnum*; ſubjicitur deinde Bernaburg Civitatem captam à Slavis: quæ planè non cohærent prioribus, & ſaltus fit Roma in Saxoniam. Oportet ergo aliquot folia ei codici defuiſſe, quem editor *Reineccius* expreſſit. Nam

Digitized by Google

Nam in codice integro, quem nos ſecuti ſumus, narratur, à novo Papa unctum Imperatorem. Deinde Martyrium *Adalberti* Bohemorum Epiſcopi, ad Pruſſos fidei prædicandæ cauſa profecti, memoratur; & *Creſcentii* Romana rebellio, & *Anſridi* Comitis, poſtea Trajectenſis Epiſcopi, ob ſanctitatem laudati, vita: tum demum ad ea pervenit autor, quæ in hactenus editis habebantur, & damnum exponit, quod in Saxonia *Giſeleri* Magdeburgenſis incuria contigit. Similis & major adhuc, majoriſque momenti hiatus expletus eſt libro quinto à pag. 368. paulo ante medium, uſque ad initium pag. 372. Nempe in priſtinis editionibus refertur, *Henrico* Bavariæ Duce à Francis pro-Rege ſuſcepto, indictum fuiſſe etiam apud Saxones conventum Principum in urbe Merſeburg, quorum & alii nominantur. Tum ex abrupto ſubjicitur, Redarios Slavos à Rege in gratiam receptos. Sed integer *Ditmarus* narrat, Regem, à Principibus Saxoniæ honorificè receptum, legem eorum & privilegia confirmaſſe: inde *Bernardum* Ducem, accepta in manum ſacra lancea, regni (Saxonici) curam ei commiſiſſe. Adeſt & *Boleſlaus* Polonorum Dux, Regemque veneratur, ſed mox rebellat. Rex deinde ad novam Corbeiam, à Corbeia *Francorum Latinorum* ſic dictam, proficiſcitur; & hinc Paderbornam. Ibi cùm Bavarii vitiorum (leg. Villicorum) fruges diriperent, tumultus ortus eſt. Inde ad Duisburg perveniens, Luitharienſes expectant (leg. expectavit.) Tandem à Primatibus Luithariorum (Lotharingorum) ad Aquasgrani in Regem collaudatur, & in ſedem Regiam more anteceſſorum exaltatur. Hinc expeditionem in Herimannum Alemanniæ Ducem ſuſcipit, (quem Autor avunculi matris ſuæ filium vocat) eumque ad obſequium cogit, tandemque in Bavariam ſuam redit. Compoſitis deinde vicinæ Bohemiæ turbis, narratur aliud iter Regis ad Rhenum, & expeditio parum ſecunda in *Hardoinum* Regem ſe Longobardorum ferentem, quam juſſu Imperatoris, ſuſceperat *Otto* Dux Carentanorum; & novæ in Bohemia turbæ, & conventus Quedelingeburgenſis, ibique decreta expeditio in Polonos; ubi & Redarii Slavi in gratiam recepti ſunt: ac tum demum ad ea venitur, quæ in editionibus priſtinis, magno ſaltu, nullo apto ſenſu, prioribus ſubjecta legebantur. Ita magna pars Hiſtoriæ horum temporum redintegratur. Libro VI. (ut Tremonienſem ſynodum non repetam) alia fuit lacuna notabilis, quam hians ſenſus indicare potuiſſet. Quid enim ineptius, quàm quod habebatur de *Wicberto* prædeceſſore *Ditmari*: *nec minus quàm decem annos toxicata cum gratia Regis per Geronem præpoſitum vocavit.* Verba integra ita habent: *Non minus quàm decem annos, toxicata læſus potione, crebram paſſionem corporis --- ſuſtinuit.* Inde narrat Autor, ſucceſſorem ſeſe ipſi à Rege deſtinatum commendatione *Taginonis* (an *Tagmonis*?) Magdeburgenſis Archiepiſcopi, *qui* (inquit) *eò* (in aulam) *me cum gratia per Geronem Præpoſitum vocavit.*

Reliqua, ut in priſtinis editionibus, ſequuntur. Porrò in eis, quæ ad hiatum ſupplendum inſeruimus, legitur, à *Wicberto* erutum lucum, ut Deum à Slavis hortatum (leg. honoratum) Libro VII. pag. 403. breviculæ expletæ ſunt lacunæ, ſed alicubi correctio neceſſaria omiſſa eſt. Nam ubi legitur *Valcorbenſis* Abbas, legendum: Val (Valo vel Wala) Corbeienſis Abbas. Sed minora ſupplementa, quorum magnus eſt numerus, prætereo. Paſſim etiam ex Codicis fide reſtituta ſunt nomina propria, in editionibus prioribus omiſſa, paſſim in melius mutata; ſubinde etiam utiles circumſtantiæ indicantur. Ex multis unum exemplum dabo: *Wigmannum* Comitem, qui *Hermanni* Saxonum Ducis fratre natu majore *Wigmanno* fuit genitus, propinquum *Ottonis M.* fuiſſe habet *Witikindus* lib. 3. ubi mortem illius refert. Deſiderabatur ratio gradusque propinquitatis, quam nos ex *Ditmaro* redintegrato damus pag. 333. Nam cùm in prioribus editionibus haberetur: *Wigmannum* & *Ecbertum* fugavit, nos ex manuſcripto ſic ſupplevimus: Wigmannum *materteræ Regis filium* & *Ecbertum* fugavit. *Witikindus* autem dicto loco *Ecbertum* bis vocat Regis (*Ottonis* ſcilicet *Magni*) conſobrinum; mox *Ecbertum* pariter & *Wigmannum Hermanni* Ducis nepotes facit; ex fratre ſcilicet: unde intelligimus, ambos fuiſſe *Wigmanni* ſenioris filios & hunc ſororem *Henrici* Regis, materteram *Ottonis M.* in matrimonio habuiſſe. Accedit, quod *Otto* Dux Saxoniæ, *Henrici* Regis pater, fundavit Monaſterium S. Michaëlis *Luneburgicum* (in allodio ſcilicet ſuo) ut notatum eſt in libello de fundatione Eccleſiarum. Sed idem poſtea locus in proprietate *Hermanni* Saxonum Ducis fuit, ut credibile ſit, hujus matrimonii intuitu ex Regia familia in *Billinganam* veniſſe. Sed Tabellam Genealogicam ſubjicere placet.



Nota-

Notabilis locus ad confirmandam dignitatem *Billinganæ* (quam vocant) *originis* contra ineptos ſcriptores, qui *Hermannum* ex pauperculo Luneburgici tractûs vaſallo Ducem factum credidere. *Meibomius* vindicias Bellinganas eruditè ſcripſit, ſed tunc nondum hæc Genealogiæ forma in aperto erat.

Cæterum *Ditmarum*, etſi rudem ſtylo & obſcuriuſculum ſubinde ſcriptorem, meritò in pretio habemus, quòd res ſui temporis pene ſolus poſteris tradidit ex fide; peritiſſimus eorum, quæ ſcripſit. Itaque *Andreas Brunnerus* meritò opus ejus, unicum ſui ævi theſaurum appellat. Germanica quidem, & certè Saxonica pleraque ſine ipſo ignoraremus. Miſnicas antiquitates nemo ipſo luculentius dedit. Urbis Lipſiæ, patriæ meæ, meminit omnium primus, & Sileſiæ etiam ſub nomine pagi Silenſis. Idem de Slavicis, Polonicis Hungariciſque dicendum eſt, Hiſtoriam veterem earum gentium ſine *Ditmaro* mancam fore. Et præ his, quæ ille tradidit, nihili ſunt, quæcunque de ſuo afferre poſſunt Poloni, ſeriùs ſcriptores nacti.

De Anglicis etiam rebus habet quædam ex relatu, quæ etſi non prorſus erroris expertia ſint, videntur tamen lucis aliquid domeſticæ gentis Hiſtoriæ (valde circa hæc tempora incertæ & obſcuræ) afferre poſſe. Nempe lib. VII. narrat *Ditmarus*, anno 1016. menſe Julio *Haraldum* & *Canutum* fratres, cum Duce *Thurguto* & claſſe 340. navium appuliſſe, & Londinum obſediſſe, paulo poſt mortem Regis *Adelradi*; cumque ſex menſibus duraſſet obſidio, filios defuncti Regis, urbe antea egreſſos, *Ethelſtenum* & *Ethmundum* cum auxiliis veniſſe, iiſque caſu obviam factum *Thurgutum*. Tum prælio commiſſo *Ethmundum* Regem & *Thurgutum* Ducem cecidiſſe, Danos repetitis navibus receſſiſſe. Sed credibile eſt, alium à Rege *Ethmundo* fuiſſe, qui tunc cecidit. Nam *Edmundus Ethelredi* filius pacem poſtea cum *Canuto* fecit, diviſo inter ipſos Angliæ Regno. An dicendum erit, permutaſſe nomina *Ditmarum*, & *Adelſtanum* cecidiſſe: nam quis hujus exitus fuerit, non ſatis (ni fallor) conſtat ex ſcriptoribus Anglis. Neſcio, an ad *Thurgutum* hunc Ducem pertineat moneta, litteris Runicis inſcripta, inſertaque editioni Anglicæ Britanniæ *Camdeni*, de qua Cl. Vir *Nicolaus Kederus*, Regii apud Holmiam collegii antiquitatum Aſſeſſor nuper diſſertationem edidit, & verba ita legit: *Thurgut Luntis*: ſuſpicatus, *Thurgut* nomen monetarii eſſe Londinenſis, refutatis iis, qui *Thur-gut* interpretati ſunt Deum *Thor* Septentrionalibus cultum, cùm nummus Chriſti effigiem præferat ab altera parte. Sed Nobiliſſimus Eques *Fontanus*, qui nuper pulcherrima ampliſſimaque collectione nummorum Anglo-Saxonum edita, Hickeſianoque ſane eximio Anglo-Saxonicarum antiquitatum Theſauro adjecta, Hiſtoriam patriam illuſtravit: dubitat (fol. 165. 166.) Londinum deſignetur an Lincolnienſis urbs, dicta olim Lundis-vara. Quod ſi me ali-

quid adjicere fas eſt, dubitari poſſe putem, an non præſtet pro monetario hic ſubſtitui inclytum in Anglia Ducem gentis Danorum, cujus vel mandato vel honori id datum ſit, ut nummus ille cuderetur; cùm & literæ ſint, quæ tunc Danis in uſu erant, & nummus in Anglia ſit repertus. Sed Ducis *Thurguti* nec Anglos nec Danos ſcriptores meminiſſe ſuſpicor, quoniam nemini nunc ille in hoc nummo interpretando ſuccurrit. Itaque *Ditmaro* noſtro impoſterum reſuſcitatum decus debebit Vir ille.

Ditmarum inter optimates Germaniæ omnium primum fuiſſe, qui Hiſtoriam ſcripſerit, *Remeccius* in præfatione notavit; credo quòd ipſius tempore ignoraretur *Haymonis* Epiſcopi Halberſtadenſis Hiſtoria Eccleſiaſtica, aut *Willibaldi* (mea ſententia junioris) Epiſcopi Eichſtetenſis vita *Bonifacii*, aut *Altfridi* Epiſcopi Monaſterienſis Vita *Ludgeri*; ne quid de vita *Greporii* Rectoris Eccleſiæ Trajectinæ, ab ipſo *Ludgero* primo Monaſterienſium Antiſtite ſcripta, dicam: niſi *Reineccium* de juſta temporum ſcriptoris Hiſtoria interpretamur. *Vitam* ipſius *Ditmari* ex Chronico vetere Antiſtitum Merſeburgenſium à *Reineccio* editam ipſius exemplo ſubjicimus; dolemuſque, Chronicon iſtud nunc, quod conſtet, non haberi.

Abſoluta jam editione *Ditmari*, nonnullus *collationes emendationeſque* adjicere è re viſum, neglectas initio quod ſemper executioni eorum, quæ præſcripſeram, advigilare mihi non licuiſſet. Nunc ergo peculiari Tmemate (LXIV) ad Witikindearum collationum exemplum, in fine totius hujus operis ſubjectas dabimus. Nimirum *Albinus* Hiſtoricus Electoris Saxoniæ, poſt editionem Reineccianam, correctiones collationeſve ex antiquo Codice ſumtas, *Henrico Meibomio* ſeniori miſerat. Eas nepotis hujus, *Henrici Meibomii* junioris, Viri itidem clariſſimi filius, Sereniſſimi Principis Hæreditarii Guelferbytani Conſiliarius ex ſchedis paternis ſuppeditavit. Sed & Cl. *Vignolla* Gallus, verbi divini apud Brandeburgicos tunc Miniſter, quædam per opportunè ex aliorum autorum locis emendavit, Chronologiæ inprimis habita ratione, in qua ſe egregiè verſatum jam dudum publicis ſpeciminibus oſtendit. Quædam ego ipſe tum ex collatione *Reineccii Maderique*, tum ex ineditis quibuſdam ſcriptoribus, tum denique ex ingenio emendavi. Sæpe autem varietate annotata, utra lectio præſtaret, incertum reliqui. Eadem occaſione etiam typorum noſtrorum lapſus, qui turbare poterant corriguntur.

VITA HENRICI SANCTI IMPERATORIS, ab *Adelboldo* Epiſcopo Trajectenſi conſcripta. (*Num.* 30. *Tom. I.*)

HEnricus, Secundus, ſi Reges Germaniæ ejus nominis numeres; primus, ſi Romanorum Imperatores, inter Sanctos ab *Innocentio III.*

Digitized by Google

lio III. Papa relatus eſt, & apud Bambergenſes potiſſimum colitur, ubi Epiſcopatum inclytum ipſe fundavit. Magnum Virum fuiſſe & probum dubitare nos geſta non ſinunt. Virginitatem voluntariam in matrimonio cum *Cunigunde* conjuge coluiſſe, poſteriores tradiderunt: coætanei nec minimum hujus opinionis veſtigium exhibent; ut adeò magnopere ei fidi non poſſit. Patrem ejus fuiſſe *Hezilonem* vel *Henricum* Ducem Bavariæ, filium *Henrici*, qui à Magno *Ottone* fratre Ducatum Bavariæ accepit, filia *Arnulphi* prædeceſſoris ducta, pro certo habendum eſt, cùm à contemporaneis ſcriptoribus ac documentis extra controverſiam collocetur. Et tamen inventus eſt ſcriptor, doctus alioqui, ſed in hac certè re inconſultus, *Mattheus Raderus*, qui in Bavariæ Sanctæ opere virum antiquiſſimæ *Brunſvicenſi* ſtirpi eripere & Bavaris vendicare conatur, nullis idoneis argumentis adductis; itaque rei claræ immorari non vacat. Placet tantùm adducere locum inſignem ex Vita *Mathildis* Reginæ, quam huic collectioni inſeruimus, hujus ipſius *Henrici* juſſu ſcriptam. Ibi narratur, Regina ſene, aliquando cum Imperatrice *Adelheida* nunc ad menſam ſedente, ludentibuſque juxtà pueris inter ſe conſobrinis, *Ottone II.* filio Magni & *Henrico*, filio *Henrici* Ducis defuncti, quem avia tanquam imaginem *Henrici* Patris, ſibi dilectiſſimi, in oculis ferebat: Imperatricem de matrimonio aliquando inter filiam ſuam *Hemmam* & puerum conciliando, ſermonem intuliſſe; at Reginam ſuſpirantem tanquam futurorum præſciam dixiſſe: *expedit filiæ veſtræ feliciori ſe Viro adjungere. Hoc nomen* (Henrici) *ſolummodo decus habuit, quamdiu Dominus noſter Henricus vixit. Poſtquam vero impoſteros venit, nunquam infortunio caruit - - - - adhuc in divina diſpoſitione eſt, quid huic debeat accidere. Speramus autem non excidere hoc nomen de genere noſtro, priuſquam aliquis parvulus oriatur de ejuſdem pueri ſemine, qui ſublimetur regali dignitate. Quis autem dubitet*, (ſubjicit autor) *electæ Chriſti famulæ prophetiam in Chriſtianiſſimo Rege Henrico nunc eſſe impletam.*

GUILLELMI APPULI Historicum Poema de rebus Normannorum in Sicilia, Apulia & Calabria geſtis, neque ad mortem *Roberti Guiſcardi* Ducis. (*Num.* 39. *Tom. I.*)

Azo potens Marchio, origine Eſtenſis, ex *Cuniza* veterum Guelforum hærede, pater *Gueſi* Ducis Bavariæ, qui ſtirpem in Germania propagavit, in Brunſvicenſibus Principibus adhuc ſuperſtitem ex altera conjuge filios habuit *Hugonem* & *Fulconem*. *Hugo* filiam duxit *Roberti Guiſcardi*, Normannorum Principis, qui Apuliam, Calabriam & Siciliam tenebat, magnis rebus geſtis clarus, regni utriuſque Siciliæ fundator, cujus titulum filius *Rogerius* geſſit. Nam Siciliæ citra Pha-

rum

rum (seu cismarinæ) nomine tunc veniebat, quod nunc Regnum Neapolitanum dicimus: Siciliam verò Insulam, Trinacriæ regnum appellabant. Id porrò matrimonium, non minùs quàm liberorum *Azonis* & conjugum seriem, Atestini Historici ignorarunt. Quoniam autem *Guilielmus* Poëta contemporaneus nuptias *Hugonis* describit, hunc, alioqui paucis visum nostris scriptoribus addere libuit. *Gasp. Barthius*, Vir maximæ lectionis, & scriptorum latentium ruspator insignis, (in notis ad *Guil. Britonem* p. 774.) ita de hoc autore loquitur: *Extat Poëma Guilielmi Appuli olim editum, laudatum multis doctorum, sed in cognitionem meam non venit, non sine fastidio siniſtræ fortunæ.* Exemplo, quod ab ornatissimo *Fellero*, Doctissimi Lipsiensium Professoris filio, nunc Smi. Ducis Vinariensis Secretario mecum communicatum fuit, hæc inscripserat insignis vir *Nicolaus Heinsius*: *Hic liber est rarissimus & alias non editus, quo me donavit* Emericus Bigotius *V. Cl.* Certè oportet fugisse *Quercetani* diligentiam, qui Scriptores Normannicarum rerum justo volumine edens, folii, quod vocant, forma, hunc omisit: qui tamen jam prodierat hoc titulo: *Guilielmi Apulienſis rerum in Italia ac regno Neapolitano Normannicarum libri quinque, Rothomagi apud Richardum Petit & Richardum Lallemant anno 1582. 4to pag. 52.* Editor se vocat *Joannem Tiremæum Hautenoëum*, fisci in Provincia Rothomagensi patronum. Librum autem se reperisse ait in religiosa Becco helvini cænobii domo; & inscribit *Ludovico Balliolo*, *Lonlei* ac *Syllei* Cænobiarchæ. Sed operæ pretium est argumentum operis paucis complecti, ut, quæ apud autorem dispersa, & dictione obscurata sunt, facilius intelligantur. LIBRO PRIMO sub initium ait: *Dicere fert animus, quo gens Normannica ductu venerit Italiam.* Hortatu *Rogerii* ipsiusque Papæ *Urbani II.* laborem hunc à se susceptum profitetur. *Urbanus* anno 1088. sedere cæpit, obiitque 1099. unde Poëtæ nostri ætatem æstimes. Narrat, Normannos quosdam, cum ex voto *S. Michaelis* in Gargano monte ædem ingressi essent, illic *Melum* insignem virum, à Græcis Baro pulsum reperisse. Hunc suasisse ipsis, ut in Græcos impetum facerent, armaque suppeditasse. Vincitur *Turnicius* Græcorum Catapan, sed anno sequente, successor ejus *Basilius* apud Aufidum flumen vicissim *Melum* vincit. Is sese ad *Henricum* Augustum confert, & auxilia obtinet, sed dum parantur, obit: Normanni destituti in Campaniam redeunt, nunc his nunc illis Longobardorum Principibus manus & arma locant. Tandem in urbe Aversa considunt, *Ranulphum* inter ipsos clarum sibi Ducem præficiunt qui *Jordanem* genuit, & hic *Richardum*. Ab *Ardoino* quodam Longobardo in Græcos iterum incitantur, qui à *Dochiano* Græcorum Duce injuria affectus fuerat. Tum bis sex de omni numero suo nobiliores eligunt, & quingentorum equitum septingentorum peditum numero instructi, Amalphim capiunt. Inde præda onusti primorum suorum jussa spernunt,

Adenulphe

Adenulpho Beneventano Principi militant. Filium *Baſilii*, qui olim *Melum* pepulerat, in prælio capiunt, Barum, Monopolim, Juvenacum, urbes à Græcis deciſcentes, ſibi fœdere adjungunt. Tum ab *Adenulpho* ad *Guaimarium* Salerni Principem tranſeunt, qui in Averſa erant Normanni: reliqui *Argyroum Meli* filium Ducem creant, qui cum *Maniaco* Græcorum Duce certabat. Interea *Conſtantinus Monomachus* ad Imperium Græcorum pervenit. Is *Argyroum* cum ſuis in adverſantem *Maniacum* ſtimulat. Auxilio venêre & Averſani, & inter hos *Ranulphi* in regenda Averſa ſucceſſor *Rudolphus*, filiuſque *Tancredi Guilielmus Ferrobrachius*, cui frater fuit *Guiſcardus*, poſtea Dux. In eo bello cecidit *Maniacus*.

LIBRO SECUNDO. *Argyrous* Barum tenens, etiam Hydruntum occupat: inde Normannos dimittit, & in Baro urbe à *Guaimario* obſidetur, ac poſtremo Conſtantinopolin redit. Normanni *Guaimario* Salernitano iterum operam locarunt: inde pars Normannorum Comiti *Petro*, pars *Drogoni* adhærent, filio ejuſdem *Tancredi*. *Petrus* his conſanguineus,

Condidit hic Andrum, fabricavit & inde Coretum,
Buxilias, Barolum maris ædificavit in oris.

Muniſſe puto, hoc noſter ædificare appellat: Tandem *Petrus* ab *Unfredo* & *Drogone* in prælio capitur. Conſtantinopolin cum pecunia redit *Argyrous*; ſolicitat Normannos, ut Græcis in Turcas militent; quos autor more Græcorum autorum Perſas vocat. Sed cùm Apulia excedere nollent, opprimere eos tentat, excito etiam *Leone IX.* Papa. *Drogo* tunc obierat & *Guaimarius*: Normanni rectore carebant. *Drogoni* tamen fratri ſuperſtes erat *Unfredus*, & Averſam in Comitis modum regebat *Richardus* Normannus; ſed præ cæteris virtute eminebat *Robertus Guiſcardus*, *Guilielmi*, *Drogonis* & *Unfredi* frater. Prælio cum *Leone* Papa commiſſo, Longobardi Germanos deſerunt. Suevi magna virtute reſiſtunt, ſed tandem cæduntur; Papa Benevento à civibus excluſus capitur. Normanni tota Apulia potiuntur, *Unfredus Roberto* fratri Calabriam concedit, ſed mox defunctus eidem & Apuliæ obtinendæ occaſionem præbet *Nicolaus II.* Papa, Synodo apud Amalphitanos habita, *Robertum* Ducem creat, & oblatas Romanæ Eccleſiæ, quas ille occuparat terras, feudi jure reddit. Itaque Poëta de *Roberto*:

Unde ſibi Calaber conceſſus & Appulus omnis
Eſt locus, & Latio patriæ dominatio gentis.

Sed Apuliam & Calabriam inde ab *Ottonibus* ſibi Imperatores Occidentis vindicabant, & quod *Otto II.* cæperat, proſecutus erat *Henricus II.* captiſque Benevento, Troja, Neapoli, Capua, Salerno & aliis locis, etiam Normannis, quòd fortiter militaſſent, agros dederat. Ita-

que *Henricus IV.* & alii Imperatores, vel à Papa vel à Normannis, imperio aliquid detrahi poſſe negabant, quæ omnia noſter diſſimulavit. *Robertus* interim priore conjuge conſanguinitatis titulo repudiata (ex qua *Boamundum* ſuſceperat) *Sichelgaitam*, *Guaimarii* Salernitani Principis filiam, *Giſulphi* ſucceſſoris ſororem, ducit, ex qua tres filios, quinque puellas genuit. Inde fratris *Unfredi* filium *Abælardum*, & alios rebelles vincit.

LIB. III. narratur quomodo Barum Græcis, navali prælio victis, tertio demum anno extorſerit *Robertus*. Bellum deinde per *Rogerium* fratrem in Saracenos Siciliæ parat: mox ipſe Panormum obtinet. Inde *Petri* Comitis filium *Petrum* Trano exuit, *Giſulfum* conjugis fratrem capit: ita Salerno & Amalphi potitur. Hæc urbs tunc mercatorem concurſu florebat, & crebris navigationibus exterorum adibatur:

Hic Arabes, Indi, Siculi, noſcuntur & Afri.

Hîc *pixidem nauticam* repertam ajunt, de quo tamen nihil noſter. Inde rebus ordinatis Trojam redit.

Dumque moraretur Trojanæ mœnibus urbis,
Nobilis advenit Lambardus Marchio quidam,
Nobilibus patriæ multis comitantibus illum.
Axo *vocatus erat, ſecum deduxit Hugonem,*
Illuſtrem natum, Ducis huic ut filia detur.

Hac re fuſiùs expoſita narratur deinde quomodo Dux cognatos alioſque æmulos in ordinem redegerit, parte ditionum ademta, parte reddita.

LIBRO QUARTO refertur *Michaelem*, qui *Parapinaceus* dicebatur, *Conſtantini Ducæ* filium, Imperio dejectum.

Socio ſibi fratre repulſo,
Monachus efficitur; Roberti *filia mœret*
Deponi ſocium, miſer exulat ille coactus.

Nempe *Michael* Imperator filio *Conſtantino* deſponderat filiam *Roberti Helenam*, ut ejus auxilio Turcis reſiſteret, ut habet *Curopalates*. Poëta autem noſter mox de aliis, quos *Robertus* generos habuit. Inter quos

Partibus Heſperiæ (Iberiæ) quem Barcilona tremebat,
Venerat inſignis Comes hanc Raymundus ad urbem,
Ut nuptura Ducis detur ſibi filia poſcens.
Huic major natu, nuptum datur: altera nupſit
Egregio Comiti, Francorum ſtemmate claro.
Ebalus hic dictus, ſuccumbere neſcius hoſti.

Hunc *Ebalum* Comitem de Rocejo fuiſſe comperi, cujus tanta tunc fama erat, ut à Pontifice Dux expeditionis in Saracenos Hiſpaniæ crearetur. Tantis ergo affinitatibus *Hugo Eſtenſis Azonis* filius, *Guelfi* frater innexus

innexus fuit. Paulo poſt *Robertus* cum *Gregorio VII.* conciliatus Romam venit, fidem huic jurejurando ſancit. Credebatur id ſecretis eum conſiliis agitaſſe cum Papa, ut ademtam *Henrico* Romani Imperii coronam acciperet. Interim *Robertus* transfretat in Græciam, ut generi filiæque injuriam vindicet. Sed intellecto *Gregorii* periculo, quem *Henricus* & *Guibertus* oppoſitus Papa urgebant, in Italiam redit: florentiſſimo exercitu ſex equitum, triginta peditum millibus Romam ductis, *Gregorii* in Hadriani mole obſeſſum liberat, atque ita eodem anno Orientis pariter Occidentiſque Imperatorem vincit.

LIBRO QUINTO (qui ultimus) poſtrema *Roberti* non redituri expeditio in Græciam deſcribitur. Comitatus *Rogerio* filio, centum navibus, mare Hadriaticum trajicit: in expeditione obit. Interim & *Gregorius* Salerni in exilio moritur. Reduces naufragium patiuntur. *Robertus* Venuſina in urbe apud fratres tumulatur.

VITA MATHILDIS Celeberrimæ Principis Italiæ, carmine ſcripta à *Donnizone* Presbytero. (*Num.* 40. *Tom. I.*)

Mathildis, filia *Bonifacii* Ducis & Marchionis Tuſciæ, & *Beatricis*, *Friderico* Lotharingiæ Moſellanicæ Duce natæ, magnarum in Italia ditionum hæres, cum matre Pontifici Romano *Gregorio VII.* contra Imperatorem *Henricum IV.* favit. Et quoniam *Guelfus* noſter, *Azonis* filius Bavariæ Dux, ab Imperatore receſſerat, ei fœdere juncta, etiam filio ejus primogenito *Guelfo* nupſit; à quo tamen poſtremo rurſus divertit. In Tabulis pacti matrimonialis dotalibus lex ſcripta erat, ut ſi ſuperſtes maritus eſſet, ditiones conjugis haberet. Eo ex capite poſtea *Guelfi* Ducis poſteri, *Henricus* & *Guelfus*, ſub *Lothario* Saxone Auguſto vendicavere ſibi, & autoritate *Cæſaris* crevêre hæreditatem, quam antea *Henricus V. Lotharii* anteceſſor ſibi uſurpârat. *Guelfus*, qui ſe Ducem Spoleti ac Tuſciæ, ac Dominum domus *Mathildis* appellabat in diplomatibus, has Regiones in ſenectutem uſque tenuit, & tandem neglecto *Henrico Leone* fratris filio, Imperatori *Friderico I.* ejus hoſti, accepta pecunia, ceſſit, qui *Philippo* filio, Duci Sueviæ, poſtea Regi Romanorum dedit. Hoc occiſo, cùm Pontifex *Innocentius III. Ottonem IV.* coronaſſet, terras *Mathildis* ex ejus teſtamento Romanæ Eccleſiæ vindicabat, *Otto* & Imperii & majorum jura opponebat, negabatque *Mathildem* teſtamento ſuo auferre his quicquam potuiſſe. Inde Pontificem hoſtem magno ſuo malo ſenſit: qui æmulum ipſi oppoſuit *Fridericum II.* Neapolis & Siciliæ Regem, *Henrici VI.* Imperatoris filium adoleſcentem. Ex eo *Mathildis* hæreditas pro bona parte in Romanæ Eccleſiæ poteſtate fuit.

Ipſa magnis in Eccleſias largitionibus non minùs, quàm rebus virili-

ter geſtis famam & ſcriptores promeruit. *Domnizo* vel *Donnizo* ejus Capellanus, arci Carnuſinæ Eccleſiaſtes, vitam adhuc viventis carmine ſcripſit, quale tempora ferebant, & conſtituerat dicare Principi ſuæ. Itaque in antiquo Vaticano Codice pinguntur, ipſe habitu offerentis, *Mathilda* in throno ſpecie accipientis. Sed antequam opus ad umbilicum perduceretur, obiit inclyta Princeps. Ex recentioribus vitam ejus ſcripſit *Dominicus Mellinus*; mox curatius quædam notavit *Felix Contelorius*, Romæ ſub *Urbano VIII.* ſcriniis præfectus. Sed omnium diligentiam & ſtudium vicit vir egregius *Franciſcus Maria Florentinus*, apud Lucenſes medicus, qui patriæ ſuæ aſſerens hujus Principis originem, res ejus majorumque tradidit ex fide diplomatum autorumque temporibus vicinorum. Hunc ſecutus non ſpernendus ingenio & eloquentia, ſed inferior hiſtoricæ narrationis firmitate *Julius de Puteo*. Noviſſimè vir multiplicis doctrinæ ex Benedictina familia, *Benedictus Bacchinus*, in libro de celeberrimo Monaſterio Sancti Benedicti ad Padilironem, quod à majoribus *Mathildis* fundatum, ab ipſa ditatum eſt, res *Mathildis* novis auxiliis ex Tabulis illuſtravit. Cùm in eo Monaſterio ipſa ſepulta fuiſſet, multis poſt ſeculis corpus *Urbani VIII.* juſſu clam ſublatum, Romamque translatum eſt, ubi inſigne tumuli monumentum in Baſilica Vaticana accepit; Duce Mantuano, qui violatum territorium querebatur, quantumvis indignante.

CHRONICON Weingartensis Monachi de Guelfis Principibus.

(*Num.* 55. *Tom. I.*)

EX Saxonia nobis in ſuperiorem Germaniam proficiſcendum eſt, Guelforum Principum cauſa, ex quibus Brunſvicenſes ſunt orti; ditioneſque eorum aliquamdiu tenuere. Guelfi antiqui, ſive ex Alamannis, ut veteres ſcribunt, ſive ex Agilolfingis, vetuſtis Bojariorum Rectoribus, ut quibuſdam viris doctis placet; olim in Suevia & Bavaria hæreditarias nullique feudorum legi obnoxias ditiones habuere, quæ tunc inſignis prærogativa habebatur: uſque adeò, ut quidam ex illis Ethico indignaretur *Henrico* filio, quòd inſignem terrarum tractum ſub homagii conditione Imperatoris beneficio recepiſſet. Principes ergo habebantur etiam, qui Duces Comiteſque (quod feudale erat) non appellarentur; qui tamen domum ſuam aliquando Regio more per miniſteria Comitum vel his æqualium regebant, ut de Guelfis habet ſcriptor, quem damus. Ex his unus *Guelfo*, quem Hiſtorici magis honoris ergo quàm muneris Comitem vel Ducem vocant, filiam *Judithan Ludovico* Auguſto, *Caroli M.* filio, in matrimonium dedit. Vir celeberrimus *Jo. Jacobus Chifletius* ex Auguſtæ fratre *Hugonem Capetum* Regem, totamque Regum Galliæ, tertiæ ſtirpis, proſapiam deduxit: Et ſunt nunc quoque

Digitized by Google

quoque viri docti, qui ſententiam ejus non ſpernendam cenſent. Noviſſimus ex antiquis Guelfis Germaniæ, *Guelfus* Dux Carinthiæ, cùm in caſtro ſuo Potamo (ad Potamicum ſcilicet Lacum) obiiſſet, ſucceſſit in hæreditarias per Sueviam & Bavariam terras *Cunigunda* vel *Cuniza*, nupta *Azoni* potenti Marchioni Italorum ex Ateſtina Gente, filiumque *Guelfum* in Germaniam miſit, qui non tantum ditiones avitas obtinuit, ſed etiam ad Ducatum Bavariæ pervenit. Ejus filius primogenitus famigeratiſſimam *Mathildem*, Italiæ Principem duxit, ſed ſine liberis deceſſit. Frater *Henricus*, cognomine *Niger*, Ducatum Bavariæ paternum tenuit, & filiam *Magni*, Ducis Saxoniæ de ſua ſtirpe poſtremi, duxit. Unde nati ipſi *Henricus* & *Guelfus*. *Henricus Magnanimus* amicis dictus, hoſtibus *Superbus*, ducta filia *Lotharii* Imperatoris, Saxoniæ Ducatum terraſque Brunſvicenſes obtinuit. Eo ex matrimonio natus *Henricus Leo*, Dux Bavariæ & Saxoniæ: tandem, conſpiratione *Friderici I.* Cæſaris & Principum oppreſſus, ægrè nec integras retinuit Brunſvicenſes ditiones. Ejus filius *Otto IV.* Imperator, ultus patrem imperium *Philippo Friderici I.* filio extorſit: ſed viciſſim nepoti ejuſdem *Friderici Friderico II.* ſuccubuit. *Guelfus*, alter *Henrici Nigri* filius, Suevicas antiquorum Guelforum, & Italicas *Mathildis* tenuit terras; ſed *Henrico Leoni* fratris filio parum æquus, pecunia accepta, *Philippo* Suevo Gibellino (poſtea Cæſari) ſuæ domus æmulo, eas vendidit admodum ſenex. Guelficæ terræ in Suevia prope Potamicum lacum ſitæ, ubi hodie Ravensburgum eſt, extincta in *Conradino* Gibellina Suevorum Cæſarum gente, tandem Auſtriacis, per *Rodulphum Habsburgium* regnantibus, ceſſere, à quibus etiam nunc tenentur.

Non pauca in Suevia & Bavaria ſunt fundata ditataque Monaſteria à Guelfis: ſed in his eminet Monaſterium Vinearum, vulgò Weingartenſe, quod hoc beneſactoribus rependit, ut antiquas eorum res memoriæ poſterorum traderet. Chronicon ergo Monachi Weingartenſis, à *Caniſio* primum editum hîc renovamus, collatum cum Auguſtano codice, qui eſt in Monaſterio *S. Udalrici & Afræ*. Memini olim, cùm ad Hiſtoriam Guelficam animum applicare cæpiſſem, *Carolum Ducangium*, *Chriſtophorum Juſtellum* alioſque viros doctos in Gallia, cum quibus mihi literarum commercium erat, dubitare, an verum eſſet, quod vulgò dudum ferebatur, Brunſvicenſes ortos eſſe ex Ateſtina gente. Equidem diſertè in Monacho Weingartenſi apud *Caniſium* ita legebatur cap. 6. *hic* (Gwelf) *genuit filiam Cunitiam* (Cunizam) *nomine, quam Azo dutiſſimus Marchio Eſtenſis Italiæ, cum curte Cliſma dotatam in uxorem duxit.* Sed cùm codicem Auguſtanum inſpexiſſem (ex quo Chronicon hoc ediderat & *Caniſius*) comperi, quod ex connexione ipſa verborum jam ſuſpicatus eram, vocem, *Eſtenſis*, eſſe gloſſema, alia manu aſcriptum. Rem tamen ipſam in Italiam profectus, certis illic argumentis aſſerui

didicique etiam, quibus legibus *Azonis* posteri, in Germania Duces, cum Marchionibus Italis, ex eodem stirpite prognatis, de ditionibus communis parentis transegerint, aliaque nostris Atestinisque scriptoribus ignorata.

GERVASII TILBERIENSIS, Arelatensis Regni Mareschalci, Otia Imperialia ad *Ottonem IV.* Imperatorem. (*Num. 63. Tom. I.*)

Gervasius Tilberiensis, vir illustris, & studiis (pro captu temporum) & militia clarus, ad *Ottonem IV.* Imperatorem, *Henrici Leonis* Ducis Bavariæ & Saxoniæ filium, *Ottonis*, primi Ducis Brunsvicensis patruum, libri misit, quem Otia Imperialia inscripsit, injucunda ejus lectione Imperator curas distingueret. Hunc librum passim citarunt autores de manuscripto. Ex antiquioribus, *Theodericus de Niem* Episcopus Verdensis nominatus, libro 2. de schismate cap. 19. librum composuisse *Gervasium* ait, qui vocetur Otia Imperatoris. Et Autor speculi exemplorum (quem, cum aliquot sequentibus, viro quondam eruditione eximio *Jacobo Thomasio*, in literis ad Cl. *Maderum* datis, notatos debemus) distinct. IX. exempl. 42. *refert*, inquit, *M. Gervasius in libro de mirabilibus terrarum & Imperialibus solatiis* &c. ubi historiolam inde profert *Isnardi*, Domini Castri Cultini, quæ nobis extat decis. 3. c. 31. & *Vincentius Bellovacensis* lib. 3. spec. moral. part. 7. dist. 2. ex nostro exhibet narratiunculam de Cellario quodam B. *Rufi* Valentiensis Diœcesis. Tilberiensis nostri etiam *Bocatius* meminit lib. 7. de Geneal. Deorum c. 25. & *Symphorianus Champerius* lib. de antiquitate Lugduni, & autor obscurus de gestis Romanorum c. 154. 155. 162. & *Baptista Fulgosius* lib. 1. memorabil. c. 6. tit. de avibus aliisque animalibus admirandis: & *Gaudentius Merula* lib. 3. memorabilium c. 44. ult. *Pitsei*, *Balei*, *Wolfii*, & ex recentissimis, *Vossii*, *Boysii*, *Reinesii*, *Menagii*, *Ducangii* aliorumque loca nunc attingam. Tantùm notabo adhuc sub nomine Mareschalli Arelatensis citari nostrum Autorem à *Falcato* (*Fauchet Liv. 2. de la Maison de Charlemagne*) cùm de prælio loquitur; inter *Guilielmum* Tolosæ præfectum & *Abdemelecum* Saracenum, tempore *Caroli M.* commisso: quod referens *Guilielmus Catellus* Historiæ Comitum Tolosæ scriptor eruditus lib. 1. hunc Mareschallum sibi visum negat. Fragmentum operis edidit vir quondam doctissimus *Joannes Joachimus Maderus*, hoc titulo; *Gervasii Tilberiensis de Imperio Romano; & Gothorum, Lombardorum, Brittonum, Francorum, Anglorumque Regnis Commentatio, ex ipsius Otiis Imperialibus &c. Helmstadii* 1673. 4to. Cùm verò Autor non pauca utilia habeat, quæ nostræ Historiæ illustrationi inserviunt, & *Ottoni IV.* ex hac florente nunc quoque Brunsvicensi Domo Imperatori librum dicaverit; totum opus ex Codice manuscripto membranaceo Bibliothecæ Juliæ

Juliæ edendum duximus, atque inde Apographum Cantabrigiam miſimus, quod Cl. *Waſſus*, collegii Reginæ ſocius, vir doctus & officioſus, cum codice ſed & ipſo ſatis imperfecto contulit, qui in Collegio Chriſti illic extat, quanquam pars collationis vel omiſſa ſit, vel exciderit. Clauſa tunc erat Cottoniana Bibliotheca: itaque codice ejus frui nondum datum eſt. Sanè non pauca reſtituimus, ſed omnia nec licuit, nec vacavit: præſertim, quæ ad Geographiam pertinent, ubi multa congeſſit autor partim à librariis corrupta, partim barbara, quæ examinare majoris operæ foret. Secutus alicubi *Oroſium* eſt, ſed & alios alibi, cum quibus conferri poſſet, ab eo, qui aliquando Geographiam veterem & mediam, poſt laudabilem V. Cl. *Chriſtophori Cellarii* operam retractare vellet.

Scripſit autor anno MCCXI. ut ipſe oſtendit, cum indictionis numerum computare docet. Controverſiam, quæ tunc *Ottoni IV.* erat cum *Innocentio III.* Pontifice Romano aliquoties attingit, non ſine quadam moderatione & judicii gravitate. Nam &, ſermone alicubi ad Papam converſo, hortatur eum libero ſatis ore, ut det *Cæſari*, quæ ſunt *Cæſaris*. Interim *Ottonem* ſeriò & prudenter monet, ut potius Pontifici gratificetur, cujus certè auxilio debebat Imperium, quàm non ſine dignitatis periculo cum eo contendat, qui tunc Vicarius Dei in terris habebatur. Erat ſanè optima cauſa Cæſaris, qui terras *Mathildis* Tuſciæ Ducatricis, ab *Henrico V.* ejuſque ſucceſſore *Lothario*, pro avo hujus *Ottonis*, Imperio vindicatas; à *Lothario* in *Guelfum*, propatruum ejuſdem *Ottonis*, translatas (qui *Philippo* Suevo, quanquam injuſtè vendiderat) Romanæ Eccleſiæ, cum detrimento Imperii & ſuæ familiæ cedere recuſabat. Sed ea tunc erant tempora, ut niſi conſenſu Principum Imperii Eccleſiaſticorum & Secularium Pontifici Maximo adverſari etiam potenti Imperatori, ne dum novo & nondum firmis radicibus nixo, parum tutum eſſet. Nec ineptè noſter de illius temporis facie ait:

Ludit in humanis Romana potentia *rebus.*

De *Henrico VI.* Auguſti conſiliis, qui Principibus Germaniæ conceſſerat, ut feuda magis ad hæreditatis ſpeciem admoverentur: (ex quo diviſiones Principatuum, vetitas priore feudorum jure, malè natas ſuſpicor) nimirum, ut viciſſim ejus poſteritas in Imperio ſuccederet, *ceſſante priſtina Palatinorum electione*: nemo tam diſertè clareque ſcripſit quàm noſter, qui mox ſubjicit, *conventionem pridem cum Principibus Teutoniæ factam ab Henrico de ſucceſſione Imperii, per ſanctiſſimum Papam Innocentium (III.) fuiſſe caſſatam.* Quæ conventio nuſpiam hodie extat, quod ſciamus. Ubi quod de *Palatinis* habet Cæſarum Electoribus, quantivis pretii eſt. Intelligit autem Archipalatina officia, id eſt, Dapiferum, Pincernam, Mareſchallum & Camerarium, qui in Cæſarum, Regum alio-

aliorumque magnorum Principum palatiis ab antiquo cuncta regebant. Hæ olim dignitates certæ familiæ, aut certo territorio non alligabantur, ut ex *Wittikindo Ditmaro* aliisque intelligi potest. Electionem Regis vel Imperatoris Romanorum ac Germaniæ seculo certè XII. & magna adhuc parte seculi decimi tertii non nisi ex prætaxatione communi Principum (ut *Alberti* Stadensis Abbas loquitur) solenni ritu peragebant Principes illi, qui munera Palatina gerebant, autoritatem sacri muneris interponentibus tribus Orientalis Francorum Regni ad Rhenum Archiepiscopis, qui & ipsi mox cum Archi-officialibus Electores dici cœpere; cùm antea in Bavarico & Saxonico regno peculiaris cujusdam Electionis species, autoribus illic Archiepiscopis, celebraretur, ut ex notatis *Ditmari* Supplementis imprimis patet. Denique (vix tamen ante *Roaulphum Habsburgum*) cæteri Principes vel consilio vel negligentia jus suum omisêre, omnibus longo interregno in deterius commutatis, obscuratoque per infelicitatem temporum antiquo Imperii Jure. Hæc olim fusius in præfatione Codicis Juris Gentium Diplomatici explicata, observatus postea *Gervasii* nostri locus egregiè confirmavit, atque etiam in Mantissa præloquio provocavimus.

Cæterum *Gervasium* in his, quæ ad Rempublicam pertinent, non spernendum; mox ubi sacra, & remota à suis temporibus locisque attingit, mirificentissimum esse & superstitiosissimum fabulatorem fatendum est. Sed neque prorsus eum à mentiendi libidine absolverim. Quædam enim velut testis oculatus narrat, quæ nemini mentis compoti hodie facilè persuaseris. Sed talia tunc vel in pietate vel certe in laude ponebantur. Vix tamen capi potest, hominem de nonnullis rebus naturalibus, civilibus, sacris etiam, doctè & prudenter differentem, mox in ea dilabi, quæ hodie

Non sanè esse homines non sanus juret Orestes.

Nam multiplicis literaturæ virum fuisse apparet, neque in veteribus Historicis aut Poëtis, aut etiam Ecclesiæ Patribus hospitem. Sed omnia corrumpebat cacoëthes mirabilia narrandi. Vixit eo seculo, quod ego cum proximo, omnium seculorum post Christum natum ineptissimum esse comperi; decimo tertio, inquam, quo subitò omnes propemodum boni scriptores evanuere, cuncta in se trahentibus Monachis mendicantibus, qui tunc insurrexerant; & mox ignorantiam atque errorem etiam vivicomburio sancientibus: ut jam vix alia quàm utriusque juris & scholasticarum argutiarum studia supererent. Germanis certè seculum decimum aureum fuit præ decimo tertio & decimo quarto; quo tempore etiam jura Imperii supina ignorantia propemodum intercidêre. Noster habitum doctrinæ animorumque illius temporis velut in speculo intuendum reperisse. *Turpini* & similium nugæ jam ante inventæ erant; sed

ex

ex *Ottone* Friſingenſi aliiſque contemporaneis apparet, medio duodecimo ſeculo integram adhuc diſcernendi facultatem ſuperfuiſſe, mox verò uno impetu fabulæ, antea intra Legendas & Sanctorum miracula coërcitæ, ſeſe in orbem literarium effudere. Sanè non ſine admiratione legi, quàm inepta de rebus ſuæ patriæ & vicinis, vix uno alteroque ſeculo anterioribus, *Ptolemæus* Lucenſis, qui ſeculo decimo quarto floruit, ſimileſque Italiæ ſcriptores habeant, uſque adeò, ut jam nec Hiſtorici nec juriconſulti noſſent, quæ eſſet Guelforum & Gibellinorum origo, quorum factionibus tota Italia crudeliter lacerabatur: uſque adeò ridicula ſunt, quæ de ea re ſcribunt. Quanta etiam portenta ſeculo præcedente, id eſt, *Gervaſii* noſtri ætate jam tum peregrinatores referre auderent, ex *Arnoldo* Lubecenſi Abbate intelligas, qui epiſtolam ad ſe *Conradi* Hildeſienſis Epiſcopi non pauca manifeſtè fabuloſa narrantem in opus ſuum retulit, tanquam auro includeret gemmam. Tunc & *Benjaminus* Tudelenſis Hebræus itinerarium conſcripſit, quo nihil prodigioſius, cum quo *Johannes de Mandevilla* ſeculi XIV. ſcriptor in ſuo hodæporico videtur mentiendi audacia certare voluiſſe. Jucunda inprimis ſunt & perridicula; quæ & noſter narrat de magicis *Virgilii* operibus apud Neapolin, quibus alia non imparia ille ipſe addit *Conradus* Epiſcopus, qui (quo magis mirum) Imperatoris erat Cancellarius. Quæ verò de ſpectris, & apparitionibus, de mortuorum reſponſis, de fatatis vel incantatis perſonis aut rebus habet noſter, neque Legendariis neque Amadiſis concedunt. Cæterum ne fabulas quidem iſtas percurrere pœnitebit curioſum antiquitatis, & legiſſe ex hoc ſtercore aurum. Paſſim aſpergit quædam noſter, ad Hiſtoriam & Geographiam & Phyſicam utilia. Certè de vermiculo, colore plantaque unde naſcitur, dilierit digna expendi; quæ ex codice manuſcripto Bibliothecæ Regiæ exhibuerat *Ducangius*, vir vaſtæ doctrinæ & diligentiæ, Gloſſar. Latin. V. vermiculus; unde noſtrum Codicem emendavimus. Habet etiam non pauca, quibus res Arelatenſes & vicinæ illuſtrantur. Opinionum quarumdam & traditionum, adde & rituum origines, non alibi occurrentes, ſubinde inſinuat. Quæ refert de variis CHRISTI iconibus, legi merentur. De *Veronica* diſertè, ut excellentis vir doctrinæ *Mabillonius*. Eſt, inquit, *Veronica* pictura Domini vera (vera icon.) Pomum aureum, quod in ſolennibus ſiniſtrâ ferebant Imperatores, favilla & cinere plenum fuiſſe refert, ut admonerentur, quàm vana eſſet omnis humana magnitudo. deciſ. 1. c. 9. Nonnullos citat Autores, qui non tantùm intercidêre, ſed etiam planè nobis ignorantur. Tale eſt Chronicon *Claudii* ad *Adonem*, quod citatur deciſ. 3. c. de ortu provinciarum; Hiſtoria item ſeu Bibliotheca verſificata deciſ. 1. c. 9. *Theodoſii* Diaconi, tr. de terra ſancta, unde ampla exhibentur excerpta, deciſ. 2. Citatur & (deciſ. 3. c. de Bevere, id eſt Caſtore) egregius verſificator *Bernardus Sylveſter.*

Sylveſter. Et quotidiana (neſcio quæ) Hiſtoria deciſ. 3. cap. de Olympo. Complura alia ſcripta *Gervaſio* noſtro tribuuntur. Ipſe non ſemel opus ſuum citat de *vita B. Virginis & diſcipulorum Jeſu*, credo quòd pars eorum in Narbonenſem Provinciam cum *Lazaro* & *Maria Magdalena* veniſſe crederetur. Librum Facetiarum ſcripſerat in gratiam *Henrici* junioris Angliæ Regis, qui ante patrem *Henricum II.* (noſtro dictum ſeniorem) abiit. Sed *de mundi deſcriptione* librum unum, & *de mirabilibus orbis* librum unum, quos *Baleus* refert, in noſtro contineri apparet. *Galfridi* Monmuthenſis fabulas de Britonum origine, & *Bruto Conditore* illuſtravit, eodem *Baleo* autore; certè compendium harum nugarum in opus quod edimus tranſtulit. Ipſas illuſtrationes *Galfridi* vidit *Baleus* (aut fortaſſe, quem ille ſæpe exſcripſit, *Lelandus*) nam initia citat. Idem *Baleus* à ſe juvene editam ait *Gervaſii* tripartitam Regni Angliæ Hiſtoriam ſub Illuſtriſſimo Anglorum Rege *Henrico*, libris tribus ſcriptam, *quem* (inquit) *librum, quia per tres columnas digeſſimus, duximus* Tricolumnium *poſtea appellari.* Sed hunc librum videre non memini, neque alii indicarunt. Tribuit etiam Dialogorum librum *Gervaſio Baleus* & *Piſeus*, cùm dixiſſet, dialogorum unum ſcripſiſſe, addit: *affirmant etiam multi, eum ſcripſiſſe librum nigrum de curia Scaccarriæ.* Ibi *Voſſius* hæc referens, & nonnihil per feſtinationem, ut arbitror, confundens; hunc ipſum librum de Scaccarrio forma dialogi ſcriptum putavit. Cæterum ambigere *Seldenum* in notis ad *Eadmerum* p. 216. an autor libri nigri *Gervaſius* ſit, ipſe *Voſſius* notat. Tandem *Theodericus de Niem* lib. 2. de ſchiſmate c. 19. Balnea Puteolana à *Gervaſio* libello metrico deſcripta ſcribit, ab eo ſcilicet, qui etiam ſcripſerit Otia Imperatoris.

Sed & de vita viri aliqua ſubjicere operæ pretium eſt. *Baleus* non mediocriter eruditum vocat; cognomentum à Tilberia Oſtro-Saxonum oppidulo in Tameſina ripa duxiſſe. *Theodericus de Niem* pro Anglo Saxonem errore quodam facit. *Baleus Henrici II.* Regis Anglorum nepotem credidit. Sed tantæ nobilitatis nulla indicia apparent in hoc libro aut veteribus monumentis: erroremque ortum opinor, quod aliquando in manuſcriptis codicibus, pro avo veſtro (nempe cùm *Ottonem IV.* alloquitur) legitur corruptè, avo noſtro. Cæterum virum genere nobilem intelligas, quòd Mareſcalci dignitatem in Regno Arelatenſi non alteri, (ut tunc erant tempora) Imperator credidiſſet. Habebat dudum inſignes in illo regno poſſeſſiones, nempe per uxorem; haud alioqui facilè illic admittendus ad illam dignitatem. Nam deciſ. 3. c. de equo *Gerardi de Cabreriis*, *in palatio* (inquit) *noſtro*, quod ex *veſtro munere & ex veſtra gratia ad nos rediit per ſententiam Curiæ imperialis propter jus patrimoniale uxoris noſtræ &c.* Itaque *Humbertum* Arelatenſem Archiepiſcopum vocat affinem ſuum deciſ. 3. cap. de lamiis. Ipſe ſeſe in præloquio refert inter homines militares. Itaque marte & arte claruit: nam

juvenis

juvenis Bononiæ Jus canonicum docuit, auditoremque in eo habuit *Johannem Pignatellum*, Archidiaconum poſtea Neapolitanum; quem ait ſcientia, meritis & ſanguine illuſtrem deciſ. 3. c. 12. Fuit ipſe in miniſterio *Guilelmi* Regis Siciliæ, & egit Neapoli tunc, cum Accon ſeu Ptolemais à Chriſtianis obſideretur, ut ibidem ait. Capta autem illa eſt poſt anni & amplius obſeſſionem Julio anni 1191, & *Gulielmus* Rex paulo ante obierat Novembri menſe anno 1189. *Gervaſius* autem jam antea *Henrico* Juniori Regi Angliæ, cum patre regnanti familiaris fuerat, qui obiit anno 1183. Tunc ergo in Anglia vel Galliæ parte, Anglis ſubjecta egit. Et paulo ante (ut ipſe refert deciſ. 2. c. de Impp. Rom. poſt *Carolum*) vidit Venetiis reconciliationem *Friderici I.* Imperatoris cum *Alexandro III.* Papa, quæ facta eſt anno 1177, nullumque illic veſtigium habet abſurdæ conculcationis, quam boni autores ignorant; quin potius moderatum *Alexandri* animum laudat patientiamque, qua tandem triumphârit. De ipſa ceremonia ſic loquitur: *in Concilio ſiquidem Veneto pœnitentem Imperatorem ad ſinum matris Eccleſiæ regreſſum* intuiti ſumus; *cùm ſumma humilitate* ſtolam per manus *Sanctiſſimi* Papæ *Alexandri, quam dedit pater pœnitenti filio, recepiſſet.* Credo, quòd ſtola nova innocentiæ ſignum eſſet poſt abſolutionem.

GERARDI MAURISII Narratio diſſidiorum Marchionis Eſtenſis, cum *Ecelino* de Romano. (*Num. 6. Tom. II.*)

CUm *Felix Oſius* Vir doctus, Profeſſor Patavinus, hortatu *Dominici Molini* Senatoris Veneti, ab eruditis ſui temporis paſſim celebrati, Hiſtoriam *Henrici III.* Auguſti, ab *Albertino Muſſato* contemporaneo ſcriptam, edere moliretur: ſcriptores aliquot alios ineditos addere conſtituit, qui de rebus *Marcæ*, quam olim *Veronenſem* hodie *Tarviſinam* vocant, id eſt, partis Longobardiæ, Venetis vicinæ, ſcripſerant. Obiit *Oſius*, antequàm editionem abſolveret; quæ tamen *Molini* favore & *Laurentii Pignorii* cura perfecta eſt anno Dom. 1636. Ex his ſcriptoribus viſus eſt nobis collectioni noſtræ inſeri dignus antiquior cæteris *Gerardus de Mauriſio*, cauſidicus ac civis Vicentinus, & aliquando judex urbis, ut habetur in fine operis, natus *Petro* quondam de *Mauriſio* milite p. 29. qui ſtetit à partibus *Friderici II.* Imperatoris & *Ecelini* de Romano contra Pontificem Romanum & Marchiones Eſtenſes, id eſt, à parte Gibellina contra partem Guelfam; cùm contrà *Monachus Paduanus*, ab *Urſtiſio* editus, & *Rolandinus* editus ab *Oſio*, aliique pene omnes Pontificis partes tueantur, & in Imperatorem ſunt iniqui. Sed *Mauriſius* ante ruinam *Ecelini* tertii (ſecundò nati) ſcripſit: cæteri fortunam ſecuti videntur. Quanquam ego *Ecelinum* hunc tueri nolim, cujus crudelitatem & tyrannidem omnes uno ore exagitant; quæ cùm *Mauriſius*

 ſcriberet,

ſcriberet, nondum credo ad ἀκμὴν pervenerant. Sed cur *Mauriſium* in hanc collectionem admitterem, duo fuere: primum, quod de *Ottone IV.* Auguſto habet, quæ, alibi non legenda, ad indolem tanti Principis noſcendam faciunt; deinde quod de rebus Marchionum affert, quæ nuperi ſcriptoris Romani, vir docti ſed Eſtenſibus iniquioris, opinionem refellunt, qui de Pontificio in Comaclum jure epiſtola, Italico ſermone ſcripta, tractavit. Contendit Romanus Scriptor Eſtenſibus Marchionum honorem non ante competiiſſe, quàm *Azo* Eſtenſis ab *Innocentio III. Marchio Anconæ* renuntiatus eſt. Sed *Mauriſius* noſter, adverſus Eſtenſibus & hoſti eorum favens, eoque credibilior, cum ipſorum dignitati teſtimonium perhibet, *Azonem* jam *Marchionem Eſtenſem* vocat ante annum 1204, id eſt, multo ante, quàm Marchiam Anconitanam obtinuit. Narratque, Marchionem Eſtenſem *Ecelino* ſecundo, ſenioris *Ecelini* filio, contra Patavinos (p. 26.) aſtitiſſe; ſed hunc poſtea Veronenſibus contra Marchionem auxilio fuiſſe, qui ad poteſtatis honorem *Veronæ* electus, & deinde expulſus fuerat: mox tamen, repugnante licet *Ecelino*, Veronam recepit. Idem Marchio tunc & *Salinguerram* Ferraria expulit, & jam cum amicis Veronam & Vicentiam & Ferrariam tenebat; quas tamen mox rurſus amiſit (p. 28. 29.) Hoc rerum ſtatu *Otto IV.* Rex, ad recipiendum Imperii Diadema, in Italiam venit, & *Marchionem*, *Ecelinumque* & *Salinguerram* ad ſe vocavit, deditque operam, ut conciliarentur. Qua in re & moderatio Imperatoris & autoritas eniruit; & jucunda lectu ſunt, quæ de colloquio ipſius cum Marchione & *Ecelino* habentur p. 30. ubi & apparet, *Ottonem* Aug. Gallico ſermone uſum, & ab Italis fuiſſe intellectum. Et mutanda ibi nonnihil interpunctio eſt; nam pro: equitando cum ipſo in Franceſco, dixit Dominus Rex, &c. ſic diſtinguendum eſt, *equitando cum ipſo, in Franceſco* (id eſt Gallicè) *dixit Dominus Rex.* Porrò rebus compoſitis, *Azonem* ad Marchiam Anconitanam (quam ei contulerat) regendam miſit, *Ecelinum* ſecum Romam duxit; eique deinde reverſus, *Vicentinæ* civitatis regimen credidit (p. 31.) Ex quibus intelligitur, Eſtenſes dudum Marchiones fuiſſe, antequàm Anconam obtinerent, & hanc ab Imperatore accepiſſe; etſi poſtea, Imperatore cum Papa colliſo, hujus quoque conceſſionem Marchio expetierit. Quin multo antè ſub Imperatore *Friderico I. Obitio Marchio Eſtenſis* autoris noſtri teſtimonio firmatur. Ita enim non procul ab initio operis (p. 24.) de *Ecelino* avo agens: *Hujus* (inquit) *tanta fuit diſcretio & ſcientia, quòd, quamvis graviſſimè Lombardi Imperatoriam Majeſtatem læſiſſent, & non modicè contra illos fuiſſet Dominus Imperator indignatione commotus: tamen ſic humiliter verbis & factis ſupplicavit eidem, quod tam ſibi quàm dictis Lombardis* & Obitioni Marchioni Eſtenſi *ſuam indignationem dimiſit* &c. Itaque ſi *ſcriptor Romanus* non minùs *Mauriſium* quàm Monachum Paduanum & *Rolandinum* con-

conſuluiſſet, nunquam (credo) in animum induxiſſet ſuum, ut Marchionatus dignitatem, Principibus ſolis eo tempore convenientem, in Eſtenſibus, à Pontifice *Innocentio III.* repetendam judicaret; quam penes ipſos fuiſſe vetuſtiſſimam, & jam decimo ſeculo vigentem, aliunde certiſſimis documentis conſtat. Sed ut ad Marchionem Eſtenſem, jam & Anconitanum factum, redeamus; ille deinde, cum fortuna ſe circumagens, ab Imperatore ad Papam tranſiit, & *Fridericum II.* contra *Ottonem IV.* ſecutus eſt, ac tandem deceſſit, relictis duobus filiis, *Aldobrandino* & *Azone*, dicto novello. Tum verò Patavini, ſpreta *Aldobrandini* Marchionis adoleſcentia, Eſtenſe caſtrum cum burgo, tanquam in ſuo diſtrictu ſitum, juris ſui eſſe contendentes, auxiliante *Ecelino*, obſident, & ut noſter ait: (p. 11.) *venit tunc Marchio, tanquam devictus, ad voluntatem Communis Paduæ.* Monachus Paduanus rem ita narrat: *cùm nobilis Marchio Aldrovandinus nollet Communitati Paduæ ſubjacere, Paduani arcem Eſtenſem cum machinis obſederunt. Videns autem Marchio, ſe non poſſe amicos ſuos, qui obſidebantur, commodè adjuvare; pariterque ſciens, quod durum eſt contra ſtimulum calcitrare, coactus juravit, ſicut civis, Communis Paduæ in omnibus obedire.* Hoc ſcriptor Romanus arripiens, inde inferre non dubitavit, Eſtenſes, antequàm Marchiones Anconitani à Pontifice fierent, nonniſi privatos fuiſſe cives, nobiles Paduanos; parum attendens ad illorum, de quibus loquitur, temporum faciem. Sanè animadvertere poterat, *Aldobrandinum* jam tum Marchionem fuiſſe Anconitanum. Nam volebat Pontifex, ut patri ſuccederet, de Eccleſia Romana benemerito. Itaque civis Patavini appellatio non ideo privatum reddebat; idemque locum habebat, etiam antequàm Marchiones Eſtenſes Anconam fuiſſent nacti, cùm dudum ex primariis Italiæ Principibus haberentur. Nempe diſtinguendus erat Marchionatus, feudum Regale, ab allodiali olim terra, qualis erat Eſtenſis; in quam ob viciniam Patavini jus quoddam ſibi vindicabant. Sciendum eſt enim, cum illis temporibus primariæ Italiæ urbes, inter quas *Patavium* erat, ſpeciem quandam Reipublicæ ſibi quæque affectarent, vicina oppida Dynaſtaſque proximi tractus, in eaſdem leges adigere tentâſſe. Pulchrè rem explicat *Guntherus* in Ligurino diverſis locis. Ita enim libro 2. canit de Italica gente:

Conſulibus rerum committere ſummam
Gaudet, & hos, triplici ſumtos ex ordine, (faſtum
Ne pariat diuturnus honor) mutare quotannis.
Vivere quemque ſuæ ſubjectum legibus Urbis
Cogit, & externos ſub eodem jure potentes
Alligat, ut terra vix inveniatur in illa
Aut Comes, aut alius, civili jure ſolutus.

Et idem mox libro tertio introducit *Terdonenſes Legatos*, urbem Papiam vel Ticinum accuſantes, quod vicinum Comitem, Regni Palatinum, in caſtro *Lunelli* reſidentem, ſub ſua jura coegiſſent;

Nam præter reliquas, quas aut ſervire coactas
Subdidit, aut captas evertit funditus urbes,
Aſpice, quam turpi Lunelli *nobile caſtrum,*
Atque Palatini ſedem *fixoſque penates,*
Verterit illa dolo. Comitem civeſque vocabat
Perfida, colloquio pacis de rebus habendo;
Incautoſque viros, & nil hoſtile timentes,
Fraude mala captos in vincula dura coegit.
Ipſaque non armis, nec belli jure, ſed aſtu
Vel potius ſubverſa dolo caſtella reliquit.
Et nunc ille Comes, conſors & regius aulæ,
Ille potens Princeps, *ſub quo Romana ſecuris*
Italiæ punire reos de more vetuſto
Debuit, injuſte victrici cogitur urbi
Ut modicus ſervire cliens; nulloque relicto
Jure ſibi, Dominæ metuit mandata ſuperbæ.

Itaque non mirum, ſi juvenis Marchio *Aldebrandinus* aliquando ſimilia paſſus eſt, vi nihil derogante juri & dignitati. Cæterum ab aliis narratur, quomodo expeditionem Anconitanam ſuſceperit, & brevi extinctus, fratri *Azoni* adoleſcenti dignitatem familiæ tuendam, & propagandam reliquerit. Atque is eſt, qui poſtea (circa A. D. 1242.) *Ferrariam* ſtabili ditione, volentibus civibus, obtinuit.

SENTENTIA ARBITRALIS JOHANNIS REGIS FRANCIÆ,

ſuper controverſia honoris & appellatione ad duellum, inter OTTONEM Ducem in Brunſwich & HENRICUM Ducem Lancaſtriæ IX. Decembr. MCCCLII. (*Num.* 7. *Tom. II.*)

Hoc monumentum Brunſvicenſis Hiſtoriæ ex quodam Bibliothecæ celeberrimæ Cottonianæ (nuper publico aſſertæ) Codice accepi. Miſit V. Cl. *Thomas Smithus*, Anglicanæ Eccleſiæ Theologus, qui ſcriptis non tantùm Orientalem Eccleſiam illuſtravit, ſed & virorum Angliæ præclarorum memoriam & labores conſervavit; & Bibliothecam Cottonianam egregio indice exornavit. Apud nos nulla rei geſtæ memoria aut mentio extabat. Et deliberandum fuit, quis eſſet ille *Otto* Dux Brunſvicenſis, cui cum Duce Lancaſtriæ lis fuit. Sed omnibus expenſis non alium eſſe arbitror, quàm, qui ex linea *Grubenhagia* ortus, vulgo *Tarentinus*

Digitized by Google

ventinus dictus vel *Neapolitanus*, poſtea bellis Italicis inclaruit, & Reginam Neapolitanam *Johannam I.* duxit. Nam tempora conveniunt, nec in alium *Ottonem* narratio quadrat. Laudum enim (quo nomine arbitralem ſententiam vulgo appellant) pronuntiatum eſt A. D. 1352, quo tempore *Otto* floruit, qui & A. D. 1354. Romæ coronationi *Caroli IV.* Auguſti interfuit, quod ex Tabulis, ab *Abaſvero Friſchio* Cancellario Schwarzburgico in additionibus ad *Limnæi* Lib. 7. cap. 35. editis, *Henricus Meibomius* junior V. Cl. avi notis in *Bullam Andronici* aſcripſit. Ætate jam vergente, *Johannam* duxiſſe conſtat circa annum 1376, cùm multis rebus præclarè geſtis inclaruiſſet, & Regina defenſore opus haberet. Et ad *Ottonem* Luneburgicum (*Ottonis Strenui* filium, *Johannis* nepotem) A. D. 1354 extinctum, qui domi maritus ditionem rexit, nec patria exceſſiſſe cuiquam memoratur; non eſt, cur iſta cum Anglo controverſia referatur. *Henricum* Ducem Lancaſtriæ, Regis Angliæ *Eduardi II.* conſobrinum fuiſſe, comperi. Eum *Ottoni* Duci, tunc inimico, cognatum fuiſſe, ſententia arbitralis obſervat. Hoc verò ita habet. *Mechtildis* uxor *Henrici Leonis* Ducis Bavariæ & Saxoniæ, fuit ſoror *Johannis* Regis Angliæ, patris *Henrici III*; & peperit marito cùm alios filios, tum *Wilhelmum*, patrem *Ottonis*, qui primus Ducis Brunſvicenſis titulum accepit, patris *Alberti*, patris *Henrici Mirabilis*, patris *Henrici* in Græciam profecti, qui fuit pater *Ottonis* Ducis, de quo agitur. *Henricus III* Rex Angliæ, duos habuit filios; *Eduardum I.* (hujus generis) Angliæ Regem, patrem *Eduardi II.* avum *Eduardi III*; & *Edmundum*, cujus duo filii: prior *Thomas*, & hoc, juſſu *Eduardi II.* decollato, *Henricus*, alter poſt alterum, *Comites Lancaſtriæ* dicti ſunt. *Henricus* Comes, cognomine dictus eſt *Torticollus*; & demum ab *Eduardo III.* conſobrino, cui paulo ante coronationem militiæ cingulum pro temporis illius more circumdederat, Lancaſtriæ Dux eſt appellatus; & inter primos Equites periſcelidis poſt Regem ejuſque filium, tertius nominatur. Atque hic tantus vir is eſt, qui Pariſiis cum *Ottone* noſtro ſolenni duello confligere debuit. Res ſcriptoribus Gallis non fuit ignota penitus, etſi non cognita ſatis. Nam *Andreas Quercetanus* Hiſtoricus Regius *in hiſtoria rerum Anglicarum Gallicè edita* memorat ad A. D. 1352. Ducem Lancaſtriæ 4. Septembris (ſubſtituendum Decembris) cum neſcio quo Duce aut Principe Bohemiæ, in campo Martio clauſo, monomachia certare debuiſſe, impetrato à Gallis, licet hoſtibus, ſalvo conductu; ſed Regem ipſum, cùm in eo jam eſſent, ut congrederentur, pacis conciliatorem fuiſſe. Credo Ducem de B. inventum in libris veteribus ut ſæpe fit; & notiorem Bohemum pro Brunſvicenſi ſubſtitutum fuiſſe. Verba *Quercetani* hæc ſunt Tom. I. Hiſt. d'Angleterre pag. 672. 673. *Le quatrieme jour de Septembre enſuivant le Duc de Lancaſtre devoit publiquement combattre à Paris contre un Duc ou Prince de Boheme,*

que

que les Hiſtoires ne nomment point, en champ clos, de ſeul à ſeul. Et pour cet effet, bien qu'ennemi du Roy de France, il avoit obtenu ſaufconduit de Sa Majeſté. Mais comme ils furent deſcendus en la lize armés & qu'ils eurent fait les ſermens, le Roy Jean ſe rendit lui-même l'inſtrument de leur reconciliation, & les mit d'accord. Sed Tabulam Genealogicam ad intelligentiam cognationis inter utrumque pugilem ſubjicere placet.

Henricus II. Rex Angliæ.

Ubi mirum videbitur, componi inter ſe ad certamen duos Principes, quorum alter, ſi Genealogiæ lineam ſpectes, alterius pro avo par eſt gradu. Sed ſciendum eſt, *Albertum* proavum *Ottonis* Ducis Brunſvicenſis, egiſſe apud *Henricum* Regem, avum Ducis Lancaſtriæ, etſi *Alberti* avus *Wilhelmus*, Henrico Regi contemporaneus ex Genealogicis gradibus videri deberet. Sed *Mechtildis* uxor *Henrici Leonis*, primogenita natarum *Henrici II.* fuit: at *Johannes* Rex quartus filiorum ejuſdem, & ipſe ſero *Henricum III.* genuit: qui, cùm decederet pater, novennis fuit. Cauſa qua commiſerit duos Duces, non ſatis explicatur: *Henricus* Dux Lancaſtriæ, *Coloniæ Agrippinæ* agens (credo, ut nomine *Eduardi III.* cum Principibus Germaniæ negotia tractaret; nam à *Ludovico Bavaro* vicarium imperii in partibus illis *Eduardum* nominatum conſtat) neſcio quid in *Ottonem* Ducem Brunſvicenſem jecerat. Quo comperto, *Otto* ad *Henricum* litteras provocatorias miſit. Sed poſtea *Henricus* apud Regem Galliæ rem ita expoſuit, ut appareret, rem malè ad *Ottonem* relatam fuiſſe: eo facilior conciliatio viſa eſt. Cæterùm digna ipſa ſententia

tentia eſt, quæ legatur, non ab Hiſtoriæ tantùm & Juriſprudentiæ cultoribus, ſed etiam ab iis, qui literas armis conjungunt. Inde enim diſci poteſt non tantùm, quàm ſtudioſi fuerint antiqui tuendæ dignitatis, ſed etiam, quàm fuerint in cauſa honoris tractanda circumſpecti. Laudari etiam Regis *Johannis* generoſus animus debet, qui primarium Regis, hoſtis ſui, virum ipſumque hoſtem non ſpernendum conſervavit, quem alterius nihil ad ſe pertinentis periculo confici impunè pati poterat. Et ſanè *fatendum eſt, illis ſeculis, quæ nunc prope barbara cenſentur, multa fuiſſe edita exempla juſtitiæ & generoſitatis, à noſtris moribus non æquè exſpectanda.*

EXCERPTA DE GESTIS OTTONIS TARENTINI, Ducis Brunſvicenſis, ex *Theoderico de Niem* & *Gobelino Perſona.*

(*Num.* 8. *Tom. II.*)

QUoniam de *Ottone*, vulgo *Neapolitano*, ex Ducibus Brunſvicenſibus Principe Tarentino dicere cœpimus, excerpta duorum autorum contemporaneorum de rebus ab eo geſtis adjicere placuit. Hi ſunt *Theodericus de Niem*, ex antiqua apud Weſtphalos familia ortus, aliquot Paparum ſcriba vel ſecretarius, ad Epiſcopatum primò Verdenſem, mox Cameracenſem à Papa deſtinatus vel promotus; & *Gobelinus Perſona* Decanus Bilefeldenſis in diœceſi Paderbornenſi, de quibus autoribus alii ſatis dixere. Neque magnoperè, quod addam, habeo, niſi quod in manus meas pervenit *Continuatio Martini Poloni inedita*, *Theoderico de Niem attributa.* Hunc ad Epiſcopatum Verdenſem, & poſt ad Cameracenſem à Papa *Bonifacio IX.* in ſua obedientia dicto, fuiſſe nominatum; habetur & in Chronico Verdenſi, quod hic edimus, in Ep. 43. pag. 221. De *Ottone* dicere præſtat, explicareque, quæ illi occaſio peregrinationum longinquarum fuiſſe videatur. Natus fuit ex patre peregrinatore: amitam habuit Imperatricem Conſtantinopolitanam, aviam ex Marchionum Montisferrati ſtirpe. Nimirum *Albertus* Dux, *Ottonis* primi Ducis Brunſvicenſis & Luneburgenſis filius, *Wilhelmi* nepos, *Mechildis* Angliæ Principis, *Henrico Leoni* nuptæ, pronepos, ex aula *Henrici III.* Angliæ Regis (*Mechildis* fratre nati) duxit uxorem *Adelheidem* Montisferratenſem, quæ apud cognatam Reginam *Eleonoram*, Comitis Provinciæ *Raimundi* filiam, fuit educata. Inde filius primogenitus *Henricus*, vulgo *Mirabilis*, exteris cognatione innexus, filiam *Adelheidem*, (ſed Græcis nomina noſtra mutantibus dictam *Irenen*) *Andronico juniori* Imperatori Conſtantinopolitano deſponderat, filio *Michaelis* maturè defuncti, nati ex *Andronico ſeniore* & *Maria*, vel, ut alii volunt, *Anna* Hungarica; qua defuncta, cùm idem *Andronicus*

ſenior Yolandem de Monteferrato duxiſſet, eo minùs mirum eſt, quòd nepoti, cognatam conjugi ſuæ poſteriori, uxorem dedit. Porrò *Henricus Henrici Mirabilis* filius, in Græciam ad Auguſtum, ſororis maritum, profectus eſt A. D. 1329; atque inde porrò in Palæſtinam & Arabiam, ad montem uſque Sinai perrexit. In itinere, &, ut quidam volunt, Conſtantinopoli, *Mariam*, filiam Regis Cypri duxiſſe ſcribitur; viduus (ſi Chronicon Brunſvicenſe picturatum audimus) amiſſa *Helena* (aliis *Hedwige* vel *Catharina*) *Waldemari* Brandeburgici filia, ex qua *Ottonem Neapolitanum* ejus primogenitum, natum credendum eſt: cujus tamen nativitatem ad annum uſque 1307. cum *Meibomio* (in notis ad Bullam *Andronici*) non retraxerim; ita enim ſeptuagenarius anno 1376. *Johannam* duxiſſet, cujus etiam caſui ſupervixit adhuc diu, & militiæ labores toleravit: Et credibile eſt, patrem ejus *Henricum*, qui viginti & amplius poſt annis in longinqua peregrinatione fuit, anno 1307. nec dum conjugatum fuiſſe. Cæterum hunc *Henricum*, vulgo *de Græcia* cognominatum, rectiùs *Duderſtadenſem* appelles, & fratrem *Erneſtum*, Eimbeccenſem; has enim portiones paternæ ditionis accepere. Filius illius primogenitus *Otto Neapolitanus* cum fratribus (de quibus dicere hoc loco ſuperſedeo,) plerumque extra patriam egit, & rebus præclarè geſtis, gloriam ſibi, decus familiæ peperit. Qua de cauſa cum Lancaſtriæ Duce, Regis Angliæ conſobrino, colliſus fuerit, non conſtat, ut jam dixi. Credibile eſt, agendi rationem, Principe & generoſo viro dignam, qua vindicavit dignitatem ſuam, & in magno orbis theatro, coram Franciæ Rege, ad duellum ſolenne comparuit; non parum ad famam ejus contuliſſe. Decennio poſt (quantum judicare potui) Marchioni Montisferrati, bellum cum vicinis gerenti, auxilio fuiſſe, ex commentariis quibuſdam Italicis comperi, & *caſtrum Caluſenum* expugnatum ſervandum accepiſſe. Porrò & cum *Bernabone* & *Galeatio* Mediolani Dominatoribus conflixit, & Eccleſiæ Romanæ copiis in Italia præfuit. Rem bene geſſiſſe ſcribitur, & omnino quadraginta præliis ſive conflictibus victorem exiiſſe. Poſtremo *Johanna*, Regina Neapolitana, viro nupſit, & Principatum ei *Tarentinum* dedit. Cumque paulo poſt *Gregorius XI.* Pontifex obiiſſet, & Romani tumultuantes cœtui Cardinalium nominationem Pontificis Itali expreſſiſſent, electus eſt *Bartholomæus*, Bari Archiepiſcopus, qui *Urbani VI.* nomen ſumſit. Sed Cardinales Galli cum tribus Italis, violentam Electionem nullius momenti eſſe dicentes, poſtea apud Fundos alium elegerunt, qui *Clemens VII.* in ſua (ut vocabant) obedientia appellatus eſt. Porrò *Johannæ* grata fuit *Urbani* electio, ſumti ex ſuo regno; à quo obtinere ſperabat, ut maritus Rex coronaretur. Sed *Urbanus* ſe difficilem præbuit, & in multis rebus Reginæ iniquum oſtendit. Itaque illa *Clementi* ſe applicuit,

Digitized by Google

cuit, & *Ludovicum Andegavenſem* adoptavit, ſed magno ſuo malo. Nam cum *Urbanus* adverſarium ejus *Carolum* Dyrrhachienſem foviſſet, hic per proditionem Neapoli receptus eſt. *Otto* primùm excluſus, dein captus; Regina ad deditionem adacta, poſtea non amplius viſa eſt. Juſſu *Caroli* occiſam non dubitatur. *Otto* poſt triennii captivitatem à Ducis Andegavenſis (*Carolo* æmuli) milite interceptus liberatuſque hujus partes fovit, tandemque Neapolin & Tarentum recuperavit, & poſtremò, (ſi *Gobelino* credimus) A. D. 1387. cum *Margareta*, *Caroli* vidua, Tarento contentus, pacem fecit. Octuagenarium obiiſſe ſcribit *Niemius*, & Foggiæ ſepultum; ſed annum mortis non indicat. Itaque erroneum puto, quod vel hoc vel ſequente anno ea vulnere extinctum quidam volunt. Virum pro merito *Niemius* celebravit. *Johannam I.* vulgo ut impudicam & crudelem deſcribunt, quæ maritum *Andream Ungarum* ſtrangulari curarit. Sed *Meibomius*, *Summontius* & alii viri docti, apologiam Reginæ ſcripſere, quæ ob formam, & ingenium, & mores, ad elegantiam atque humanitatem factos, celebratur. *Niemius*, certè contemporaneus & liberrimus cenſor, ſcelera ejus non erat diſſimulaturus, ſi credidiſſet. Et credibile eſt, *Johannæ II.* vitia, errore hominum ob commune nomen famæ prioris nocuiſſe.

EXCERPTA EX MONASTERII S. MICHAELIS Hildenſemenſis Necrologio. (*Num.* 14. *Tom. II.*)

SOlent celebriores Eccleſiæ Faſtis inſcribere ſuis nomina benefactorum vel amicorum, quorum commemorationem ſtatis anni diebus faciebant, preces ad Deum fundentes. Dies autem obituarios obſervare ſolebant, quanquam interdum non niſi depoſitionis ſeu tumulationis dies notatos conſtet. Itaque *Necrologia* paſſim vocant, quæ veteres *diptycha mortuorum*, de quibus *Du Cangius*. Libri etiam rationum vel alii catalogi, polyptica aut poliptica interdum appellantur. Et a Diptychis hujuſmodi, vel (ut aliquando ſcribunt) dipticis, faſtorum ſeu Calendarii genere, Galli ſuum *étiquette*, ni fallor, formavere, id eſt, indiculum, agenda ſtatis temporibus præſcribentem; unde *Etiquette de la Cour*, *Etiquette du Palais*. Quam originationem malim, quàm, quæ viris doctis apud *Menagium* placuit a Græco σίτος. Cæterum majorum Eccleſiarum Necrologia ad Hiſtoriam proſunt; nam indicant multorum Principum aliorumque inſignium virorum dies obituarios, ſeu, ut vulgo vocant, *emortuales*.

CHRONICON CÆNOBII S. MICHAELIS in Hildesheim Ordinis S. Benedicti, ex Manuscripto. (*Num. 32. Tom. II.*)

.....HAc occasione memorare operæ pretium videtur, *S. Bennonis libellum Expositiones brevis super Evangelia Dominicalia*, extare in codice membranaceo Augustæ Bibliothecæ Guelferbytanæ Sereniſſimi Ducis Brunſvicenſis, Mſſ. Et ſpeciminis causâ exhibebimus primam ex brevibus Evangeliorum Dominicalium *expoſitionibus*, quæ eſt *Evangelii primæ dominicæ Adventus*. Ea autem ita habet: *Appropinquans Jeſus Hieroſolymis*, id eſt ad viſionem ſupernæ pacis, id eſt, ad paſſionem & reſurrectionem & aſcenſionem, *cùm veniſſet Bethphage*, id eſt ad domum buccæ, id eſt, comeſtionis. In Bethphage enim Presbyteri ſolebant exercere comeſſationem. Id eſt, cùm veniſſet ad Eccleſiam, in qua micas de menſa cadentes comedimus, id eſt, adventum bonorum; qui eſt *juxta montem Oliveti*, id eſt, qui perſeverantes in bono opere, parati ſunt tranſcendere montem olivarum, id eſt, cum maximo labore aſcendere ad alta olivarum, ſive ad ſublimitatem æternæ beatitudinis. *Miſit duos diſcipulos*, id eſt, *Petrum* & *Paulum*, quorum *Petrus* fuit primus Apoſtolorum, *Paulus* autem noviſſimus. *In caſtellum, quod erat contra eos*: in Judæam, quæ prædicationi illorum rebellabat; *ut aſinam*, id eſt, Judæam, ſub jugo legis alligatam, & *pullum*, id eſt, gentilem populum, ullius habenæ retinacula neſcientem, id eſt, ſub ipſa lege non permanentem, prædicatione ſua a laqueo diſſolventes infidelitatis, ad fidem adducerent. *Quod ſi eis aliquis*, id eſt, inimicus, habens poteſtatem, *aliquid diceret: dicerent, quia Dominus his opus habet*, id eſt, habet manifeſtare miracula ſua in eis: ſequitur: *Dicite filiæ Sion*, id eſt filiæ ſpeculationis, id eſt, novæ legis, quæ a ſpeculatoribus, id eſt, à Prophetis prædicata. Generatim dicti filius quaſi filia. *Rex tuus*, id eſt, Chriſtus tuus, id eſt, ſub lege *venit*, id eſt, deſcendit in terram ad opus tuum, ut impleantur ea, quæ dicta ſunt de te; non ſuperbè cum equis & curribus, ſed humiliter, ſuper aſinam, *ſedens. Illi autem euntes*, tam Gentiles quàm Judæos ad fidem adduxerunt, *& veſtimenta ſua*, id eſt, ſuam doctrinam *imponentes*, *fecerunt eum ſedere*, id eſt, purificatum Templum Domino. *Alii ſtraverunt veſtimenta ſua in via*, id eſt, ſancti Martyres, in via exiſtentes, id eſt, peregrinatione ſeculi, tradiderunt proculcationi corpora ſua, quæ ſunt veſtimenta animæ. Alii *cædentes ramos de arboribus* confeſſores intelliguntur, qui ad demonſtrandam viam, floribus ramos, id eſt, exempla ſua florentis vitæ nobis deſecuerunt. *Præcedentes turbæ & ſequentes*, ſunt Patres tam veteris Teſtamenti quàm novi, qui incarnationem Chriſti venturam prædixerunt.

Ex

Ex hoc ſpecimine intelligi poteſt, allegoricum interpretandi genus autori placuiſſe, nec ingenium abfuiſſe. Sed quædam corrupta vitio librarii, bene intelligi non potuere.

EXCERPTA EX ORDINARIO ECCLESIÆ S. MATTHÆI in Brunſwic, a Templariis per Johannitas ad fratres Calendarum ſeu Sancti Spiritus translata ex MSto. (*Num.* 38. *Tom. II.*)

NOta eſt celeberrimi *Templariorum* Ordinis everſio, per conſpirationem *Clementis V.* Papæ & *Philippi Pulchri* Regis Galliæ, qui bonis eorum inhiabat. Acta, quæ ex ſcriniis *Puteanorum* fratrum prodiere, ſatis oſtendunt, quàm violenter & præter juris ordinem cum iis actum ſit; qua de re nuper V. Cl. *Nicolaus Gurtlerus* fuſiùs egit. In Germania bonis quidem cecidere per Pontificiam autoritatem; ſed criminales in eos proceſſus minus uſurpati videntur. Sanè erat tunc inter Templarios Commendatores *Otto* ex Ducibus Brunſvicenſibus, filius *Alberti I.* Ducis, frater *Alberti II.* patruus *Magni I*, etſi in his excerptis frater hujus per errorem appelletur. Fuit filius *Alberti* ſenioris quarto-genitus, &, uti ex diplomatibus compertum habemus, de ſe ita ſcripſit: *Otto* Dei gratia, Frater domus militiæ Templi Hieroſolymitani & Commendator in Supplingburg. Huic nemo per ſomnium imputavit nefarias illas ineptias, quæ Templariis omnibus in Gallia & alibi improperabantur. &c. &c.

JOHANNIS BUSCH, ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI, Præpoſiti in Sulta prope Hildesheim, & in novo opere prope Hallam Saxonum, de Reformatione Monaſteriorum quorundam Saxoniæ, Libri Quatuor ex Mſſ. (*Num.* 39. *Tom. II.*)

.....OCcaſio, cur *Roſweidus Buſchii* Opus de Viris Illuſtribus Congregationis Windeſemenſis quæreret ederetque, nata eſt ex *controverſia Kempenſi*, de vero autore operis celebratiſſimi, quod ſub inſcriptione *Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti* circumfertur. Nam *Thomam de Kempis* ex Canonicis Regularibus S. Auguſtini congregationis Windeſemenſis fuiſſe, & in Monaſterio *Montis S. Agneti* prope *Zwollam* urbem, vix milliari Germanico a Windeſemio diſtante obiiſſe, conſtat. Is præter alia opuſcula ſpiritualia libros quatuor piæ contemplationis conſcripſerat, qui deinde junctim editi, ſub titulo librorum *de Imitatione Chriſti* prodiere: etſi autoris conſilium hoc fuiſſe, aut certa eos methodo cohærere non appareat. Itaque ab ipſomet, & a *Buſchio* (contemporaneo) per initia citantur indicanturque. Extant in *Belgio*

aliquot exempla, ipſius autoris *Thomæ* manuſcripta, quæ amiſſis donaſſe videtur, aliis ejus opuſculis interſerta. Talis eſt Codex Lovanienſis S. Martini, cui miniatis literis ſubſcriptum ab autore: *Finitus & completus Anno Domini 1441. per manus fratris Thomæ Kempis in Monte S. Agnetis prope Zwolis.* Nam autor ex humilitate nunquam cuiquam opuſculo ſuo autorem ſeſe inſcripſit. Compoſuerat opus jam anno Domini 1427; ſed diu poſtea ſupervixit, & cum ordinem ingreſſus eſſet anno Domini 1400, anno demum 1471, major nonagenario, deceſſit. Typographia increbreſcente, mox edi cœpit hoc opus; ſed Typographi quidam lucri cauſa *D. Bernardo*, nonnulli *Johanni Gerſoni*, viro celebri, aſcripſere. *Bernardus* autor eorum eſſe non poteſt, cum *Franciſci de Aſſiſio* mentionem faciant, qui Ordinem Minorum fundavit. Et *Frater Gerſonis*, *Prior Cæleſtinorum apud Lugdunenſes* in Epiſtola ad *Anſelmum Monachum*, fraternos labores enumerans, hujus non meminit. Et qui *Gerſonis* elogium fecit, opuſculis Viri præfixum, diſertè de hac re ita ſcripſit. *Alii autem tractatus ſibi* (ipſi Gerſoni) *nonnunquam tribuuntur, ut eſt libellus de Contemtu mundi, quem conſtat a quodam Thoma Canonico regulari editum.* Itaque qui *Gerſonis* opera edidere, hos libros excluſere. Titulus operis tam de *Imitatione Chriſti*, quàm ut a nonnullis citatur, de Contemtu mundi, non videtur fuiſſe ab autore præſcriptus, ſed ſumtus ex titulo capitis I. libri I. qui eſt de *Imitatione Chriſti* & contemtu omnium vanitatum mundi. Ipſe autor hos libros deſignare ſolebat verbis initialibus primorum capitum: librum I. *Qui ſequitur me* lib. 2. *rerum Dei.* lib. 3. *Audiam, quid loquatur.* lib. 4. *venite ad me.* Nec omnes libri quatuor ſemper ſunt conjuncti, aut eundem in ipſis autoris codicibus ordinem ſervant: ut appareat, non cohæſiſſe, ſed diverſa, etſi cognata hæc opuſcula habita ipſi fuiſſe. *Achilles Statius* in editione eorum *Pariſina* anni 1541 refert, veterem *Editionem Brixmam* eoſdem libros *Thomæ a Kempis* tribuere; & editio *Noribergenſis* Anno Domini 1494. cæteris *Thomæ* opuſculis eos præfixit, quam ſecutus eſt *Jodocus Badius Aſcenſius* Pariſiis 1524. & poſtea alii paſſim.

Primus ſe objecit *Bernardinus Roſſignolius* Jeſuita, (apud *Poſſevinum* in apparatu ſacro, ubi de *Thoma a Kempis* agit,) qui codicem invenit Monaſterii *Aronæ ad Verbanum* lacum, in quo *Johannes Geſſen* autor aſcribebatur. Eaque res etiam *Bellarminum* in ſcriptoribus Eccleſiaſticis, de *Gerſone* loquentem, commovit, ut *Thomam* noſtrum deſerere videretur. Sed cùm *Johannem Gerſonem*, Cancellarium Univerſitatis Pariſinæ, autorem non eſſe conſtaret; *Conſtantinus Cajetanus* ex ordine S. Benedicti, Abbas *S. Baronti*, Vir doctrinæ non vulgaris, contendit, fuiſſe neſcio quem *Johannem Geſſem* vel *Geſſen*, Abbatem Benedictinum, operis autorem. Et multos de *Thoma a Kempis* dubitare fecit productus locus *ex opuſculis Bonaventuræ Tom. VII. Operum* parte 4. opuſculorum, collatione

ſeptima inter octo Toloſæ habitas; ubi ad verbum habetur bona pars capitis ultimi lib. 1. de imit. Chriſti, cum his verbis in fine collationis: *& cætera, ut patet in devoto libello de imitatione Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Sed *Heribertus Roſweidus*, & ipſe ex inferiori Germania oriundus, tantum decus nationi ſuæ injuria eripi non tulit, & *Vindicias Kempenſes Cajetano* oppoſuit Antverpiæ 1621. 8°, eaſque *Paulo Schoof*, Capituli Windeshemenſis per utramque Germaniam Generali, nec non Monaſterii *Rubeæ Vallis* Priori inſcripſit. Crediderat *Cajetanus*, codicem Aronenſem ab antiquo tempore in Monaſterio Aronenſi, olim Benedictino, poſtea Jeſuitis attributo, fuiſſe. Sed oſtendit *Roſweidus*, *P. Andream Muſolium*, cùm anno Domini 1579. Genua proficiſceretur Aronam, ad domum probationis Societatis Jeſu, quam ingreſſus erat, hunc librum ex domo paterna ſecum eo attuliſſe; eundemque eſſe mendosè ſcriptum, & nunc *Geſſen*, nunc *Gerſen* habere, idque haud dubiè profectum ex opinione quorundam, qui notiſſimum *Gerſonem* pro autore libri habebant; & ignorantia ſcribentis, qui eundem Abbatem fuiſſe credidit. Sed etiam ad *Bonaventuræ* locum egregiè reſpondet, oſtendens, hos libros citare *Ubertinum Bonaventura* poſteriorem; & cum multis aliis, à viris piis & doctis Ordinis Minorum ſcriptis, Bonaventuræ tanquam celebriori ſuppoſitos fuiſſe. *Cajetanus* etiam Italiciſmos quoſdam in libris de Imitatione Chriſti deprehendere ſibi viſus erat. Sed eos omnes loquendi modos *Roſweidus* etiam in Germanorum ſcriptis frequentari oſtendit; & contra, complures profert indubitatos Germaniſmos, a *Thoma* noſtro & in controverſo opere, & in aliis, uſitatos; ex quibus ille inprimis inſignis eſt, *ſcire aliquid exterius*; *ſi ſcires totam Bibliam exterius* lib. 1. §. 3. id eſt, ſi ſcires memoriter, Germanis ſuperioribus *auſwendig*, inferioribus *van buyten*; id eſt, clauſo libro, nec niſi exterius aſpecto ita ſcire, quæ continet, ac ſi introſpiceres. Ita *Thomas de Kempis* & in aliis opuſculis; ita & *Buſchius* noſter, conterraneus ipſi & contemporaneus, aliquoties loquitur. Hinc & Codicis Aronenſis ſcriptor Italus, iſtud exterius, quod non intelligebat, omiſit, etſi habeant omnes codices & omnes editiones; excepta una *Antwerpienſi* 1575, quæ pro exterius poſuit memoriter. Sic *leviter* indignari, id eſt facile; *cadere ſuper conſolationes*, id eſt in eas incidere; *bene ſtare cum aliquo*, id eſt, aliquo amico uti; *quare tam parva tibi ad cor tranſeunt?* (*zu herzen gehen*) id eſt, animum penetrant, *gravitas* pro difficultate, Germanis *Schwürigkeit* aliaque id genus multa. His argumentis pro autore librorum *Thomas de Kempis*, egregia *teſtimonia* accedunt. &c. &c.

DISPU-

DISPUTATIO, CARMINE CONSCRIPTA, INTER ROMAM ET PAPAM, de *Ottonis IV.* deſtitutione, ex MSto.

(*Num.* 43. *Tom. II.*)

CUm *Innocentius III.* Pontifex Romanus *Mathildis*, potentiſſimæ olim in Italia Principis, patrimonium ab *Ottone IV.* extorquere non potuiſſet; quemadmodum nec prædeceſſores ejus à *Lothario* Saxone & *Friderico I.* extorquere potuerant: Anathemate eum percuſſit, ſubditos a juramento abſolvit, *Fridericum*que Regem Siciliæ, *Henrici VI.* Imperatoris filium, ei ſubſtituendum curavit. Quæ res plerisque, etiam Pontificiæ partis, valde diſplicuit; quod viderent, Papam, præſentia magis quàm futura curantem, & iræ in *Ottonem* indulgentem, (a quo ſibi promtum in omnibus obſequium pollicitus fuerat) multo graviorem & periculoſiorem accerſere hoſtem, *Gibellinum* Principem, qui de propinquo immineret, & hæreditario in Papas odio flagraret; cùm *Otto* ex *Guelfis* eſſet, qui pro Roma contra *Gibellinos* ſtare ſolebant. Plerique etiam pertæſi longæ inter *Philippum Ottonem*que contentionis, nova bella horrebant. Inde ab homine Romano, vel certè Italo, profectò hoc carmen, facilè crediderim. Sanè *Cæſarius Heiſterbacenſis* contemporaneus lib. 2. c. 31. *Hiſtoriarum memorabilium* (loco, quem inter excerpta retulimus,) Papæ actus multis in ipſa Roma improbatos, indicat his verbis: *Tempore diviſionis Romani Imperii*, *Dominus* Innocentius *Papa a multis judicabatur*; *ita*, *ut eum dicerent ejuſdem ſchiſmatis autorem*, *primò partem* Ottonis *nimis fovendo*, *poſtea eum perſequendo. Propter hoc*, *cùm idem B. memoriæ* Innocentius *die quadam ſermonem Romæ ædificatorium faceret in populo*, Johannes Capotius *qui* Ottoni *favebat*, *ejus ſermonem interrupit*, *dicens*: *os tuum os Dei eſt*, *ſed opera tua opera Diaboli.* Ferunt etiam (apud autorem compilationis Chronologicæ, a *Piſtorio* editæ, ad annum Domini 1215.) quendam Abbatem Ordinis Ciſtercienſis prope *Peruſium* eo, quo Papa obiit temporis articulo, in ſomnia vidiſſe DEUM in throno, & ad ejus miſericordiam confugientem *Innocentium*, huncque perſequentem draconem, flammas ſpirantem, & juſtitiæ adminiſtrationem à juſto judice poſtulantem. Apparet ex hoc carmine in *Ottone* reprehenſum, quod aliquando *Epiſcopos* quidem *Clericos*, *Abbates* verò appellaſſet Monachos, in quo vera eum dixiſſe, autor noſter reſpondet. Sed hæc in deteriorem partem rapiebantur ab inimicis ut odioſus redderetur: quin perſuadere orbi conabantur, id agere *Ottonem*, ut Clerum in ordinem redigeret, ſuperfluiſque opibus exueret, uti ex *Guilielmi Britonis* carmine patet, quo *Philippi* Regis Galliæ res celebravit. Sed contra virum optimum in Eccleſias, brevi, quo quiete regnavit, tempore,

Digitized by Google

tempore, largum fuiſſe, præcepta ejus, Monaſteriis *Riddagesbuſano*, *Walkenredenſi*, *Marieborneníi*, *Eccleſiæ S. Blaſii* in Brunſvic, aliiſque locis piis conceſſa, oſtendunt. Luxum faſtumque quorundam improbaſſe, quis culpet? Pium & gravitate morum fuiſſe conſpicuum, convenit inter eos, qui virum noverunt; *in timore Domini* à Matre *Mechtilde* educatum cum fratribus, *Arnoldus* ſcribit. *Virum fuiſſe devotum, & qui ſemper Deum præ oculis habuerit*, poſt ejus mortem, cum nullum adulationi pretium, ſcriptum reliquit *Sigefridus* Epiſcopus Hildesheimenſis in literis, quas *Henricus Meibomius* in Apologia egregii Imperatoris doctiſſima produxit; quem non exſcribimus. *Inſigni corporis ſpecie* fuiſſe & *magnæ fortitudinis*, *Arnoldus* amicus & *Urſpergenſis* ac *Brito* adverſarii, agnoſcunt; & has virtutes *Ottonis liberalitatemque* celebrat Poëta noſter:

Sanguine qui Caſtor, Alcides robore, donis
Inſtar Alexandri; minimè conſiderat (ex quo
Eſt aliquid dandum) cui res ſit danda, ſed a quo.

Cùm milites ejus Romæ aliquid, in foro rerum venalium expoſitum, diripuiſſent, decuplum reddidiſſe, idem narrat. *Continentiam* diu celebrarunt Itali, ut patet ex Hiſtoria *apud Commentatorem Dantis* relata de virgine; qua cùm potiri Imperator, patre tantum non offerente, poſſet, laudata puellæ repugnantis pudicitia, clarum ei maritum invenit, addita inſigni dote. *Pium* ejus obitum certatim celebrant ſcriptores illorum temporum, atque etiam, ut erat ſeculi genius, miraculis ornant; contra *Innocentii III.* fama, ut ex ſupra dictis patet.

CHRONICON LUNEBURGICUM, vernaculâ Saxonum inferiorum dialecto, ab initio Ducatus Luneburgici ad Annum Domini 1421. ex MSto. (*Num.* 4. *Tom. III.*)

AUtor hujus operis, (cujus bina exemplaria Doctiſſimi Viri, *Pfeffingerus* & *Butnerus* procurarunt) fuit Anonymus, civis Luneburgicus, qui ſeculo XV. adulto ſcripſit; ſed urbi ſuæ contra Dominos favens, & ſubinde, partim ex antiquitatis anterioris ignoratione, partim ex affectu, lapſus. Nam non multo ante, quàm ſcriberet, urbs à Ducibus ſuis ad Principes alterius familiæ deſciverat, ægreque poſt victoriam, *prope Winſam ad Alleræ ripam* reportatam, ad gratiam eorum imperiumque redierat, & diu ſuperſuêre reliquiæ ſimultatum. Itaque noſter ſibi hoc negotii datum credidit, ut Hiſtoriam rei geſtæ ſcriberet, qua acta civium excuſarentur. Et habuerunt illi faventem ſibi *Carolum IV.* Imperatorem, Ducibus noſtris parum æquum. Sed tandem melior cauſa prævaluit. Primùm in eo errat autor noſter, quòd Brunſvicen-

ſem & Luneburgenſem ditionem negat principatum fuiſſe, antequam à *Friderico II.* Cæſare in Ducatum erigeretur; & antea tantùm partem Ducatus Saxoniæ feciſſe arbitratur, eo deceptus, quòd, qui hanc ditionem tenebat, ſimul Saxoniæ Dux erat. Sciendum eſt autem, Ditionem, quam dixi, non quidem fuiſſe Ducatum, aut Marchiam, aut Comitatum, ſed Principatum Allodialem ſeu proprium, donec *Otto Henrici Leonis* ex filio *Wilhelmo* nepos, reſignata in manus Imperatoris *Friderici II.* proprietate, territorium feudali lege, ſed Ducatus honore ac juribus auctum, recepiſſet. Veterum ſenſu non tantùm Duces, Marchiones, Comites Palatini, ſed etiam potentes Comites, (quales Comites provinciales, & quidam Burgravii,) & Domini etiam Allodiales inſignis territorii, Principum nomine cohoneſtabantur. Et hoc ſenſu etiam *Epiſcopi Germaniæ* computabantur inter Principes, tanquam inſignia territoria, ad Allodii olim modum, tenentes. Etſi enim regalia per inveſtituram (ſeu traditionem repræſentativam) accipiebant ab Imperatoribus, & deberent etiam ſervitia militaria Imperio; non ideo tamen olim vaſalli cenſebantur, ſed *adminiſtratores* bonorum, quorum proprietas ad Eccleſiam ſpectabat, ſub Imperatorum ſuprema poteſtate. Contigerat autem, ut *Henricus Welfus*, & filius ejus *Henricus Leo*, Duces Saxoniæ & Bajoariæ, ex hæreditate majorum, ſuis aut parentum conjugiis, ditiones acquirerent allodiales. Nam Brunſvicum *Ecbertus* Marchio, & filius ejus *Ecbertus Anticæſar*, tenebant allodii jure. Anticæſari ſine liberis extincto, ſucceſſit ſoror *Gertrudis*, nupta *Henrico* Principi, Northeimenſis terræ Domino. Ita ditio, quam nunc *Gottingenſem* vocant, Brunſvicenſi concrevit. Utramque obtinuit *Lotharius* Comes Supplingeburgenſis, poſtea Dux Saxoniæ, & denique Imperator, ducta *Aixa*, *Henrici* & *Gertrudis* filia; quæ ipſi peperit *Gertrudem* conjugem *Henrici Welfi*, matrem *Henrici Leonis*. Ita *Henricus Leo* materno jure ditionis Brunſvicenſis hæreditatem crevit; Ducatus autem Saxoniæ, quem pater ejus *Henricus Welfus* beneficio ſocerì Imperatoris vaſallus tenebat, inſtar aliorum ejus temporis ducatuum erat officium hæreditarium quodammodo, ad ſolos maſculos deſcendens, niſi indigni aut inhabiles eſſent; ejuſque autoritas, ſimul & jus directorii per totius Saxoniæ (ut ſic loquar): circulum in pace, & jus Ducis militaris in bello dabat, ita, ut Dux Saxoniæ eſſet Gubernator natus Saxonum, Imperatoris vice. Tantoque officio annexæ erant inſignes terræ (feudales utique, ut officium ipſum,) eæque pro bona parte inter Rhenum & Virſurgim ſitæ. Item *Henricus Welfus*, Leonis pater, præter dotales Brunſvicenſes terras, habebat maternas Luneburgicas: quia filius erat *Wulfhildis*, *Magno* vel *Magnone*, ultimo Saxonum Billingánæ ſtirpis Duce, natæ. Familia autem Billingana, cùm alias

inſignes

Digitized by Google

inſignes terras, tum maximè Luneburgicam proprio jure poſſidebat. Cùm ergo Imperator *Henricum Leonem* quæſito prætextu feudalibus regionibus exuiſſet, allodiales tamen, quas in Saxonia tenebat, pro bona parte ei reliquit; nominatim *Brunſvicum* & *Luneburgum* civitates, cum regionibus annexis. Defuncto *Henrico Leone* & *Ottone IV.* Imperatore ejus filio, *Henricus* Dux Saxoniæ & Comes Palatinus Rheni, major *Leonis* filius, Brunſvigam tenebat; natu minimus *Wilhelmus*, immaturè defunctus, Luneburgum unico filio *Ottoni*, adhuc puero, reliquerat. Defuncto *Henrico* Duce & Palatino, nullo filio relicto, filiæ, Bavaro & Badenſi nuptæ, *Brunſvicum* jure hæreditario ad ſe pertinere ajebant, & jus ſuum *Friderico II.* Imperatori vendiderant: ſed *Otto* non acquieſcens, favore ſubditorum urbem obtinuit, tandemque cum Imperatore tranſegit, ita, ut ditio utraque (Brunſvicenſis & Luneburgenſis) in poſterum dignitatem Ducatus, ſed cum feudi imperialis onere haberet. Inter *Ottonis* filios peſſimo exemplo diviſa eſt ditio: *Albertus* Brunſvicenſem regionem cum montanis, *Johannes* Luneburgicam tenuit, quæ tunc *Hanoveram* uſque extendebatur. *Johanni* filius *Otto* (vulgò *Strenuus*) & huic filius *Wilhelmus* ſucceſſit, in quo linea *Johannis* maſcula defecit. Sed *Albertus Aſcanii* generis, Saxoniæ Dux, *Wilhelmi* filia *Eliſabetâ* genitus, ſibi ſucceſſionis jus vindicabat. Et ſanè ipſe *Wilhelmus* aliquando huc inclinaverat; & pactum, quo *Alberti* jus aſſerebatur, *Carolus IV.* Imperator confirmaverat, quaſi filiæ propiores excluderent maſculos remotiores; quo jure hodieque Magna Britannia & Hiſpaniæ regna uti cenſentur. Sed in Imperio magis receptum eſt, ut feuda etiam fœminina (qualem Ducatum *Fridericus II.* fecerat,) tum demum ad fœminas irent, cum maſculi omnes defeciſſent. Idque *Wilhelmo* ipſi, rectius edocto, tandem placuit. Itaque conſilio procerum, mutatâ ante obitum ſententiâ, ditiones ſuas familiæ ſervari juſtum piumque putavit; nec tantum filiam alteram *Ludovico*, filio *Magni Senioris*, Brunſvicenſium Ducis, (*Alberto*, *Alberti* ſupradicti filio, nati) nuptum dedit, ſucceſſione promiſſa: ſed &, *Ludovico* defuncto, fratrem ejus *Magnum* juniorem, vulgo *Torquatum*, ad ſe vocavit, eique à ſubditis ſacramenta dici juſſit, quod etiam *Luneburgenſes* cives fecere; ſibi tamen caventes, ne fortè aliquando Imperatoris mandatis inobedientes judicarentur. *Magnus* juvenis, extincto *Wilhelmo*, frena nonnihil laxavit cupiditatibus, & viſus eſt civitati gravis. Itaque cives, exploratâ Imperatoris voluntate, in ſecreta pacta cum *Alberto*, ejuſque patruo *Wenceſlao*, Saxoniæ Ducibus Aſcaniæ gentis, conveniunt; ſubitoque Duci ſuo miſſis literis renuntiant, ſimul arcem urbi imminentem invadunt diruuntque; *S. Michaelis Monaſterium* ex monte in urbem transferunt, Saxonicos Principes recipiunt

ac dominos agnoſcunt, iiſque ad alias regiones partes occupandas auxilia præſtant. Inde bellum cum *Magno* Duce, eoque cæſo, cum filiis ejus diuturnum, interpoſitis pactis matrimoniiſque ſubinde ſuſpenſum; donec *Alberto* occiſo, tandemque *prælio ad Winſam, Alleræ fluminii adſitam*, commiſſo Anno Domini 1388. Brunſvicenſes victoriam obtinuêre & urbs Luneburgica Ducibus ſuis reconciliata eſt. Diu tamen ſuperfuêre ſimultates & querelæ.

PRÆ-

PRÆFATIO
ACCESSIONIBUS HISTORICIS
quibus potiſſimum continentur
SCRIPTORES RERUM GERMANICARUM
Edit. Hanoveræ anno 1700.

PRÆMISSA.

TRIA ſunt quæ expetimus in Hiſtoria: primum voluptatem noſcendi res ſingulares, deinde utilia inprimis vitæ præcepta; ac denique origines præſentium à præteritis repetitas, cùm omnia optimè ex cauſis noſcantur. Accedit, quòd ſpes poſteritatis homines ad præclara gerenda inflammat, ut quemadmodum legunt veteres, ita ipſi viciſſim ſecuturis legantur. Porrò delectationem & fabulæ præſtant; egregia verò documenta, præſertim quibus diſcamus aliquid quod ratio ipſa non facilè dictaſſet, rara invenio, etiam apud bonos Scriptores; quanto magis apud illos ineptos & barbaros, quos ſecula ignorantiæ damnata produxerunt. Sed his quoque nunc & gratias habere, & pretium ponere oportet, originum cauſa, quando melio es deſiderantur, neque aliunde geſtorum ſeriem ſupplere licet. Porrò Græcos & Latinos veteres & Orientales etiam Hiſtoricos (ſi cognoſcendi omnia dulcedinem

& exemplorum utilitatem ſeponas) maximè ſacris originibus, & Religioni, divinis Chriſtianorum libris comprehenſæ, Legibuſque inſervire cenſeo; tum ut ſcripturis genuinitas autoritaſque ſua aſſeratur, tum ut interpretatio vera cognito temporum genio, collatiſque antiquorum ſententiis eruatur. Sed poſteriores Scriptores, quanquam ſemibarbari, quatenùs tamen origines docent rerum noſtrarum civilium, eo ipſo magis quàm elegantiores illi proſunt, res Principum & publica negotia tractantibus ac ſcire aventibus. Nam ex Imperii Romani veteris ruinis, poſtquàm Germanicorum & Scythicorum populorum inundatione ſubverſum eſt, nata eſt alia facies rerum: unde paulatim prodiere regna & principatus & reſpublicæ, quæ nunc quoque florent. Itaque ut horum ortus, translationes, concertationes, limites, incrementa vel decrementa, familiæ denique regnatrices cognoſcantur; ad medii ævi Scriptores recurrere neceſſe eſt, quorum qui ſuperſunt pro maxima parte editi habentur, non pauci tamen latent adhuc, atque indies in lucem proferuntur.

Equidem olim vel negligebantur vel ſupprimebantur genuina Hiſtoriarum monumenta: & ſcriptores complures, ſuperioris præſertim ſeculi, imò nonnulli & noſtri, concinnantes Hiſtorias de remotis temporibus, elegantes magis quàm fidas, id quærebant, ut ipſi ſoli legerentur, & auctoritatem nacti apud poſteros regnarent. Sed paulatim apparuit, quantum interſit inter ſimplicem veritatem, rudis quidem, ſed tamen rebus geſtis vicini ſcriptoris, & fucatas atque calamiſtratas narrationes autoris omnia vel ſeculi ſui moribus æſtimantis, vel affectibus inficientis. Et compertum eſt, etiam judicio & veritatis amore præditos, & à monumentis inſtructos autores recentiores; quales fatendum eſt nobis *Aventinum*, Gallis *Paulum Æmilium*, Hiſpanis *Marianam*, Italis *Sigonium*, Anglis *Polydorum Virgilium* extitiſſe; tamen perſæpe graviter labi. Itaque viri doctiſſimi ac judicioſiſſimi optimum factu cenſuêre, fontes ipſos aperiri, ut unuſquiſque inde haurire, & puros latices à rivis ſubinde turbidioribus diſcernere poſſit. Et quidem ſparſim multi fuêre editi Scriptores medii, ſed tandem tamen exorti ſunt qui plures ſunt complexi, ut apud nos *Piſtorius*, *Schardius*, *Urſtiſius*, *Freherus*, *Goldaſtus*, *Meibomii*; apud Gallos *Pithœi*, *Quercetani*, *Docherius*, *Mabillonius*, *Baluzius* aliique; ut nunc de Italis, Anglis, Belgis, Hiſpanis non dicam: neque enim recenſionem talium inſtituere hujus eſt loci.

Mihi occaſiones itinerum & commercia amicorum, & Bibliothecæ Tabulariaque Principum, complura obtulêre Hiſtoriæ mediæ monumenta & ſcriptores, quorum aliquos virorum doctorum hortatu, ACCESSIONUM HISTORICARUM titulo in lucem proferre conſtitui. Sequentur plura hujus generis, Deo volente; nunc quatuor autores exhibentur, omnes

omnes à viris doctis jam memorati, plerique jam & promiſſi aliquoties, & multum expetiti. Primus hic comparet, qui a me appellatur CHRONOGRAPHUS SAXO. Sanè in Saxonia ſcripſiſſe manifeſtum eſt, & ſunt nonnulla quæ faciant, ut ſuſpicer vixiſſe in cœnobio Magdeburgenſi *S. Johannis*, cujus Abbatum acta alicubi curioſius attingit. Archi-Epiſcopatûs certè Magdeburgici res crebrò exponit, atque etiam cùm de fundatione ejus tractat, diplomata adjungit, ac de cætero Saxonica præ cæteris diligentiùs tradit. Chronographum vocavi, quia per annorum ſeriem non malè decurrit, & temporum examen ſibi curæ fuiſſe oſtendit, ut patet ad ann. CCLIV. Equidem fatendum eſt, tametſi à Chriſto nato incipiat, in antiquis tamen rebus, Romanaque & Eccleſiaſtica anteriorum ſeculorum Hiſtoria tales Scriptores non magni uſus eſſe; nihilominùs habent etiam in his aliqua nonnunquam, quæ apud meliores non leguntur. Exemplum dabo in re inter doctos controverſa illuſtranda, *Veronica* ſcilicet, quam vulgo fœminam eſſe credunt & inter ſanctas referunt, nunc verò viri aliquot doctrina inſignes nihil aliud eſſe veriſimillimum reddiderunt, quàm *veram icona* Servatoris, *Lucas* ſcilicet *Holſtenius*, & Dominus *Joh. Mabillonius* ordinis Benedictini, & noviſſimè R. P. *Papebrochius* ex Societate Jeſu in Apologia anno ſuperiore edita; locis pluribus vetuſtiorum productis, quibus ipſa imago Domini *Veronica* appellatur, tametſi Clariſſimus *Reiskius* Epiſtola contra *Mabillonium*, & R. P. *Sebaſtianus à S. Paulo* Carmelita ſcripto contra *Papebrochium* edito, ſententiam eorum vel dubitationem impugnârint. Equidem fortaſſe non præter rationem ſuſpicari videbimur, quod in hoc Chronographo ad ann. DCII. legitur *Vnica Domini*, ſcriptum fuiſſe Unica, lineola indice contractionis ſuperpoſita, id eſt *Veronica Domini*. Quòd ſi hæc conjectura admittitur, jam hinc diſcemus, quod alibi (quantum ſciam) non extat, qua ratione illa imago fuerit inventa; uti in ipſo autore noſtro legi poteſt. Cæterùm Codex fuit olim R. P. *Chriſtophori Broweri*, de Germanicis antiquitatibus præclarè meriti, præſertim in Fuldenſibus & Trevirenſibus; qui & ſubinde noſtri verba citat: R. P. *Papebrochii* beneficio idem Codex mecum fuit communicatus. Finit autem noſter Chronographus Annales ſuos anno æræ vulgaris MCLXXXVIII, atque adeo illo ipſo tempore vixiſſe credi poteſt.

GESTA TREVIRORUM jam olim cum paralipomenis & continuatione ſua edere voluit *Caſpar Bruſchius* Egranus, quemadmodum *Voſſius* in Hiſtoricis Latinis Lib. 3. Cap. 7. annotavit. Eundem Scriptorem *Goldaſtus* habuit, & *Frehero* edendum dedit, & perſuaſiſſimum ſibi eſſe ait, *Golſcherum* fuiſſe dictum, Monachum *S. Mathiæ* apud Treviros. Sed cùm nulla ſententiæ ſuæ argumenta promat, & aliis anonymus autor habeatur, titulum mutare viſum non eſt. Cæterùm habet hæc

Goldaſtus

Goldaſtus in Apologia pro *Henrico IV*, diſſertatione præmiſſa Autoribus illic inſertis, agens tum de *Engilberto* Archi-Epiſcopo Trevirenſi p. 41. tum de *Theoderico* Virdunenſi Epiſcopo p. 43. Eundem poſtea Scriptorem nobis promiſerat *Petrus Lambecius* indice edito eorum quæ dederat parabatque. Cùm verò nec ipſe nec priores ipſo *Bruſchius* & *Freherus* ſpem de ſe factam implevernt, vitium eſt operæ pretium, tandem aliquando deſideratum diu Scriptorem luci donare. Tribus Codicibus ad editionem uſi ſumus, eoſque ex ſe mutuo ſupplevimus correximuſque, variationibus aut ſupplementis inter uncinos concluſis. Unum *Bibliotheca Auguſta* præbuit, alium ipſe habui, tertium ſuppeditavit Cl. *Migius* Heidelbergenſis, tunc Rintelenſis, nunc Marpurgenſis Profeſſor atque Eccleſiaſtes, cujus doctrina facit, ut non contemnenda ab ipſo expectari poſſint. *Scriverius* unum ex his Codicibus habuit, annotavitque videri initia libri non eſſe ſaporis monachalis, ſtylo altiùs aſſurgente. Et ſuſpicatur fabuloſa illa de remotiſſimis Trevirenſium antiquitatibus ſumta eſſe ex antiquiore quodam, ipſoque fortaſſe *Licinio* neſcio quo Sophiſta, qui memoratur pag. 31. quanquam ibi non *Licinius*, ſed *Galba Victor* ad *Licinium* ſcripſiſſe dicatur. Cæterùm in poſterioribus habet autor nonnulla non inutilia præſertim circa res ſæculi XI & initia XII, quo vixit. Quædam mutata vel interpolata fuiſſe diverſitas Codicum oſtendit. Videatur pag. 99.

Johannes Vito Duranus Helvetius ſequitur. De hoc *Voſſius* jam refert lib. 3. de Hiſtor. Latin. cap. 9, fuiſſe Monachum ordinis Minorum, & *Ludovici Bavari* ac *Caroli IV.* ætate vixiſſe, & Hiſtoriam produxiſſe ad annum MCCCXLVIII, quæ manuſcripta extet in monaſterio *S. Galli.* Sed quæ habemus eo uſque non producuntur; & cùm apud Sangallenſes inquiſiviſſem, reſponſum eſt non reperiri. Exemplar quod ſecutus ſum *Goldaſti* fuit, ſuppeditatum mihi ab inſigni apud Bremenſes Theologo *Gerhardo Meiero*, qui (ut hoc obiter dicam) hortatu meo præclarum opus aggreſſus eſt *Gloſſarii Saxonici* titulo, in quo origines Germanicarum vocum multas eruet illuſtrabitque, nec pauca non pervulgata proferet in lucem. Itaque optandum eſt, ut Viri docti & patriæ literaturæ amantes certatim ſymbolam conferant, & vocabula inprimis provincialia ſuppeditent, aliave obſervata conferant ſua. Sed redeo in viam atque hoc adhuc noto, *Vito Durani* Exemplari quædam fuiſſe adjecta, ex quibus recenſio adoleſcentium illuſtrium, qui tempore *Lotharii* Saxonis Leodii ſtudiis operam dediſſe dicuntur, haud dubiè fabuloſa eſt, poteſt tamen ineſſe aliquid boni.

Poſtremò damus Chronicon Vetus Holsatiæ titulo *Continuationis Chronici Slavorum Helmoldi* (nempe quod Wagria cum vicinia olim ad Slaviam referretur, vid. pag. 29.) inſcriptum in Codice *Lambecii*, unde beneficio celeberrimi Viri *Danielis à Neſſel*, Conſiliarii & Bibliothecarii Cæſarei, ad me pervenit. Multa de hoc libello habet *Johannes Mol-*

Digitized by Google

Mollerus Flensburgenſis, Vir doctiſſimus, in Iſagoga ad Hiſtoriam Cherſoneſi Cimbricæ; qui notat, quod & nos obſervavimus, ab *Huitfeldio*, *Danckwerthio*, *Bangerto* & aliis citari ſubinde, & *Th. Bartholinum* juniorem (quem præmatura morte nobis ereptum dolemus) Lib. 3. de cauſis mortis à Danis gentilibus contemtæ c. 3. graviſſimè eum tanquam incultum & maledicum invehi, & in Danorum gentem injurium. Et ſanè fatendum eſt, ſatis ineptè atque incohærenter ſcribere autorem, & odio in Danos flagraſſe videri, nec fidem mereri cùm effutit in ipſos contumelioſa. Cum tamen aliàs non pauca doceat, intereſt libellum non perire, tanquam habendum inter antiquitatis monumenta, in quibus venenum malignitatis tempus extinxit. Certè *Joh. Adam. Cypræus* primùm, deinde *Petrus Lambecius* edere voluere, atque hic etiam notas promiſerat. Danorum gentis virtus jam ab antiquo certiſſimis rerum documentis teſtatior eſt, quàm ut illi deteri quicquam hominis ut apparet ſimplicis & affectibus indulgentis qualicunque judicio poſſit. Stantibus adhuc Romanorum rebus *Danos* ſub *Saxonum* nomine comprehenſos arbitror, qui, ut poſtea Normanni, Britanniam & litus Aremoricum (quod tunc Saxonicum ab ipſis dicebatur) infeſtum habebant. Nam non planè ignotos nec incelebratos fuiſſe Romanis Danos, (etſi vix memorentur apud eos qui extant Scriptores) indicat vox hæc militaris honorificentiſſima: *Laudabatur Perſes Marco, cùm non noverat Gothum, ſed ô ubi eſt Danus?* Nempe illas Saxonum laudes, quorum agilitatem, audaciam, robur, & nauticæ artis peritiam paſſim extollunt *Sidonius* aliique, puto & ad Danos pertinuiſſe. Quæ volui obiter annotare hac occaſione, quia video non ſatis alibi obſervata. Et multo poſt tempore *Adamus* Bremenſis locuples eſt teſtis neque ſuſpectus, quàm illi, etiam quo ipſe vixit ævo, recepto jam utcunque Chriſtianiſmo, infracto animo, nulliſque editis lamentis tulerint adverſa.

Cæterum neque occupationes meæ, neque Typographi abſentia permiſere, ut in poſtrema recenſione aſpergerentur adhuc aliqua lucis nonnihil fortaſſe fœneratura, vel ut menda nonnulla reſidua vitarentur; cùm pars inſtantibus nundinis ne ad oculos quidem meos redierit, ubi typis exivit. Satis tamen emendatè edita, ex iis judico, quæ vidi. Et quanquam notæ, quæ potuiſſent dari multiplices, abſint, atque eruditionis ornamenta nulla acceſſerint; puto tamen gratum intelligentibus fore, utcunque demum lucem videre Scriptores toties promiſſos, & fortaſſe non aliam ob cauſam tamdiu dilatos, quàm quòd Viri docti qui editionem animo complexi erant, nonniſi ornatos in publicum prodire volebant. Scribendi morem ipſis uſitatum, etſi ſubinde minus orthographicum, retinendum in pleriſque judicavimus; nam eum quoque noſſe, partem hujus Critices facit: interdum & ſubſunt Archaiſmi non inelegantes. Nec dictio ipſa ſemper contemnenda eſt, cùm paſſim excerpta vetuſtiorum exhiberi videantur.

PRÆFATIO

in Secundam Partem

ACCESSIONUM HISTORICARUM,

quæ continet

ALBERICI MONACHI TRIUM FONTIUM CHRONICON.

Alberici Monachi trium Fontium Chronicon memoratur à *Voſſio* in Hiſtoricis Latinis lib. 2. c. 46. occaſione alterius *Alberici* Caſinenſis Monachi & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui pro *Gregorio VII.* Pontifice Romano contra *Henricum IV.* ſcripſit. Hoc Chronicon, ait *Voſſius*, deductum eſſe ab initio Mundi ad annum uſque Chriſti DCXXVI, & extare in Bibliotheca *S. Galli*; atque hunc videri *Albericum*, quem ſe paſſim ſequi profitetur Autor Chronici magni Belgici, qui fuit Canonicus regularis prope Nuntiam. Quæ conjectura *Voſſii* vera eſt, ſed cum prioribus non conſtitit, nam ea Nuſſienſis ille *Alberici* autoritate utitur in rebus diu poſt annum Chriſti 626 geſtis. Oportet non niſi partem operis priorem viſam fuiſſe illi, per quem ad *Voſſium* ſcriptoris hujus notitia pervenit. Apud Sangallenſes inquirenti mihi nihil tale compertum eſt. *In Bibliotheca Auguſta* quæ eſt Guelferbyti extat pars poſterior ab anno Chriſti 960. ad annum 1241, quo deſinit opus. Eademque planè accepi haberi *in Collegio Pariſino Societatis Jeſu*, quemadmodum mihi ſignificari curarunt doctiſſimi Viri *Harduinus* & Bibliothecæ Claræmontanæ præfectus *Tellierius*. Uterque codex eſt à recentiore manu, ſed *integrum antiquum & membranaceum nactus ſum ipſe*; ex quo totum *Albericum* dare licuit.

Scriptoris hujus autoritate paſſim utuntur viri docti: ex Gallis *Andreas Quercetanus*, *David Blondellus*, *Philippus Labbæus*; ex Belgis *Aubertus Miræus*, *Chriſtophorus Butkenius*, *Joh. Jac. Chifletius*, & alii. Quoniam magna inprimis diligentia verſatur in explicandis ſtemmatibus illuſtrium familiarum; & ſæpè verba exhibet excerpta ex ſcriptoribus, qui ampliùs non extant. *Miræus* de ipſo in Auctuario ſcriptorum Eccleſiaſticorum cap. 403. *Albericus* (inquit) *Monachus Ordinis Ciſtercienſis in cœnobio trium Fontium ſcripſit Chronicon, quod in Geſtis anni* 1241. *deſinit, brevi edendum, ut ſpero, ab Andrea Quercetano cum Hiſtoria Epiſcoporum*

ſcoporum Virdunenſium & Abbatum S. Vitoni à Laurentio Leodicenſi conſcripta, & aliis id genus monumentis antiquis. Labbæus autem in Nov. Bibl. Mſ. *digerendis nobilium familiarum Tabulis Genealogicis perquam utilem eſſe* agnoſcit. Sed maximè adhibet commendatque *Chifletius* multis ſuorum operum locis, ex quibus unum adſcribere placet: *Albericus certè* (inquit) *præterquam quod in rebus exquiſitis valdè copioſus eſt, tria præ aliis habet ſingularia. Inprimis enim principum illuſtriorumque ſtemmata quàm poteſt accuratè deſcribit*, quod ante illum Chronographorum præſtiterat nemo; *ac ſi in aliquibus deprehenditur erraſſe, veniam meretur in tanta rerum mole, & cognationum temporumque caligine.* Secundo *Chronicorum quæ vel incuria poſſidentium, vel ob vaſtationes regionum poſtea periêre, ſelectiores collegit locos & Chronico ſuo inſeruit, unde maximæ ipſi habendæ ſunt gratiæ.* Tertio *ſcriptorum qui typis editi ſunt ſententias ſaniores ex melioris notæ codicibus deſumtas tradit.* Hæc *Chiflet.* in *Tenneur.* expenſo refut. cal. 10. nec immeritò. Sanè demto uno nondum edito ſcriptore ſeculi XII. qui & ipſe cognationes ſtudiosè explicuit, non memini videre, qui eo in genere paria faciat *Alberico.* Habet etiam alia memorabilia, quale illud quod unum nunc producam, nec niſi in ipſo, & ex ipſo in Nuſſienſi monacho legi, *Fridericum Barbaroſſam*, cùm primùm in Italiam tenderet, in frequenti procerum Germaniæ conventu conſtituiſſe, ut ſi fortè tunc extingueretur Suevica ſive *Wibelingiadum* adoptivorum familia, Imperium in *Henricum Leonem Guelfum* transferretur.

Ineditos autores complures citat noſter, ſed unum penè aliàs ignotum nominare nunc ſufficerit, cujus verba paſſim exhibentur. *Guidonem* ex nobili *Bazochiorum* familia Cantorem *S. Stephani* Catalaunenſis, qui Chronicon ab initio Mundi ad ſua uſque tempora, mortemque *Richardi* Regis Angliæ deduxit, obiitque anno 1203. ubi de eo noſter videatur. Editos ſcriptores ex *Alberico* verba eorum exhibente non rarò poſſe emendari, notavit idem *Chifletius*, locumque *Eginhardi* produxit (Lum. prærog. 13. ad ann. 804.) ubi vulgò habetur *proprium ſuum*, cùm *Albericus* rectiùs legerit proprium filium. Ita cùm in *Ottone* Friſingenſi legitur *Guegeſar*, *Albericus* ad ann. 1106. habet *Wiſatum*, quod hodie vocant *Viſet* in tractu Leodienſi. Sic cùm in eodem *Ottone* legatur *Cariſtallium*, *Albericus* ad 1136. habet *Guaſtallum*, ut multa alia id genus præteream. Fabuloſos autores atque etiam *Cantores* (ut ipſe vocat) id eſt poëtas ſecutum aliquando pro ſeculi more, nemo vitio vertet. Oſtendit tamen non rarò, judicio interpoſito, plura à ſe transſcribi quàm credi.

Viros doctos quoque & eorum ſcripta paſſim memorat. Notabilis eſt locus *de Hugone à S. Victore* ad ann. 1130, ubi eum ab aliis *Hugonibus* diſtinguens, *de Saxonia natum dici* ſcribit, antiquior pleriſque omnibus quod ſciam aliis, qui extant, idem dicentibus, & adhuc an-

tiquiorum haud dubiè autoritatem pro more ſuo ſecutus ; ut adeò fortaſſe *Roberto* Abbati de Monte *S. Michaëlis* opponi poſſit, qui tr. de Abbatibus & Abbatiis cap. 5. Magiſtrum *Hugonem* Lotharienſem appellat, quemadmodum alius à *Mabillonio* viro inſigni in Analectis productus Flandrum Iprenſem, *Hartmannus Schedelius* Gallum. Sed pro Saxonia patria ſtant *præter Albericum Johannes à S. Victore*, *Gobelinus Perſona*, *Rolevinckius*, *Engelhuſius*, *M. Hermannus Cornerus*, *Trithemius*, *Paulus Langius*, eademque eſt ſententia communis recentiorum, noſtrorum pariter exterorumque. Certè *in monaſterio Hamerslebienſi* ſui ordinis, id eſt Canonicorum regularium *S. Auguſtini*, ſeſe aliquando vixiſſe indicat ipſe Epiſtola ad Fratres in Hamersleve *libro de arrha animæ* præfixa. Ab eo qui operum editionem procuravit anno 1648. duo afferuntur loca notatu digna, unus eſt Anonymi Monachi Gemeticenſis, alter *Johannis à S. Victore*. Porrò Gemeticenſis Monachi hæc verba ſunt : *Eo tempore*, quo ſcilicet ordo Ciſtercienſis & Carthuſienſis fuere creati, *Magiſter Guillelmus de Campellis, qui fuerat Archidiaconus Pariſienſis, vir admodum literatus & religioſus, aſſumens habitum Canonici regularis, cum aliquibus diſcipulis extra urbem Pariſienſem, in loco ubi capella quædam erat S. Victoris martyris, cœpit monaſterium ædificare Clericorum. Aſſumto autem illo ad Epiſcopatum Catalaunenſem, venerabilis Gildumus diſcipulus ejus primus Abbas ibi factus eſt ; ſub cujus regimine multi Clerici nobiles ſecularibus & divinis literis inſtructi, ad iſtum locum habitaturi convenerunt : Inter quos Magiſter* Hugo *Lotharienſis* ſic dictus à confinio Saxoniæ, *& ſcientia literarum, & humili religione maximè efflоruit. Hic multos libros edidit, quos, quia vulgò habentur, non oportet commemorare.* Hæc monachus iſte, quæ penè totidem verbis reperiuntur apud *Robertum* de monte loco ſupra citato libri de Abbatiis, niſi quòd omiſſa verba maximè ad rem facientia : *Sic dictus à confinio Saxoniæ*, & quod Abbas *Geldoinus* vocatur. Alter eſt locus *Johannis de S. Victore* in memoriali Hiſtoriarum ad ann. 1117. ubi hæc verba : *Hugo fuit* Saxonicus genere & ortu, præpotenti parentela, *adduxitque apud S. Victorem* avunculum ſuum, *Hugonem, cujus ſumtibus ferè tota ædificata S. Victoris Eccleſia.* Autor *vitæ Hugonis S. Victoris* plura adhuc & diſtinctiora addit neſcio unde, quæ ita habent : *Hugo de S. Victore*, illuſtri apud Saxones genere ortus... *teneriorem puerorum cùm impleſſet ætatem, in diœceſi* Halberſtadenſi *traditus eſt* Monaſterio *S. Pancratii, ut ab ejuſdem canonicis regularibus inſtitueretur.... Ubi decimum octavum ætatis annum attigit, ſeculi fugam meditari cœpit, id communicat* patruo *Hugoni* (Joh. à S. Victore avunculum vocaverat, ſed hæc vocabula Galli inprimis ſæpe confundunt, quibus *oncle* uterque) *Halberſtadenſis Eccleſiæ* Archidiacono, *qui ſtatim in ejus conſilii partem venit. Ambo igitur pares animis patria excedunt.... in manus Gilduini Abbatis S. Victoris primi vota emittunt, ſanctique Auguſtini*

Auguſtini regulam profitentur. Tunc præterpropter annus erat Domini milleſimus centeſimus decimus quintus. Narraverat autem ambos Maſſiliam profectos reliquias quaſdam *S. Victoris* inde ad Parilios attuliſſe.

Extant duæ Epiſtolæ nondum editæ, una *Borchardi* Epiſcopi Halberſtadenſis data in Gronyngen, altera *Friderici* Archiepiſcopi Magdeburgenſis data in Magdeb. ambæ ſcriptæ anno 1456. ad Capitulum generale ordinis Canonicorum regularium in Windelem congregatum, quibus commendatur monaſterium *S. Pancratii* in Hamerſleven. *Burcardi* verba ſunt: *Et hoc potiſſimè contemplatione illius eximii & inſignis viri* Hugonis de S. Victore, *qui in dicto monaſterio* Hamerſleven *religionis habitum* & prima elementa regularis vitæ ſuſcepit. *Qui talis & tantus fuit, ut in ordine veſtro & tota orthodoxa religione Chriſti etiam mortuus quam plurimum celebretur & ſepultus gloriosè vivat, ita ut* alter Auguſtinus *nominetur. Ita ut ipſius duntaxat reſpectu agendum eſſet quod poſtulamus. Quàm plures etenim ſunt apud nos, qui amore tanti Viri ad monaſterium ipſum ſingularem inclinationem tenent &c. Friderici* verò verba hæc ſunt: *Scripſimus præteritis diebus devotionibus veſtris de ſtatu* monaſterii *S. Pancratii* in Hamerſleven Halberſt. diœceſ. *ordinis veſtri, unde ille præclarus* Hugo de S. Victore *toti orbi venerabilis ortum duxit.* Si *Saxonem* & illuſtri ſtirpe, vel (ut *Joh. à S. Victore* ait) præpotenti parentela natum ſtatuimus, ſatis veriſimile eſt, *ex ſtirpe Comitum de Blankenburg & Regenſtein* proceſſiſſe. Uti *Henricus Meibomius ſenior*, judex harum rerum peritiſſimus, vel ex notitiis quibuſdam ſuis, vel, ut ſuſpicari licet, fide Chronici manuſcripti Halberſtadenſis à *Johanne Winnigſtadio* compoſiti ſcripſit. *Chriſtianus Paulinus* vir in his ſtudiis & ipſe cum laude verſatus aſſentitur, & ubi de *Hugonis* patria diſquirit (libro Germanicè conſcripto lectionum utilium & jucundarum) notat *Winnigſtadium* omnia ſua hauſiſſe ex Chronico alio Halberſtadenſi *Martini Rebbock*, Monachi Corbejenſis, Præpoſiti Groningenſis. Simul tamen indicat de familia *Hugonis* apud *Rebbockium* nihil haberi. An forte *Winnigſtadii* Codicem conſuluit defectu hoc loco laborantem? Nam primum *Meibomium* hæc de Blanckenburgiis ſcripſiſſe addit. Sanè vicini *Hamerslebio* erant Comites iſti & Monaſterium *S. Pancratii* illic ſtruxit *Reinhardus* Epiſcopus. Extat libellus ineditus de fundatoribus Monaſterii Reinhauſani in principatu Gottingenſi vel Northemio à primo Abbate conſcriptus circa annum 1100, ubi *Poppo* Comes in Blankenburg vocatur nepos (incertum ex fratre an ſorore) *Reinhardi* Epiſcopi Halberſtadenſis. Quòd ſi ergo *Hugo* Blankenburgius fuit, credibile eſt fuiſſe *Popponis* filium, vel ſi malis fratrem nepotemque adeò *Reinhardi*. Et, ſi vera ſunt quæ de *Hugone* Halberſtadenſi Archidiacono memorantur, potuerit is *Reinhardi* Epiſcopi ſui eſſe frater. *Hugonis* nomen me malè habet, minùs uſitatum tunc Saxonibus, niſi *Heginonem* dictum malimus & noſtrum

& avunculum, quod Galli flexerint in notiorem ipſis *Hugonem*. Sed cur *Lotharienſis* dictus *Hugo*, & cuidam creditus Flander? an quia in his oris aliquamdiu egit, antequàm Gallos adiret, & à Lotharingia in Galliam venit? Quod Gemeticenſis Anonymus *e Saxoniæ confinio* addit, velut ad conciliationem cum recepta de Saxonica origine ſententia pertinere videtur; etſi enim Lotharingia hodie non habeatur continis Saxoniæ, olim tamen fuit, quando hæc non Oſtfalos tantùm ſed & Angarios & Weſtfalos comprehendebat, & nunc quoque circulus Weſtfalicus longè porrigitur. Ut taceam Gallorum quorundam more omne Franciæ Orientalis ſeu Germaniæ Regnum, inde ab *Ottonum* temporibus Saxoniæ nomine deſignatum, ut *Glabro* & *Wilhelmo* Gemeticenſi, qui *Henricum III.* Regem filium facit *Cononis* Saxonum ducis, *Conradum* Salicum intelligens. Ego etſi de patria & ſtirpe *Hugonis* à *S. Victore* nihil adhuc certi pronuntiare auſim; magis tamen in ſententiam jam dudum receptam inclino. Et parum verisimile mihi quoque videtur, Lotharienſem aut Flandrum illuſtri ſtirpe natum adoleſcentem ex remotis locis ad tenue ac recens ſtructum loco obſcuro Hamerslebienſe Monaſterium miſſum fuiſſe, avunculumque ſimul Halberſt. Archidiaconatum tenuiſſe, niſi *Reinhardo* Epiſcopo fundatori aut vicinos, aut cognatione propinqua junctos fuiſſe ponamus. Interea iſta veritati penitiùs indagandæ fortaſſe aliquando profutura addere illis volui, quæ V. Cl. *Henricus Meibomius* junior pro ſolita eruditione ſua dixit in peculiari diſſertatione operibus hiſtoricis & avitis & ſuis adjecta, qua Mabillonianæ objectioni circa *Hugonem* pro avi ſententia reſpondet; me occaſionem præbente, qui locum celeberrimi *Mabillonii* indicaram.

Sed ab hac digreſſione ad *Albericum* revertor. Ejus Opus in Codice Bibliothecæ Auguſtæ inſcribitur: *Alberici monachi trium fontium* diœceſis Leodienſis *Chronicon*; ex conjectura opinor Viri docti. At Codex Claræmontanus apud Pariſios habet: *Diœceſis Catalaunenſis* forte ex Bibliotheca Ciſtercienſi *Caroli de Viſch.* In Leodienſi tamen diœceſi vixiſſe judico, & mecum judicabit credo quiſquis librum leget: uſque adeò multa habet & minuta circa res Leodienſes, Hoienſes & vicinas. De Imperio etiam Germano fuiſſe potiùs quàm Franco-Gallum, ut vocat *Chifletius*, aliqua indicare videntur.

Antequàm finiam, paucula annotabo adjicienda præfationi prioris Acceſſionum hiſtoricarum voluminis. Nimirum legendum *in Chronographo Saxone* non vnicam (ſeu veronicam) ſed tunicam domini, de quo prius dubitaveram, didiciſſe me ex Chronico *S. Medardi* Sueſſionis ad annum 590, ubi habetur tunc tunicam domini integram fuiſſe repertam in arca marmorea. Sed ne quid inde decedat ſententiæ doctorum virorum, à quibus oſtenſum eſt, *veronicam* nihil aliud olim habitam, quàm veram icona Domini, poſſum in compenſationem dare locum antiqui

Digitized by Google

tiqui Chronici Germanici nondum editi, quod itidem disertè habet imaginem ipsam Christi dictam veronicam. De Autore libri *Gesta Trevirorum* inscripti à me primum editi, judicium suspenderam illic; nunc re ampliùs considerata *Goldasto* assentior, *Golscherum* fuisse *S. Matthiæ* apud Treviros Monachum. *Trithemius* in Chronico Hirsaugiensi citat *Theoderici* Monachi *Historiam Trevirorum*, *Golscheri* Monachi *Gesta eorundem*. Idem in Catalogo illustrium virorum Germaniæ dicit: *Golscherum* Monachum *S. Matthiæ* apud Treviros Gesta Trevirorum libro uno scripsisse. Broweriana quoque Annalium Trevirensium pro paraskeve duos distinguit scriptores, *Golscherum* Monachum *S. Matth.* Ord. S. Bened. & Anonymum, qui Annales Trevirenses *Cunoni* Episcopo dicavit. Quibus consideratis, cùm in diversis codicibus libellus à me editus inscribatur *Gesta Trevirorum*, aliaque consentiant, *Golscherum* autorem vix dubito. Sed quæ à *Dacherio* Spicilegii Tomo XII. edita est *Historia Trevirorum*, fuerit credo *Theoderici*, cui tali inscriptione librum etiam tribuit *Trithemius* à Gestis *Golscheri* solicitè distinguens. Et hunc *Dacherio* anonymum vel potiùs non animadversum eundem esse suspicor cum Anonymo Broweriano, etsi dissentiat ipse *Dacherius*, eo argumento, quòd *Cuno* Archiepiscopus cæsus sit anno 1066. At Dacherianus Codex finit anno 1122. Sed *Cunoni* Archiepiscopo vix quisquam Trevirensium Monachorum potuit dicare librum, qui in ipso aditu insulæ fuit occisus, nec unquam ad possessionem pervenit. Puto igitur pro *Cunone* legendum fuisse *Brunonem*, ita omnia consentiunt, nam in hoc finit autor Dacherianus. At *Golscherus* à me editus longius procedit, & licet pleraque *Theoderici* retinuerit, multa tamen adjecit, ut opus penè creverit in duplum. Quæ indicanda putavi, ne quis porrò ne conspecto quidem *Dacherio* de re sibi incomperta temerè dicat, Gesta Trevirorum nostra jam in Dacheriano Spicilegio prodiisse.

PRÆ-

PRÆFATIO

Libro inſcripto

JOANNIS ADLZREITER ANNALES BOICÆ GENTIS;

Quibus hiſtoria a prima Boiorum origine uſque ad annum MDCLI, continetur. Acceſſere

ANDREÆ BRUNNERI E SOC. JES.

Annales Boicorum

a primis initiis ad annum MCCCXI.

quem edi curavit

G. G. LEIBNITIUS

Francofurti ad Mœnum anno MDCCX.

ULLA Germaniæ ſuperioris pars meliores Hiſtoricos invenit, quàm Bavaria; ſive res ſacras, ſive civiles ſpectes. Nam Eccleſiarum Bavariæ res egregiè ſunt illuſtratæ a *Wigulejo Hundio*, & *Chriſtophoro Gewoldo* Jureconſultis; quorum ille Eccleſiam Metropolitanam Bavarici Regni, ut olim loquebantur, ut nunc, Circuli, Salisburgenſem nempe, ſive Juvavienſem tractare non contentus; omnes etiam provinciæ ejuſdem Epiſcopatus, & alias celebriores Eccleſias adjecit: hic verò multa addidit; & ſæpè, quæ prior affirmare contentus fuerat, productis diplomatum Tabulis confirmavit. His adjungendus eſt autor Bavariæ Sanctæ & Piæ *Matthæus Raderus* ex Societate Jeſu, quatuor voluminibus editis ab anno Domini 1615. ad annum 1628; ubi illuſtres pietate

pietate viros Bavaros, aut in Bavaria florentes recenſuit, non tantùm, quorum nomina in faſtos, & Martyrologia ſunt relata, nec tantùm, a quibus aræ, ſacella, ædiculæ, oratoria denominata extant, etſi in faſtis non legantur; ſed etiam eos, qui piam vitam in quocunque loco, ſtatu, ordine egerunt, & Hiſtoriæ teſtimonio innotuerunt.

Sed major multo eorum ſeges eſt, qui Hiſtoriam Bavariæ civilem memoriæ prodiderunt. Neque verò hic de medii ævi ſcriptoribus, velut *Ottone* Friſingenſi Epiſcopo, *Andrea* Ratisbonenſi Presbytero (cujus inedita quædam habeo) *Vito Arnbeckio*, Canonico Friſingenſi (cujus excerpta quædam primus edo) & ſimilibus loquor, ſed de his, qui poſt reſtitutas literas ſcripſere. Neque etiam ex illis niſi eos memorabo, qui Boicam Hiſtoriam generalem ſcribere ſunt aggreſſi. Ex his primus tempore, & penè dixerim etiam meritò, eſt *Johannes Aventinus*, a patria Avensberga dictus, ut illis temporibus mos erat, a familia *Thurmajerus*; qui juſſu Ducum Bavariæ, quorum & partim ſtudiis præfuit, Hiſtoriam componens, regionem totam obiit, monumenta inſpexit, & ex multis collectaneorum voluminibus, quæ in Bibliotheca Monacenſi olim vidimus, opus ſuum concinnavit: in quo, ſi antiquiſſima demas, ex ingenio, aut fabulatoribus depromta, certè cum fide plerumque, & judicio eſt verſatus, nec ineleganter ſcripſit. Et licèt a *Baronio*, aliisque zelotis reprehendatur, quod liberius interdum Eccleſiaſticorum vitiis ſuccenſuit; fecere tamen id alii quoque item boni, & conſtantes in illis ipſis partibus. Certè eodem veritatis ſtudio apologetam interdum eorum egit, quos aliàs reprehendebat. Et fortaſſe primus *Johannam* Papiſſam explosit, quæ antea ſcriptorum conſenſu penè conſecrata habebatur.

Viciſſet *Aventinum* haud dubiè *Marcus Velſerus*, Patritius & Duumvir Auguſtanus, vir doctrina, & meritis ſummus; ſi res Boicas, quas ſcribere cœperat, pertexuiſſet. Sed ille in perantiquis ſubſiſtit, cum *Thaſſilonis* caſu deſinens, ſaltem in his quæ extant; præclarè tamen meritus de gente: laudandus etiam inter cætera in Hiſtoriam Boicam merita, quod vitam *S. Severini*, ab *Eugippio* Abbate contemporaneo ſcriptam, in lucem protulit. Nam *Severinus* Regem Herulorum *Odoacrum* in Italiam euntem vidit, & Reges Rugorum cognovit, gentis Germanicæ, quæ tunc ſiniſtram Danubii ripam ex oppoſito Auſtriæ (uti nunc regionem appellamus) tenebat; unde Hiſtoria illorum temporum Germanica lucem aliquam accipit. *Velſerus* idem (ut obiter dicam) autor intelligentibus habetur libelli Italici, quod ſcrutinii libertatis Venetæ titulo (*ſquitinio della libertà Veneta*) prodiit, quod etiam ſatis innuit *Gaſſendus* in *Peireſcii* vita, & *Scioppius*, *Rhodius*, *Scavenius* pro certo affirmarunt. *Scioppius* certè rem præ aliis ſcire potuit. Erat ſanè *Velſerus* addictiſſimus Domui Auſtriacæ, cui tunc cum Venetis non op-

timè conveniebat. Conſtat, Italico eum ſermone ſcripſiſſe tam elegan-ter, ut nemo Italus magis, quemadmodum *Galilæus*, aliique agnove-re, queiſcum literas commutavit. Eruditio quoque, quanta in opuſculo lucet, penè prodere autorem videbatur. Nam quod *Batius*, aliique cum ſecuti, Marchionem *de la Cueva* Legatum Hiſpanum autorem libelli fa-ciunt, id mihi perinde videtur, ac ſi Ducem *Longavillæum* autorem fe-cerunt eorum, quæ a Gallis Monaſterii Weſtfalorum ſcripta ſunt. Et quod *Cueva* Succeſſori commendavit opuſculum, tantùm indicat valdè ab ipſo probatum, & fortaſsè etiam promotum fuiſſe. Nimium tamen ſcenæ inſervit autor doctiſſimus, dum Venetos Imperatoribus noſtris ſubjectos fuiſſe contendit; cùm, excepta *Pipini* (*Caroli M.* nati) irrup-tione, qui partem inſularum in poteſtatem redegit, Venetos a Regno Longobardorum ſeparatas ſemper rationes habuiſſe, certò conſtet.

Cæterum Hiſtoriæ Bavaricæ perficiendæ curam dignam magnitudine ſua judicavit *Maximilianus* Dux, & poſtea Imperii Princeps Elector, cujus laudes ab amicis, inimiciſque meritò memorantur. Is præclarum laborem impoſuit *Andreæ Brunnero* Societatis Jeſu viro docto, cujus cum alia extant, in Bibliotheca Societatis, *Alegambio* autore, legenda, tum verò *tria volumina Annalium virtutis, & fortunæ Bojorum* in forma, ut vocant, octava Monachii edita, quorum primum prodiit A. D. 1624, ſecundum A. D. 1629, tertium A. D. 1637. Sed ultimum penè perie-rat, turbato autore Svedica irruptione, & obſidis nomine per triennium Auguſtæ Vindelicorum captivo. Opus ſuum nonniſi ad *Ludovici Quarti Auguſti*, vulgò *Bavari*, initia, annumque 1314. perduxit, ubi opus his verbis clauſit: *Hic ipſe annus Ludovicum Cæſarem videbit. Ad quod nomen nos quidem aſſurgimus, contenti pomum aureum, ſeptemviratus inſi-gne, Rhombis Boicis inſeruiſſe. Auguſtalem Aquilam Ludovico liberior cala-mus aſſeret, minuſque invidiæ obnoxius. Ea nobis vacationem dedit ardui la-boris, manumque ſua ſponte non ceſſantem, a tabula ſubmovit.* Ex quibus ſatis intelligi poteſt, *Brunnero*, cùm in Societate eſſet, quæ Romano Pontifici peculiari voto addicta eſt, per Superiores ſuos non licuiſſe Hiſtoriam *Ludovici Bavari*, ex ſua, ſuique Principis ſententia ſcribere, ne Roma offenderetur. Sed *Maximilianus* Elector, utcumque Romanis partibus addictus, gloriam tamen majorum præjudiciis Romanis potio-rem habuit; & *Ludovico* Imperium a ſcriptoribus aſſeri juſſit, quod ei Romani Pontifices abrogare voluere. Intelligo, *Brunneri* laboribus *Ni-colaum Burgundum* juſſu Electoris uſum fuiſſe. Sed alia quoque peculia-ri opera, non Hiſtoriæ continuæ forma, ſed critici operis, *Ludovicum Bavarum* Auguſtum nobis *Johannes Georgius Herwartus* contra *Abraha-mum Bzovium* dedit; vitamque egregii Imperatoris, productis ex Ta-bulario potiſſimùm Bavarico monumentis, illuſtravit. Cæterùm ſuper-ſunt commutatæ inter *Raderum*, *Brunnerumque* literæ nonnullæ ineditæ, ubi

ubi nonnunquam acriter inter ſe certant. Inter alia litis argumentum eſt, utrum *Henricus Sanctus* Imperator, idemque antea Bavariæ Dux, Saxo genere, & ex *Henrici Aucupis* ſtirpe fuerit. Negabat hoc *Raderus*, uti etiam in Bavaria ſua ſancta negat, elumbibus argumentis. Sed *Brunnerus* receptam ſententiam rectè tuebatur.

Poſtea Hiſtoriæ Bavaricæ continuandæ negotium, quantum intelligo, *Jacobo Balde* datum eſt, viro docto, & ingenioſo ex eadem Societate, cujus & ſpecimina quædam Hiſtoriæ, ſed in noviſſimis, videre memini. Ille verò longi laboris parum patiens, carminibus animum, amicoſque oblectabat, aulæque convictu tantiſper fruebatur. Sed non magnos progreſſus feciſſe deprehenſus eſt; unde quidam in illum ita luſit:

Hic ſitus eſt, Bojam qui bibit Hiſtoriam.

Sed & ſeriùs ex Societate Jeſu *Johannes Biſſelius*, Ruinis Illuſtribus editis clarus, cum memorabilia ſeculi XVII. tradere aggreſſus fuiſſet, peculiari volumine, ſub titulo *Leonis Galeati*, Expeditionem *Maximiliani* deſcripſit, quæ Paragenſi victoria Auſtriacis regnum Bohemiæ aſſeruit.

Ipſum autem Hiſtoriæ Bavaricæ corpus tandem, repetita ab ovo materia, componendum creditum eſt *Johanni Adlzreitero*, arcani Conſilii Bavarici Cancellario, viro doctrina, & peritia inſigni. Is an ſub *Maximiliano* cæperit, haud ſcio; neque ipſe ait. Illud conſtat, filio ejus *Ferdinando Mariæ* Electori A. D. 1662. opus abſolutum dicaſſe. A multis pro certo affirmatur adjutum fuiſſe ſtylo cujuſdam *Warſuſæi*; *Balbinus Johannem Ferveaux* vocat, & Jeſuitam Lotharingum facit. Idem mihi Illuſtriſſimus *Boineburgius* olim confirmavit. Sed ipſi eruditio ſua ſufficere potuit, etſi fuerint fortaſſe, quorum opera uteretur. De conſilio ſuo in præfatione ita ferè loquitur: *Quamvis mihi non polliceret Velſeri nitorem, Raderi claritudinem, Brunneri numeroſam, & vix ulli imitabilem celſitatem; reperiré tamen aliquid viri clariſſimi, cur dicerent, ſe meam manum flagitare. Volucrunt ſcilicet eodem ſtylo, ac tenore in unum ſemel, ſimulque conferri, quæ ad noſtram uſque ætatem geſſere Boji.*

Equidem (ut verum fatear) putem, potuiſſe labore ſuperſederi, in his quæ *Brunnerus* jam dederat; & non rarò notaſſe mihi viſus ſum, ubi ab eo diſceſſum eſt, in melius itum non fuiſſe. Erat enim in illo viro præter cæteras laudes, quas *Alegambius* prædicat, non vulgare acumen conjunctum cum ſtudio veri. Dictio, fateor, paulo affectatior eſt, in ſumma tamen non ſpernenda. Quia tamen placuit uno tenore, & ſtylo deduci integrum Hiſtoriæ Boicæ corpus, etiam Brunneriana retractari neceſſe fuit. *Adlzreiterus* doctrinam ſuam, & Bavaricæ gloriæ ſtudium, multo minore quidem, ſed tamen erudito opere, jam antè oſtenderat, quod inſcribitur *Aſſertio Electoratûs Bavarici, Johannis Joachimi a Roſdorf vindiciis Palatinis oppoſita*, editaque anno Domini 1644.

Cæterum Hiſtoricum ejus opus in compendium non malè miſſum habemus ſermone Gallico, tunc, cùm Delphinus Principem Bavaram duxiſſet.

Poſtquàm de Autoribus Hiſtoriæ Bavaricæ primariis diximus, addamus aliquid de origine Gentis. Plerique tanquam rem confeſſam, exploratamque ſumunt, eos, qui nunc Bavari appellantur, omniaque inter Lycum, & Oenum amnes tenent, coloniaſque in Pannoniam proferentes, etiam Auſtriam impleverunt, a veteribus Bojis ortum habuiſſe. Inde ingens incrementum Hiſtoriæ Bavaricæ accedit: nam quæ Boji vel ſoli, vel cum aliis Celtis in Italia, Græcia, Aſiaque geſſere, ea *Aventinus*, *Velſerus*, *Brunnerus*, & *Adlzreiterus* doctè, eleganterque expoſuerunt. Sunt tamen, quibus hæc origo Bavarorum, a conſenſu nominum deducta, non magis certa videtur, quàm quod Cimmerii Homerici *Straboni* iidem cum Cimbris Germanis, Getæ veterum *Jornandi* iidem cum Gothis videntur; quæ viri nonnulli docti adeò non probant, ut etiam refutent. Et certè luſu quodam eventuum fit interdum, ut nomen pariter, & locus antiquæ gentis cum recentiore communis ſit, & tamen diverſiſſima ſit earum origo. Hujus rei exemplum indubitatum in Vinidis, ſeu Wendis habemus, qui idem penè nomen habent, quod antiqui Vandali, & ſucceſſere in eorum ſedes; & tamen gentes diverſiſſimæ ſunt; cùm Vandalos Germanicam gentem fuiſſe ex teſtimoniis veterum, Regumque nominibus planè conſtet; Vinidos autem Sarmatas, vel Slavos eſſe, lingua eorum manifeſtè evincat.

Ut ergò melius judicari poſſit, an Bavari ſint Bojorum progenies, altiùs paulo repetendæ ſunt Boicæ origines. Nomen Bojorum origine Germanicum eſſe veriſimile eſt; nam *Boij*, juvenem (*einen jungen*) majoribus noſtris ſignificaſſe, ex Anglo-Saxonico hodierno conjici poteſt. Reſpondet hodiernum Germanicum *Bube* vel *Bueb* (ut ſuperiores loquuntur) imò & Latinorum puer, & Græcorum παῖς, ut ſolent Celtica vocabula per totam penè Europam diffundi; ita ut hoc omne ferè idem ſit, quod *Kerl*, *Garçon*. Sciendum autem, vetera Gentium nomina interdum origine ſua nihil aliud ſignificare, quàm gentem, hominemve in univerſum; eodem ferè modo, quo ſæpè propria montium fluviorumque vocabula originariè nihil aliud, quàm montem, aut fluvium, aut ſimile aliquid in genere ſignificant. Sic *Alpes*, *Hils*, *Brenner* ſunt montes, colles, cacumina; *Viſeræ* vel *Wiſtulæ*, *Albis*, *Rheni*, *Salæ*, aliaque multa fluviorum vocabula, nihil aliud quàm aquam, aut fluvium vel in univerſum, vel circumſtantiis quibuſdam circumſcriptum (velut originis montanæ, curſûs violenti, guſtûs ſalſi) ſignificabant. *Sambia* Slavis eſt terra in univerſum, & hodie pro certa regione ſumitur. Sic *Teutones*, *Volcæ*, *Boji*, *Madures*, Gentes, populos, juvenes, viros denotabant. *Thiut* in veteri Germanico, & hodierno Saxonico plebejo,

plebejo, eſt gens, plebs; *Volc*, (vulgus) hodieque populus; *Boy* juvenem (*garçon*) ſignificare diximus; *Madur* ſeptentrionalibus Germanis, & Scythis eſt vir, unde *magd* hodieque etiam noſtris puella, quaſi vira, Madyares autem Hungari ſe ipſos vocant. Taliaque multa congeri poſſent. Sed nunc ad res Bojorum veniamus.

Eos antiquis jam temporibus multo ante *Julium Cæſarem* in Bojohemo (ut *Vellejus Paterculus* appellat) habitaſſe, quæ vox Bojorum patriam ſignificat, vel ex *Poſidonio* diſcimus apud *Strabonem* (lib. 7.) qui ſcripſit, Bojos quondam Hercyniam incoluiſſe ſylvam, ac Cimbros, cùm ad ea loca ſe contuliſſent, ab iis repulſos. Porrò Bohemiam Hercynio ſaltu cingi conſtat. Hanc regionem deinde, regnante *Auguſto* Cæſare, occupavit *Maroboduus*, & in eam cùm alios populos, tum Marcomannos populares ſuos induxit, ut diſertè habet idem *Strabo* non procul initio lib. 7. Idemque confirmat *Vellejus* libro 2. Gentem Marcomannorum *Maroboduo* Duce excitam ſedibus ſuis, in interiora refugientem (ſic lego, non in inferiora) incinctos Hercyniæ ſylvæ campos incoluiſſe. Denique *Tacitus* de moribus Germanorum c. 42. præcipua, inquit, Marcomannorum gloria, vireſque, atque ipſa etiam ſedes, pulſis olim Bojis, virtute parta. Idem c. 28. dixerat de Bojis, manere adhuc *Bojemi* nomen, ſignificareque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed *Velſerus* non malè ſuſpicatur, non tam ejectos a Marcomannis Bojos habitatores, quod ſine magno vicinarum gentium perturbatione fieri non potuiſſet, populo integro emigrante, quàm a *Maroboduo* ſubactos, & in unam cum Marcomannis victoribus rempublicam compactos, in nomen ipſorum abiiſſe. Marcomannos *Cluverius* putat in iis locis prius habitaſſe, quæ nunc Sueviam appellamus, atque ideo inter *Arioviſti* auxilia fuiſſe; loca ab iis deſerta deinde occupaſſe colluviem eorum, qui decumates agros coluere, poſtea Allemanni dicti: alii potiùs in Moravia ad Marcam fluvium egiſſe Marcomannos arbitrantur. Sed hoc definire nihil intereſt in rem noſtram.

Porrò Boji antiquitùs non tantùm egere in Bojohemo, ſed etiam ex ea regione progreſſi, in Noricum, Pannoniam, Italiam Galliamque ipſam ſe diffuderunt. Memoratur ad confluentes Oeni, & Danubii urbs Bojodurum, quæ hodie eſt Paſſàvienſe oppidum, vel ei oppoſita Oenopolis (Inſtadt) Bojorum tranſeuntium veſtigium. Tranſiniſſo Danubio ad Alpes uſque, & in Pannoniam ſeſe extenderunt. Itaque *Strabo* lib. 7. p. 203. a Vindelicis (ſeu Oeno fluvio) uſque ad Pannoniam Bojorum ſolitudinem protendit. Et eodem libro p. 210. ſeq. refert, Bojos, qui ſub *Critaſiro* erant, *Auguſti* ætate, a *Bœrebiſta* Getarum Rege fuiſſe deletos. Getarum autem (qui & Daci) ſitum indicat autor, dum ait, Mariſum fluvium per Getas labi. Ex quibus intelligi poteſt, Bojorum deſerta propriè in Pannonia eſſe collocanda, ſeu in ea regio-

ne, quam hodie Hungariam inferiorem appellamus. Habitabant ergò etiam in Norico Boji, id eſt, in regione inter Oenum, Pannoniam, & Alpes poſita, ſed ita tamen, ut interiora montium, mari Hadriatico vicina, alii populi tenerent; in quos illi impreſſionem facientes, paulo ante *Julii Cæſaris* expeditionem Gallicam, urbem Noricam, vel ut alii legunt, Norejam oppugnarunt, ut ipſe *Cæſar* habet belli Gallici libro 1, quo nomine Labacum, vel alium locum vicinum intelligi putem.

Diffundebantur autem tam latè, ut etiam Helvetios attingerent. Hinc *Strabo* lib. 4. p. 142. Rhætos, & Vindelicos Helvetiis, & Bojis conterminos eſſe, & eorum campis imminere dixit. Et hinc factum eſt, ut Helvetii, cùm regione ſua egrederentur, expeditionem in Galliam facerent, Bojorum manum (triginta duo capitum millia fuere, quorum quarta pars amati) ex ea gente, quæ in Norico Norejam oppugnarat, ſocios expeditionis ſibi aſciſcerent, ut *Cæſar* dicto loco narrat; qui etiam addit, poſtea, cùm victi eſſent Helvetii, & domum remitterentur, Bojos in Gallia manſiſſe, & petentibus Æduis, quòd egregia virtute eſſent, conceſſos, ut in finibus ſuis eos collocarent. Neque alibi ſedè in Gallia Boji apud veteres apparent. Neque tamen putandum eſt, omnes Bojos ex Norico ad Helvetios acceſſiſſe; nam poſtea, *Auguſti Cæſaris* tempore demum, in Pannonia cum *Bærebiſta* conflixere. Neque etiam putandum eſt, omnes illos Bojos in Norico agentes, ex illis fuiſſe exulibus, qui poſt cladem, a *Scipione Naſica* aliiſque Romanorum Ducibus illatam, ſuperſtites circa annum Urbis conditæ 566. *M. Valerio Meſſala*, & *C. Livio Salinatore* Conſulibus, in Noricum ad Tauriſcos ſe recepere, ut habent *Strabo*, & *Julius Obſequens* lib. de prodigiis, tametſi *Strabo* hoc innuere videatur, cùm ait lib. 5. p. 147: *Bojos Romani ſuis domiciliis ejecerunt, qui deinde ad Iſtrum cùm commigraſſent, apud Tauriſcos habitarunt, bellumque contra Dacos geſſerunt, donec tota ipſorum gens funditus eſt exciſa, & agrum, qui ad Illiricum pertinet, deſertum, ac pecoribus paſcuum vicinis reliquerunt.* Multo enim veriſimilius eſt, Bojos Italia pulſos, paucos utique tot cladibus ſuperſtites, a popularibus ſuis receptos, quàm tam amplum terrarum tractum, ab Helvetiis uſque ad Dacos pulſis ferociſſimis gentibus, occupaſſe.

Et ſanè ipſos, Italiæ Bojos ex his, ad dextram Iſtri ripam uſque ad Alpes habitantibus, veniſſe credendum eſt. Nam ut Græci ſub Celtarum nomine, ita Latini ſub appellatione Gallorum, tam Gallos propriè dictos, quàm Germanos, comprehenderunt, cùm præſertim gentes lingua, atque olim etiam moribus ſimillimæ eſſent, antequàm Galli cultum majorem recepere. Atque hinc etiam *Livius* gentes Alpinas Semigermanicas appellavit, ubi de *Hannibalis* itinere ratiocinatus eſt, & proinde credibile eſt, omnes Gallos, qui ab hac Rheni parte memorantur

rantur a veteribus, & ad Pannonas uſque diffundebantur, revera Germanos fuiſſe. Unde facilis illatio eſt, Gallos, qui in Græciam, ipſamque Aſiam progreſſi dicuntur, ex Bojis aliiſque vicinis Germanis fuiſſe profectos. Itaque & inter Galatas recenſentur Toliſtoboji; & licèt etiam Tectoſages inter eos memorentur, non ideò eos putandum eſt ab illis veniſſe Tectoſagibus, qui in Gallia Narbonenſi longè remoti colebant; ſed, ut ſæpè fit, diverſis gentibus idem nomen fuiſſe, præſertim cùm eadem ferè lingua uterentur. Sic Svedi, & Svitenſes in Helvetia cognatum nomen habent; nec tamen cum quibuſdam putandum eſt, illos ex his ortos. Equidem ſunt qui Bojos ipſos ex Gallia veniſſe putant tum, cùm ſub Rege *Ambigato* centeſimo quinquageſimo ferè anno ab urbe Roma condita, Galli multitudine laborantes juventutem emiſiſſe dicuntur, ducibus *Belloveſo* in Italiam, *Sigeveſo* in Herciniam ſortibus deſtinato. Sed verendum eſt, ne hæc poſteriorum commenta fuerint: nam antiquis illis temporibus Galli ſcriptoribus carebant, & vix credibile eſt, indifferens fuiſſe, & ſorti commiſſum, utrum in Italiam florentiſſimam, an in aſperrimam Hercyniam eundum eſſet: in qua, ſi unquam ex Gallia homines profecti ſunt, neceſſitate, & ſeditionibus pulſos veniſſe putandum eſt, non ſponte. Et fortaſſe ipſum nomen Bojorum in Germania, quos Latini præjudicio quodam ſuo ex Gallia veniſſe putarunt (obliti, olim Gallos Germanis confuſos) Gallorum in Italiam ſimul, Hercyniamque migrationi comminiſcendæ occaſionem præbuit. Sed his miſſis, ſufficit, Bojorum certiores ſedes, migrationes, expeditiones, clades, hactenùs paucis attigiſſe.

Nunc autem poſt *Auguſti Cæſaris* tempora ſubitò omnis diſparuit Bojorum in Germania mentio, vetuſque, & clarum nomen aliis ſuccedentibus abſorptum eſt, Marcomannorum imprimis, qui celeberrimum bellum cum *Marco Aurelio Antonino* geſſere; poſt quos deinde illinc Gothi, hinc Allemanni, & Franci celebrati ſunt. Tandem poſt Magnum *Conſtantinum* Bajoarii audiri cœpere *Velſeri* ſententia eſt, adventantibus Czechis Slavonicis populis, Bohemia pulſos Bojos, in Nariſcis primum, Palatinatu ſcilicet ſuperiore, ac vicinis locis conſediſſe, atque tandem trajecto Danubio in Vindeliciam, id eſt, præſentes ſedes emigraſſe. *Theodonem* Ducem, *Theoderico* Oſtrogothorum Rege in Italiâ regnante, Bojis vel Bajoariis præfuiſſe, *Arnpeckius*, *Aventinus*, *Velſerus*, *Brunnerus*, *Adlzreiterus* docent, domeſticos, ſed valdè recentes ſecuti annales. Ac cæteri quidem *Theodone* Duce adveniſſe putant: ſed *Adlzreiterus* pulſos olim a *Marcoduo* Bojos, ſemper in Vindelicia ſub Romanis hæſiſſe, ad *Theodonis* uſque tempora mavult, quibus hunc proprium Principem agnoverint. Sed vereor ego, ne totum hoc de antiquo illo *Theodone* Bajoario, *Theodorici* Regis æquali, commentitium ſit, cùm nullo veterum teſtimonio nitatur. Bavaros autem, vel ut tunc appella-

appellabantur, Bajoarios, non *Theodorici* primum aut *Juſtiniani* Magni ævo in has regiones veniſſe, ſed jam aliquamdiu in illis egiſſe, etiam ipſe veriſimilius cenſeo. Sed & Bojos ibi egiſſe arbitror, etiam antequam *Marobodnus* Bojohemum occuparet.

Equidem autores adducunt *Jornandis* locum, qui paulo poſt Gothos a *Juſtiniano* everſos ſcripſit, & primus ſub *Bajobarorum* nomine gentis in his ſedibus mentionem feciſſe creditur. Refert enim cap. 55. tempore *Leonis* Auguſti, *Theodemirum*, Gothorum orientalium Regem, transmiſſo hyeme Danubio, in Suavos irruiſſe. Tum addit: *Regio illa Suavorum ab Oriente* Bajobaros *habet*, *ab Occidente Francos*, *a Meridie Burgundiones*, *a Septentrione Thuringos*; quod de ſuo tempore intelligit, non illo *Theodemiri*. Sed ego locum notavi autoris longè prioris, qui jam Bajoariorum mentionem facit, quem ne *Cluverius* quidem obſervavit. Is eſt *Rutilius Claudius Munatianus*, qui, ut ipſe indicat, Romæ anno Urbis conditæ 1169. (id eſt, ex *Voſſii* computo Chriſti 417, *Honorio* Auguſto undecimum, & *Fl. Conſtantino* ſecundum Coſſ.) præfecturam urbicam adminiſtravit, & in ſuo itinerario, vel de reditu libro, *Bojoarii* obſtantis mentionem facit. Ex quo intelligimus, in his locis, ubi nunc ſunt, ſediſſe hanc gentem longè antequàm Slavi in Bojohemum ſunt ingreſſi. Nam Slavonicarum gentium irruptiones *Jornandis* demum ætate contigere, ut ipſe indicat cap. 23. cùm ait: *Vinidi*, *Antes*, *Slavi*, *quamvis* nunc, *ita facientibus peccatis noſtris*, *ubique deſæviunt*, *tamen tunc omnes Hermanarici imperii ſerviere.*

Itaque concidentibus illis, quæ de migratione Bavarorum in Vindeliciam dicebantur, non video, cur non partem Bojorum veterum Subalpinorum in ea regione, in qua eoſdem olim habitaſſe conſtat, hæſiſſe ponamus, nomen (ſub exigua forſan mutatione) in aliquo tractu mediocri, vel pago, tametſi Hiſtoricis, aut Geographis non memorato, conſervantes; ex quo deinde felici aliquo armorum ſucceſſu ſe rursùs diffuderint, & celebritatem receperint. Certè plurimos pagos, vel tractus antiqui nominis exhibent Diplomata, quorum nulla apud autores mentio fuit. Ita videmus Cattorum diù obliteratum, & per multa ſæcula ſcriptorum ſilentio obrutum nomen in Haſſis revixiſſe, qui pagum Heſſi, vel Helligen, Carolini ævi ſcriptoribus primum memoratum, tenuere. Et Boji Germanica terminatione *Bojer*, vel, apertiore ſono *Bajer*, uti hodie ſibi, viciniſque dicuntur, ob lentiorem pronuntiandi tractum, facilè in Bajoarios, aut Bajobaros abiere, ex quibus, ſatis ineptè Latinizantes poſteri, Bavaros fecere. Notandum etiam eſt, cùm Noricum olim a Vindelicia Oeno fluvio, a Pannonia monte Caetio ſepararetur; poſterioribus temporibus Noricum etiam Vindeliciam complecti cœpiſſe, & ad Lycum uſque fluvium extenſum fuiſſe, eamque omnem regionem etiam vel Ducatu, vel (ſub Carolinis) regno

Bavariæ

Bavariæ fuiſſe comprehenſam, ad mare uſque Hadriaticum, & Italiæ fines; donec Auſtria *Friderici primi* Auguſti autoritate a Bavariæ corpore avulſa eſt, & poſtea etiam Stiria, Carinthia, Carniola, & Meraniæ, vel Tirolis regio Auſtriacis acceſſit. Unde cùm in circulos tandem divideretur Germania, Bavaricus multo arctior factus eſt vetere Bavariæ regno.

Sed hæc pauca præfationi in luculentum opus ſufficient, cujus ad pervolutionem feſtinantem Lectorem diutiùs non morabimur. Utile autem viſum eſt *Brunneri* pariter, atque *Adlzreiteri* novam editionem dari, quod quærerentur ſæpè, nec facilè haberi poſſent.

PRÆFATIO

Libro inſcripto

HISTORIA ARCANA,

ſive de vita

ALEXANDRI VI. PAPÆ,

ſeu excerpta ex diario

JOHANNIS BURCHARDI

Argentinenſis, Capellæ Alexandri ſexti Papæ Clerici ceremoniarum Magiſtri:

edita a G. G. LEIBNITIO,

Hanoveræ anno 1697.

NECDOTE Arcana Hiſtoriæ exemplum apud antiquos *Procopius* dedit, qui flagitia aulæ *Juſtiniani* Imperatoris occultato libro, nec niſi poſt Autoris obitum edendo complexus eſt; quanquam multi odio magis hominum, quàm veritatis amore impulſum credant. Nomen Anecdoti operis (*des Anecdotes*) renovavit nuper in Galliâ ſcriptor elegans, rem ipſam non ſatis. Rectiùs ad libellum ſub Rege *Ludovico XI.* ſcriptum, qui extat titulo *Chronici ſcandaloſi*, accommodes; & ad præſens *vitæ Alexandri VI. excerptum.* Hujus enim aulâ nihil fortaſſe unquam vidit Urbs vel Orbis, certantibus inter ſe tribus vitiis capitalibus, libidine, perfidiâ, crudelitate; quibus faſtigium imponebat impietas, ſacro Eccleſiæ ſchemate velata, ut ſcelerum palmam omnibus retrò ſeculis dubiam facere velle videretur. *Lucretia Alexandri* filia

filia veterem illam cognominem, vindicato pudore celebratam, famâ contrariâ ſuperavit. *Cæſar Borgia Dux Valentinus*, geminato fratricidio, & ſororis ſtupro nobilis, perjuriis, veneficiis, percuſſoribus ita uſus, ut patre ſe dignum probârit; memorabile tamen exemplum orbi dedit criminum infructuosè conſumptorum; captivus denique, extorris, odii publici victima, & quicquid etiam *Machiavellus* judicaverit deteſtandæ potiùs quàm commendandæ tyrannidi perpetuò valiturus. Ut qualem poetæ fingerent tragœdiam a divinâ providentiâ in ipſo editam credas.

Res igitur *Roderici*, & *Cæſaris Borgiarum*, Patris & filii, ſcripſere multi eloquentes viri, ſed jucundum tamen & proficuum erit, legere quæ in literas retulit ſimplici ſtylo, & quantum judicare licet, odio & amore procul, teſtis rerum, in dignitate conſtitutus multaque aperiens, undè rectius judicium feras. Is fuit *Johannes Burchardus* Patriæ Argentinenſis, Magiſter Ceremoniarum in aulâ Romanâ, etiam Eccleſiæ Hortanæ a *Julio II.* Papa præfectus. Integrum ejus diarium in manus noſtras non pervenit. Excerptis itaque contentos nos eſſe oportet, in quibus complura etiam memorabilia continentur de expeditione *Caroli VIII. Galliæ Regis* in Italiam, & receptione ejus in urbe Româ, habitiſque a Papâ honoribus; & de fratre *Bajazetis* Turcarum Principis, Sultano *Zeme*, [apud noſtrum ad Italicæ pronuntiationis modum *Gem* dicto] quem Rex Papa extorſit. Et *de commercio inter Papam & Turcam*, nuſquam clariùs expoſito; hic enim ipſæ mutuæ literæ, & Pontificii nuntii mandata exhibentur. Ex quibus intelligitur, eouſque inter eos amicitiam profeciſſe, ut etiam in nominandis Cardinalibus Romanæ Sedis, ratio Turcicæ commendationis haberetur. Vixit illis temporibus Frater *Hieronymus Savonarola* ordinis Prædicatorum, magnæ diu apud Florentinos autoritatis, ut reſpublica quoque ejus conſiliis adminiſtraretur. Hunc multi Proteſtantium numerant inter teſtes veritatis; ſcripta certè laudem merentur: *Cominæus*, qui vidit, penè ut prophetam commendat. *Burchardus* & Pontificis & ipſius literas, & fortuna cataſtrophen tragicam exhibet; cujus narratio, ſi fida eſt, *Savonarolam* inter improbos ſanctitatis ſimulatores collocare oportet: quod tamen in medio relinquo; nam potuit noſter decipi narrationibus falſis de homine in aula exoſo; nec ſatis tutò creditur confeſſionibus per tormenta expreſſis, niſi aliundè adjuventur. Profuerit tamen ad cautionem hæc legiſſe, ne quem ideò laudemus effuſiùs, quia odio Papæ nobilitatur. Cæterùm *Alexandri Sexti* crimina nemo æquus ad Papatûs vituperationem retulerit; niſi fortè per recriminationem, quâ careri poſſe malim. Improbitatem hominis agnoſcunt, quia nemini in colendâ Romanâ Eccleſiâ concedunt. Quin potiùs intereſt Pontificis nominis, apparere quanto intervallo præſens Romæ facies diſtet ab illa quæ ducentis abhinc annis fuit. Neque enim temerè hodiè Pontifices maximos

fieri conſtat, niſi qui magnis laudibus eminent, & Cardinales ſimiles plerumque ab ipſis leguntur. Vitia erunt donec homines: interea ademto ſceleribus regno, egregios viros Romæ in throno collocari, noſtris temporibus gratulabuntur etiam qui Romæ non favent.

Claudam præfationem hoc uno adhuc obſervato: *Burchardum* Ceremoniarum in Romanâ curiâ Magiſtrum quædam digniſſima notatu conſignaſſe *de actis inter Legatos circa honores & præcedentiam*, & vel ob hanc cauſam meritum produci. Ita potior Hungarus, Scoto pag. 4. Montferratenſis, Senenſi ibid. Electores, Duce Burgundiæ ibid. Rex Romanus, Hiſpano p. 6. Gallo & Hiſpano p. 65. Addatur de lue inter Venetos & Sabaudos p. 24. Quomodo oratores Franciæ & Hiſpaniæ *percuſſerunt ſe cum capellis* p. 107. & res ita compoſita eſt, ut Hiſpanus primò Gallis cederet, ſecundò præferretur. Ne quid dicam de quæſtione utrum Cardinalis pro Rege legationem apud Papam obire poſſit, aliiſque id genus, quæ in brevi libello legi poſſunt.

PRÆFATIO

Ad Chronicon Cœnobii Montis-Francorum Goslariæ, editum Francofurti anno 1698. in 4°. (a).

MUlta in cœnobiorum ſcriniis, & arcanis penetralibus abdita latere, quæ ad illuſtrandum ſtudium hiſtoricum apprimè faciunt, nemo facilè negaverit, cui facultas conceſſa eſt, ſitu obſita, a muribus arroſa, & a blattis exeſa eorumdem documenta, diplomata, privilegia, tabulas & literas paulò accuratiùs inſpiciendi. Nec enim ea ad ſacram ſaltem, ſed etiam ad profanam hiſtoriam explicandam utiliſſima, imò quàm maximè ſunt neceſſaria. Inde cœnobiorum, templorum, fanorum & ſacellorum ortus, altarium fundationes, & dotationes, ordinum monaſticorum, fraternitatum, ſolemnium ſacrorum, & rituum obſoletorum inſtitutiones, Paparum, Archipræſulum, Abbatum, Abbatiſſarum, Præpoſitorum & Prioriſſarum cujuſque eccleſiæ, indubitata ſeries, privilegia peculiaria ſacris locis conceſſa, ac demum fata, nec

(a) Ignota fuit hæc Præfatio ſcriptoribus qui catalogum Leibnitianorum operum dedêre. Illam præfixit *Leibnitius* noſter Chronico Montis-Francorum Goslariæ; cùm autem verus hujuſce Chronici auctor, ſe cognoſcendum non præbuerat, non defuerunt qui falsò illud D. *Leibnitio* tribuerunt. Sed indubitandum auctorem habuit *Chriſt. Lud. Kotzebucium* Medic. *Ernſti Auguſti* Electoris Brunſvicenſis primi. Vid. *Gelehrten Lexicon D. Joecher Tom. II. ad vocem Kotzebucii*, & *Bibliothec. Hiſtoric. Struvio-Buderianam Cap. XVII. §. 28. p. 1032.*

Digitized by Google

nec non incrementa, & decrementa quarumvis Eccleſiarum, unicè ferè depromi poſſunt. Præterea nemo eſt, qui ignorat quantum emolumenti hiſtoriæ profanæ e diplomatum adminiculis accedat: quippe quæ bellorum veras origines, pacificationes, fœdera, permutationes, pacta antiqua, priſcorum locorum nomina, terminos, diſtinctionem, temporum accuratiſſimam ſupputationem, imò Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, Dynaſtarum, & nobilium cujuslibet regionis ſtirpes, aliàs vel ſub oblivionis ſqualore ſepultas, vel ſanè dubiis inextricabilibus involutas, luce meridiana clariùs ob oculos ponunt.

Hæc me quoque perpulere, ut collectis haud paucis Tabulis authenticis, hiſtoriam cœnobii Montis-Francorum Goslariæ contexere decreverim. Haud equidem diffiteor, tantas mihi vires minimè eſſe, ut tale quid nitore debito, juſtaque poſſim perficere elegantiâ: Id enim à viris in re hiſtoricâ verſatiſſimis (quales inter innumeros alios ſunt inſignes illi *Meibomii*, avus & nepos) ſaltem expectandum erit. Non tamen ideò animum deſpondi, ſat habens, qui tantorum virorum exempla, hoc eſt tanquam umbra corpus, ſequar, & laboris impenſi præmium ſufficiens relaturus, ſi vel minimi quid in hâc opellâ occurrerit, quod lectori hiſtoriarum amanti aliqualiter ſatisfecerit.

Exhibet verò hoc Chronicon tam urbis, in quâ ſitum eſt, quàm Cœnobii ipſius, quantum haberi poſſunt origines. His junguntur ſecundùm annorum ſeriem, res hinc indè occurrentes, & memoriâ dignæ, interſperſa brevi eorum narratione, quæ in vicinis terris ſuo quæque tempore contigere. Nec ſeriem Prælulum Hildeſienſium omittere fas duxi; quippe qui Francobergenſium dioeceſani fuere, atque adeò jure merito ſuo ordine enarrari debuere. Tandem de familiis Comitum, Dynaſtarum, & nobilium hiſce in terris quondam longè lateque florentium quædam hinc inde addidi, ſperans fore, ut hæc quoque lectori haud ſint ingrata. Hoc, quicquid eſt, opellæ tibi offero B. L. ex animo optans, ut lectu digni quid in eadem tibi occurrat, operam, ſi id conſequar, daturus, quò adhuc unum, aut alterum ejuſmodi chronicon, plura, nec lectu forſan injucunda continens, ſuo tempore Francobergenſe noſtrum ſequatur. (b) Hiſce vale, benevole & ſincere Lector, errores humanos hinc inde dubio procul ſæpiùs obvios, ut homo, humaniter ferens. *Dabam e Muſeo III. Cal. Jul. anno MDCXCVII.*

(b) Revera idem *Kotzebucius* paulo poſt publicavit *Chronicon Hamelenſe*. Loc. cit.

NOTITIA DE HISTORIA BRUNSVICENSI,

quam edere paraverat

G. G. LEIBNITIUS.

Ex Actis Eruditorum anni 1717. *excerpta.*

DE Hiſtoria ſua Brunſvicenſi ſequentia in ſcheda annotata reliquit Illuſtris *Leibnitius.*

» Annales originum Brunſvicenſium complectentur res Imperii occi-
» dentis ab initio Regni *Caroli Magni* uſque ad finem *Henrici II.* Impe-
» ratoris, & ita ab anno Domini 769. uſque ad a. D. 1025. In iis
» habebuntur antiquitates Saxonicæ ad ſtirpem *Witikindeam*, res ſuperio-
» ris Germaniæ ad ſtirpem *Welficam*, res Longobardicæ ad ſtirpem ve-
» terum Ducum & Marchionum Tuſciæ & Liguriæ ſpectantes. Ab
» his enim omnibus Duces Brunſvicenſes ſunt orti, & regiones habue-
» runt; itaque totius Imperii Hiſtoriam per illa tempora explicari ne-
» ceſſe fuit; & poſt tres Imperatorum, vel Regum veteris Lineæ Brunſ-
» vicenſis, nempe *Henrici Aucupis*, trium *Ottonum*, & *Henrici ſecundi*,
» in quæ tempora incidunt etiam cæteræ origines.

» Præmittetur his Annalibus quædam diſſertatio de antiquiſſimo ha-
» rum regionum ſtatu, qui ante Hiſtoricos ex naturæ veſtigiis haberi
» poteſt; & alia de migrationibus gentium, præſertim quæ in has re-
» giones venere. Et ſubjicietur Annalibus deductio Genealogica Guel-
» fica, ſeu Brunſvicenſis ad noſtra uſque tempora ex Tabulariis eruta,
» brevem ſed accuratam familiæ totius Hiſtoriam complexa, eminen-
» tium familiarum, velut Gibellinæ, Auſtriacæ veteris & novæ, An-
» degavenſis, Anglicæ, Schirenſis, ſeu Bavaro-Palatinæ &c. Genea-
» logiis longè melius quàm hactenùs conſtitutis. Per documenta etiam
» conſtituetur exactè Chronologia ſæculi noni & decimi cum parte
» octavi & undecimi, quæ hactenùs miris tenebris involuta fuere,
» adjecta etiam Diſſertatiuncula, quæ inſcribetur: *Flores ſparſi in tumu-*
» *lum Papiſſæ*, ubi novis illatis in Hiſtoriam luminibus fabula illa ex-
» plodetur, quæ ſolis hactenùs tenebris chronologicis ſe tuebatur. De-
» nique auſim dicere, nihil tale ad Hiſtoriam mediam hactenùs prodiiſ-
» ſe, in quo tam multi ſunt ſublati errores in Imperii rebus per Ger-
» maniam, Italiamque, & res in clariore luce poſitæ. Bina erunt vo-
» lumina in folii forma, ut vocant, tabulis æneis veterum monumen-
» torum, documentorum, ſigillorum, numiſmatum ornata. «

Ex

Ex literis Cl. *Eccardi*, qui in munere Hiſtoriographi Domûs Brunſvicenſis *Leibnitio* ſucceſſit, habemus, quod Vir illuſtris Tractatus de Naturalibus regionis tantùm ideam quamdam, quam animo conceperat, in ſchedis ſuis delineaverit; de migrationibus gentium verò nihil adhuc in chartam conjecerit. In ipſa Hiſtoria ab initio regni *Caroli M.* uſque ad A. 1005. pervenit. Deductiones chronologicæ omnes, præter majores *Azonis Marchionis*, debentur ſtudio *Eccardi*, etiam reliqua ſuppleturi, quæ adhuc deſiderantur. Idem ſpem facit, fore ut duo Tomi priores, in quibus nodi difficillimi genealogici ſolvuntur, & origines omnium familiarum illuſtrium in Europa explicantur, anno ſequente in publicum prodeant. Cætera verò ab anno Domini 1025. uſque ad *Ottonem* primum Ducem Brunſvicenſem & Luneburgenſem ante quinquennium vix comparebunt.

LETTRE

LETTRE DE M. LEIBNIZ
SUR LA CONNEXION
DES MAISONS DE BRUNSVIC ET D'ESTE.

Tirée du tom. 3. de Kortholt.

LE mariage conclu entre Monſeigneur le Duc de Modéne & Madame la Princeſſe de Brunſvic, fille ainée de feu Monſeigneur le Duc *Jean Frederic*, me donne occaſion d'eclaircir quelques points d'hiſtoire de cette Séréniſſime Maiſon, dont je ſuis bien aiſe de vous faire part. Les auteurs demeurent d'accord que l'origine des Maiſons de Brunſvic & d'Eſte eſt commune, en ſorte qu'elles deſcendent d'une même tige, en ligne droite maſculine. Il eſt vrai, que de très habiles gens l'ont revoqué en doute depuis peu, parce que ces mêmes hiſtoriens qui l'avoient annoncé, en ont parlé preſque ſans fondement, & y ont mêlé bien des fautes. Mais j'en ai trouvé des preuves convainquantes, & je crois avoir rectifié leurs raports.

Azon, appellé dans quelques titres *Albertus*, qui eſt *Azo*, & *Magnus Marchio* dans un ancien monument, étoit le plus grand Prince de Lombardie en ſon tems: il étoit puiſſant dans le Milanois, & dans la Ligurie vers Gènes; mais outre cela il poſſedoit Eſte, Calaone & pluſieurs terres entre Ravenne & Veniſe. Comme je ne dois parler ici que de la connexion des deux grandes Maiſons dont il fait la tige, je ne veux point remonter plus haut preſentement.

On peut juger cependant de l'antiquité de ſa famille, puiſqu'elle étoit deja ſi grande il y a plus de ſept cent ans. Il doit être né ſur la fin du dixiéme ſiécle, c'eſt-à-dire, avant l'an 1000, s'il eſt mort âgé de plus de 100 ans, comme le raporte un auteur de ce tems là. Notre *Azon* fut contemporain de la fameuſe *Mathilde*, & même ſes deſcendans en eurent la ſucceſſion en partie. Ce fut conjointement avec elle, qu'il moyenna quelque accommodement entre l'Empereur *Henri IV.* & le Pape *Grégoire VII*, & il parut en pluſieurs autres occaſions

ſions importantes. Il eut des enfans de deux femmes, dont la premiere fut *Cunigonde*, héritiére des anciens *Guelphes* de la haute Allemagne, qui avoient leurs terres en Baviére & en Souabe juſqu'au lac de Conſtance, & l'Impératrice *Judith*, femme de *Louis le Debonnaire*, fut fille d'un *Guelphe* de cette maiſon là, qu'on croit avoir été une branche des anciens *Agilolfingiens*, qui ſuivant les loix des peuples de Baviére, en devoient avoir la Principauté. *Azon* eut de *Cunigonde* un fils nommé auſſi *Guelphe*, qui obtint les Etats échus par la mort de ſon oncle maternel, & depuis fut fait Duc de Baviére par l'Empereur *Henri IV.* Il fit entr'autres exploits l'expédition de la Terre ſainte, & mourut dans l'iſle de Chypre en retournant. *Guelphe* ſon fils ainé étant mort ſans enfans, le ſecond, *Henri* dit le *Noir*, lui ſuccéda, & eut en mariage *Wulfhilde* fille de *Magnus* dernier Duc de Saxe de ſa race. De ce mariage naquit *Henri* ſurnommé le *Guelphe* chez quelques auteurs anciens, qui épouſa la fille de l'Empereur *Lothaire*, auparavant Duc de Saxe, à la place du Duc *Magnus*: & ce fut ainſi qu'*Henri le Guelphe* joignit le Duché de Saxe à celui de Baviére. Son fils *Henri* ſurnommé le *Lion* recueillit encore par ſa mère la ſucceſſion des anciens. Il ſoumit à ſa domination pluſieurs peuples, Slaves ou Wendes, qu'il reduiſit à la foi de JESUS-CHRIST & à l'obeiſſance qu'ils devoient à l'Empire & à lui. Il y fonda les Evêchés de Lubec, de Severin, & de Ratzebourg. Il fut un des plus grands Princes de ſon tems, ayant recouvert la Baviére, que l'Empereur *Conrad*, ſucceſſeur de *Lothaire*, avoit ôtée à ſon père, & donnée au Marquis d'Autriche. Pour conſoler l'Autrichien, on le fit Duc lui-même, au lieu qu'il avoit relevé auparavant de celui de Baviére, & on lui laiſſa quelques Comtés détachées, qu'on croit avoir été ce qui s'appelle aujourd'hui la haute Autriche. Pour *Henri le Lion*, comme il avoit, même en Italie, de belles terres de la ſucceſſion d'*Azon*, & peut-être auſſi de celle de *Mathilde*, on diſoit de lui, & même deja de ſon père, qu'il dominoit *à mari ad mare*, depuis la mer de Sicile, (comme parle un ancien) juſqu'à l'Ocean Germanique, & même juſqu'à la mer Baltique, où quelques-unes de ſes loix ſubſiſtent encore. Et j'ai trouvé qu'il avoit été deſtiné à l'Empire du conſentement des Etats par l'Empereur *Frederic I.* en cas d'extinction de la maiſon de Souabe. Car ils étoient proches parens, ayant le même grand-père, qui étoit *Henri le Noir.*

Mais ce même *Frederic* ayant eu depuis des enfans mâles, eut jalouſie de ſon ami, & en machina la ruine par une conſpiration generale des Princes voiſins, dont l'Empereur ſe déclara le chef, au lieu de juge qu'il devoit être; ce qui fit perdre la Baviére à *Henri le Lion*, & une partie des terres de Saxe, principalement en Weſtphalie [qu'on comprenoit ſous la Saxe en ce tems-là] avec une grande partie des

terres qu'il avoit conquiſes ſur les Slaves. Son fils *Otton IV.* quoique cadet, ne laiſſa pas de parvenir à l'Empire.

V. Utinam a te impetrari poſſit, vir eximie, quod ſæpe optavi, ut tot præclara inventa, cogitata, obſervata, quibus quidquid eſt ſummorum Mathematicorum provocare poſſis, ne diutius premas. Si gloria tua, ſi patriæ non movet, at utilitas publica vilis tibi eſſe non poteſt. Quod ſupereſt, vale & mihi fave. *Dabam Berolini* 27. *Januar.* 1703.

P. S. Ego intra paucos dies hinc abeo, itaque ſi quid jubebis forte, Hanoveram mandata perferri poterunt, modo Hamburgum literæ mittantur *in das Habrburger Haus, oder Habrburger Hof*, ubi poſtæ Brunſvigo-Luneburgicæ ſedes. Incluſas ad Generoſiſſimum *Waltherum* curari peto, alteraſque ad celeberrimum *Sperlingium*. Si quæ occaſio ſeſe offerat a me

a me ſalutandi excellentes viros Dn. *de Frankenau*, *Caſparem Bartholinum*, & *Oligerum Jacobæum*, rogo ut ea uti velis.

V.

IDEM EIDEM.

I. *De inventis Roemerianis.* II. Caſſini *de paralaxi ſtellæ Polaris ſententia.* III. *De perficienda Gregoriana temporis emendatione conſilia.*

I. DIu me Berolini adverſa valetudo tenuerat; inde nuper Hanoveram redux gratiſſimas a te literas inveni, quæ hic moram traxerant, dum meus indies adventus expectatur. Itaque veniam tardioris reſponſionis peto. Quum te merito tuo inter principes Mathematicos & præſertim Aſtronomos colam, gaudeo, & valere te magna ſpe augendæ ſcientiæ, & noſtrorum Berolinenſium conſiliis favere, qui plurimum ſemper deferent tuis: & mei denique amorem conſervare, qui tua gloria meritiſſima ita delector, ut pene nimiæ modeſtiæ iraſcar, qua pulcherrima tua inventa premis. Neque excuſationes accipio, quaſi aut ſcribendi difficultate aut ipſa imperfectione meditatorum retineare. Nam plus una te lingua valere novimus, & tria ante tot annos abſoluta inventa pulcherrima habes, quæ a te ipſo ita deſcribi velim, ut ſimul inveniendi veſtigia oſtendas. Horum inventorum primum eſt figura Epicycloidalis rotarum dentibus & inprimis brachiis, vectis in modum ducentibus debita. Neque enim quæ *li Hirius* nuper edidit, tuorum deſiderium minuunt. Alterum eſt magni ad Phyſicam momenti demonſtratio, quod lumen in tempore feratur, quam vellem prolixius exponi. Tertium eſt machina tua planetaria, quæ ipſi Sinenſium Monarchæ admirationi fuit. Hanc ut deſcribas ipſe, velim te incitari poſthumi Hugeniani operis exemplo, quod nuper Cl. *Wolderi* miſſu accepi. Nec dubito, quin alia habeas multa. Sed volui tantùm nota omnibus attingere. Quæ quum ſint tibi in promtu dudum, præclaris tuis pro reſtituenda Aſtronomia laboribus non intercedent. Quorum cauſa hortabor *Kirchium*, ut tui commercii litterarii magno ſanè beneficio frui ſtudeat, unde utilitas in rempublicam & ſpeciatim in ſocietatem redundabit, cujus membris Berolinenſibus eo ipſo conſilio communicavi præclaras ad me literas tuas, tum ut erudiri a te, tum etiam ut, quæ voles, commodiùs exequi poſſint.

II. Flamſtedianam de paralaxi Stellæ Polaris Epiſtolam nuper *Caſſinus* filius impugnavit in Hiſtoria Academiæ Scientiarum Pariſinæ, ad annum 1699. ſpectante, a *Fontanello* edita anno ſuperiore. Aſſentitur obſervationibus, ſed quidquam inde de motu terræ confici negat. Verum eſſe, quod majorem circulum deſcribat ea ſtella æſtate quàm hyeme; Sed ex

hypotheſi terræ motæ ſequi potius, quam terra in Libra eſt, id eſt, fine Martii & initio Aprilis diſtantiam ſtellæ a polo maximam eſſe, & minimam, cùm terra eſt in ariete, id eſt, fine Septembris & initio Octobris: quibus temporibus ex obſervationibus diſtantia eſt mediocris. Hæc junior *Caſſinus* prorſus ad mentem tuam; ſed quam ipſe ſuſpicetur phænomeni rationem, non addit. Tuam judicium ego optem intelligere, tum quid de veritate obſervationum, tum quid de cauſa ſententias, qui de parallaxi fixarum te dudum certum redditum ſcribis.

III. Eſt *Kirchio* adjutor Berolini datus *Joh. Henricus Hofmannus*, qui cum *Weigelio* ante aliquot annos Daniam adiit, plenus exinde admiratione & cultu tui. Romæ non ignoras de perficienda Gregoriana temporis emendatione cogitari; qua de re literas ad me dedit *Blanchinus* congregationis Secretarius, Aſtronomus ſanè perdoctus, & vir cætera egregius. Is probat ſumi cyclum *Tidianum* duplicem annorum 1184, nec tantùm quovis anno ſeculari ſeu diviſibili per 25, ſed & ultimo cycli anno omitti bis ſextilem, nempe anno 2784, aut 3968 &c. ſi ponatur cyclum incipere ab anno 1601, ut nempe ipſius cycli defectus emendetur. Quum verò præterea Tabulam quandam Epactarum novam a P. *Euemero* (*Bonjour*) compoſitam laudet *Blanchinus*, quæ tamen aliquando integra die tum a vero tum a medio motu recedat, *Tidius* Tabulam Paſchalem ex cycli ſui duplicati legibus condidit, ut appareat, labili Epactarum hujuſmodi auxilio opus non eſſe. Sed mori in ſua Eccleſia jam recepto videtur dediſſe *Blanchinus*, ut Epactæ adjicerentur. Quod ſupereſt vale, vir inclyte, & me ama. *Dabam Hanoveræ* 3. *Jul.* 1703.

VI.

IDEM EIDEM.

I. *De* Croſeckio. II. *De inſtrumentis quibuſdam Roemerianis.* III. *De obſervationibus Aſtronomicis in Capite bonæ ſpei inſtituis.* IV. *De* Newtoni *Theoria lunæ.* V. *De Ellipſibus Keplerianis.* VI. *De* Flamſtedii *obſervationibus Aſtronomicis.* VII. *De inventis Roemerianis.*

I. SPerabam ad Vos perventurum illuſtrem Virum Dominum *de Croſeck*, cujus eſt inſignis in ſtudium Aſtronomicum ornandum propenſio, per quem tecum colloqui ſperabam: Sed ille ut audio ob valetudinem non prorſus ſecundam iter domum relegit.

II. Nihil magis gratum mihi accidere poteſt quàm doceri de rebus tuis, quas gaudeo eſſe florentes, & opto nobis quàm maximè diuturnas. Mirè placent duo illa volubilia inſtrumenta ex metallo in Meridiano & primario Verticali: nec dubito, quin pro tua maxima rerum etiam Mechanicarum peritia id curaveris, ut ne in motu vacillent, paullatimve

Digitized by Google

latimve in axe attrita nimiam libertatem acquirant; quamquam tale ſufficiat in complures annos valere, quum etiam poſt eorum decurſum novatis tantum axibus axiumve vaginis, facilem reſtitutionem admittant.

III. Quid noſter Obſervator ex Capite Bonæ Spei miſſurus ſit expecto, vellem non præcipitaſſet iter, & te prius adiiſſet, vel ſaltem cum *Kirchio* noſtro ſatis communicaſſet, ſed Dn. *de Croſeck* moram omnem damnoſam judicabat. Vellem illis obſervationibus conferri poſſet aliquid ad accuratiorem motus lunaris conſtitutionem, quod maximum eſt in Aſtronomia deſideratum ad uſum ſcientiæ.

IV. Cl. *Newtoni* Theoriam Lunæ ſuo operi Aſtronomico inſerit *David Gregorius*, ſed quantum intelligo, in ipſa Anglia ſunt, qui aliquid amplius deſiderant.

V. Ego judicium tuum imprimis deſidero, tum de hac *Newtoni* Theoria, tum de Ellipſibus *Keplerianis* in univerſum, an figuræ iſti ejuſque areis tempori proportionalibus ſic ſatis inſiſti poſſe putes: ita ut aberrationes aliis accedentibus cauſis, ſive in reſiſtentia medii, ſive in aliorum globorum attractione, quærendis tribui poſſint. *Caſſinus* pro Ellipſi aliam Ovalem ſubſtituit, in qua non ſumma rectarum ex locis ad punctum curvæ, ſed rectangulum ſub his rectis ſit conſtans; Eaque obtineri poſſe putavit, ut quod in Ellipſi circiter verum eſt, accuratè locum habeat, ut nempe areæ ex uno loco ſint proportionales angulis ex altero loco. Sed vereor ne minus adhuc his Ovalibus quàm Ellipſibus faveant obſervationes, neve conſenſus Angulorum cum temporibus magis ſit aptus calculo hypothetico quàm rerum veritati. Unde ſuſpicor *Caſſinum* virum accuratæ diligentiæ magis has Ovales ad inquirendum propoſuiſſe, quàm pro veris Aſtrorum lineis venditaſſe.

VI. Londino miſſa ad me eſt delineatio magni operis, quod edere molitur *Flamſtedius*, triginta annorum & amplius obſervationes complexurum; Prima pars continebit diſtantias planetarum a fixis, ſecunda meridianas diſtantias a vertice & tranſitus per meridianum tam fixarum quàm planetarum arcu murali obſervatos. Tertia varios fixarum Catalogos tum alienos tum ex propriis obſervationibus. His multæ accedent figuræ.

VII. Utinam tuorum edendorum eandem ſpem nobis faceres, qui conjunxiſti obſervandi ἀκρίβειαν cum acerrima vi ingenii ſummaque profundioris Geometriæ peritia. Sanè quæ tua proſtant certè eximia tibi potius ab aliis extorta aut ſurrepta quàm a te edita habemus, quæ optarem a te ipſo inventore cum multis aliis explicatius nobis dari: Velut demonſtrationem Motus non inſtantanei lucis, & figuræ dentium ad Rotas Epicycloidalis, ac denique deſcriptionem Machinæ cœleſtis, qua te inventore confecta nihil habuere Galli pretioſius, quod Monarchæ Sinarum offerrent. Hugenianam Machinam deſcriptam videris in ejus poſthumis. Noſſe velim differentiam a tua. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 1. *Octob.* 1705.

VII.

IDEM EIDEM.

I. Croſeckii *in rem Aſtronomicam merita.* II. *De* Flamſtedii *obſervationibus.* III. *De theoria Lunæ* Newtoni.

I. SPero te valere & florere, meique meminiſſe. Nunc ut ſcribam; illuſtris Dominus *Baro de Croſeck* facit. In eo erat, ut iter in Galliam ſuſciperet, ſcientiæ Aſtronomicæ gratia. Sed Rex, intellecto Virum in negotiis publicis verſatum quondam fuiſſe, commeatum pene jam conceſſum ſuſpendit. *Croſeckius* in reditu hac tranſiens, rogavit, ut a te quærerem, quid de conſiliis, quæ ad te perſcripſerit, ſentires, aut quid ipſe conſuleres. Equidem facilè intelligo tibi de quibuſdam aliter viſum, ſed tamen non nulla ſcientiæ favore indulgenda ſunt Viris eximiis & bene animatis. Obſervator ejus ad Promontorium Bonæ Spei dudum appulit, quas ibi obſervationes inſtituerit non intellexi, neque etiam quam bene inſtructus hinc ſolverit. Optaram, ut ex tua aut *Kirchii* aut alterius obſervatoris inſignis ſententia omnia fierent, ſed præcipitato itinere (quod ſeriùs intelleximus) ſpatium ei rei non fuit. Valde deſiderat Dominus *de Croſeck*, ut ſub eodem ferè meridiano fiant diſſitæ obſervationes. Sperem tamen per Eclipſes Joviales differentiam meridianorum ſatis ſuppleri poſſe. Refractionibus etiam non ſatis fidit. Et fatendum eſt in regionibus valde ſeptentrionalibus diſcrimen a noſtris magnum videri. Atque utinam Lapponicæ nuper obſervationes his conſtituendis ſuffeciſſent. Interim habemus ni fallor hodie multa de Refractionibus fixa & rata, quæ veteres ignorabant. Hortatus imprimis ſum, ut Lunæ & Planetarum appulſus ad fixas diligenter notari curet ab obſervatore ſuo Africano.

II. Non ignorabis rem in eo nunc eſſe, ut *Flamſtedii* Obſervationes tricennariæ prodeant auſpiciis Sereniſſimi Principis *Georgii.* Vellem idem contingeret & tuis & *Kirchianis*, ne quid jam de iis dicam, quæ in Obſervatorio Pariſino ſunt factæ a tot annis.

III. *Flamſteedius* ſuas de Luna obſervationes *Newtono* negaverat. Inde factum ajunt, quod hic quædam in motu Lunari adhuc indeterminata reliquit. Sed magna res foret, ſi ea ſaltem, quæ pronunciavit, certa & determinata haberi poſſent, de quo judicium tuum optarem. Nam quæ ſit *Newtoni* ſententia de Luna apud *Davidem Gregorium* habes. Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ* 4. *Octob.* 1706.

VIII.

VIII.

IDEM EIDEM.

I. *De Rœmerianis inventis.* II. Chriſtianus Wolfius *laudatur.*

I. ETant venu juſqu'à Gottorp à l'occaſion d'un achat de livres manuſcrits de feu Mr. *Gudius*; j'ai penſé pouſſer juſqu'à Copenhague pour renouveller perſonnellement l'honneur de votre connoiſſance: Mais enfin il a falu revenir à Hambourg; & je n'ai point voulu quitter le rivage de l'Elbe, qui vous regarde, ſans vous ſaluer. Cette lettre aura un avantage, dont je lui porte envie, & je ſerois ravi qu'elle me donnât le moyen d'apprendre votre réſolution ſur la publication de vos belles découvertes. Je ſouhaiterois d'obtenir de vous la méthode dont vous vous êtes ſervi autrefois, Monſieur, pour découvrir l'uſage méchanique des Epicycloidis dans les figures des dents. Mais je ſouhaiterois ſur-tout, que le public profitat bientôt de vos Obſervations Aſtronomiques importantes.

II. J'ai trouvé ici une lettre de Mr. *Wolfius* Profeſſeur en Mathématique à Hall en Saxe, qui a bien de l'eſprit & du ſavoir, & a publié *Elementa Aerometrica*, livre aſſez joli. Il ſouhaite de vous être recommandé pour obtenir la chaire des mathématiques vacante à Copenhague à ce qu'il dit. Il paroit actif, & pourroit être employé utilement. Peut-être qu'il aura encor cherché par d'autres voyes l'honneur de vôtre connoiſſance. Celui de votre correſpondance me ſera toujours précieux avec des bonnes nouvelles de vôtre ſanté. *Hambourg le 23. Juillet* 1710.

IX.

ROEMERUS LEIBNITIO.

I. *De emendatione Calendarii.* II. *Dubia circa novam correctionem Calendarii Evangelicorum.*

I. NIhil gratius Domine mihi accidere potuit, quàm quòd à Generoſiſſimo D. *Walthero* intellexerim & mei mearumque rerum & amicitiæ veteris adhuc apud te ſupereſſe memoriam favore & benevolentia pleniſſimam. Gratiarum loco non aliud poſſum reponere, quàm animum tibi inſerviendi & gratificandi, ſi unquam poſſum paratiſſimum. Exemplar adjunctum ſchedæ, quam juſſu Regis ad Concilium Ratisbonenſe tranſmittendam concinnaveram, *Waltherus* noſter voluit ad te mitti. Non invitus aſſenſi, quod exoptem edoceri, ſi graviora negotia non impediant, quæ tua de hoc negotio ſit ſententia. Ego certè

ut

ut dicam quod ſentio, mallem nos ingenuè Gregorian. methodum in ſolidum admittere, quam ſine evidenti ratione in ejus particula diſſenſum moliri.

II. Auctores Concluſi in Artic. 1. de exemtione 11. dierum ſatis expreſſe loquuntur, ſed in Articulo 2. de Feſto Paſchatis, per calculum Aſtronomicum inveſtigando, in incerto relinquunt tria ſequentia ad Paſchatis deſignationem requiſita capita, nimirum:

1) An Æquinoctium ad certum menſis Martii diem ſit alligandum, & ad quem?

2) An in Æquinoctiis determinandis Aſtronomicus Calculus perinde ac in pleniluniis ſit adhibendus?

3) An motibus veris vel mediis ſit utendum?

Quocunque modo in ſingulis hiſce capitibus procedatur, bina offeruntur methodi Aſtronomicæ incommoda. Primum, eſt quod calculus Aſtronomicus huic negotio non videatur tam aptus, ut cum optato ſucceſſu adhiberi poſſit loco Cyclorum, intercalationum in Computis Eccleſiaſticis huc uſque uſitatarum.

Alterum eſt, quodſi vel maximè illud, quod Cycli a veris calculis diſcrepant, vel ſcrupuloſiſſimè conſectemur, effectus tamen futurus ſit admodum exiguus, ut rariſſimè & vix ſemel vicenis annis in celebrando Paſchate a Gregorianis diſcedere contingat.

Quod primum attinet, in confeſſo eſt, Cyclorum uſum, quantumvis popularem, nihilominus intra 1000 annorum ſummam non integro die, & in ſingulis millenarii annis non biduo a veritate Aſtronomica aberrare, eaque pollere facilitate, ut vel digitorum articuli pro abaco ſufficiant. Aſtronomorum è contrario Logicam difficillimis & intricatis minutiarum moleſtiis laborare in negotio, ubi non de horis & minutis, ſed de integris diebus æquinoctiorum & pleniluniorum deſignandis agitur, quæ vel toto biduo ad ſenſum durare experimur, & præterea ab Aſtronomis edocemur, ipſam rerum naturam in revolutionum cœleſtium particulis a regularitate & æqualitate motuum eſſe alienam & in motuum ſummis tantùm & Periodorum reſtitutionibus æqualitatem ſervare.

Sed his omiſſis quæri poteſt, quid eligendum, quando Aſtronomi in horarum & minutorum numeris a ſe invicem diſſident, præcipuè in figendis illis pleniluniis, quæ circa mediam noctem ante diem æquinoctii, vel ante Dominicam Paſchalem incidunt, ſiquidem unius minuti differentia (quæ vel accuratiſſimis artificibus inevitabilis) iſtic integri menſis, hic ſeptidui errorem vel incertitudinem in celebratione Paſchatis inducat.

Ex exemplis, quæ ſecuturum ſeculum ſuppeditabit, inſigne eſt illud anni 1704. ubi plenilunium accidit in noſtro meridiano in media nocte inter 20 & 21 Martii, jam ſi ab Aſtronomis alius ob æquationem temporis, vel ob motus correctiores, alius ob electionem meridiani primarii

marii &c. paucorum minutorum correctionem urgeat, meritò dubitabitur, utrum erit plenilunium Paſchale, hoccine ipſum, an proximæ ſequens? Eadem incertitudine laborabit annus 1761, qui eaſdem habebit circumſtantias.

Alterius caſus exempla in eodem 18 ſeculo ſubminiſtrant anni 1710, 1778, 1798. in quibus plenilunia Paſchalia accidunt media nocte inter diem Saturni & diem Solis, unde de Septiduo circa Feſti determinationem oborietur dubitatio.

Ex ſequenti Conſpectu Pleniluniorum proximè æquinoctialium ejuſdem ſeculi facile conſtabit, quantæ difficultati involvantur Aſtronomicam ſectantes ſcrupuloſitatem, quantaque felicitate negotium per Cyclos expediatur, qui via fere media inter tot minutiarum diverticula incedunt.

	Æquinoctia Aſtronomica.							Plenilunia Aſtronom.					
		med.	dies.	hor.	ver.	d.	h.	med.	d.	h.	ver.	d.	h.
1704	Mart.	22	--	1.	20	--	0.	20	--	$11\frac{1}{2}$.	21	--	1
1723		22	--	$15\frac{1}{2}$.	20	--	14.	21	--	4.	21	--	10
1742		22	--	6.	20	--	4.	20	--	20.	20	--	18
1761		21	--	$20\frac{1}{2}$.	19	--	9.	20	--	13.	20	--	7
1780		21	--	11.	19	--	9.	20	--	5.	20	--	2
1799		22	--	1.	20	--	0.	20	--	22.	20	--	21
		In his omnibus Æquinoctium Cyclicum die 21. Mart.						In his omnibus Plenilunium Cyclicum die 21. Mart.					

Reſtat jam (2) examinandum, quodnam operæ ſit pretium ex hac Aſtronomici Calculi in locum Cyclorum ſubſtitutione, an per illam obtineatur differentia a Computo Cyclico Gregorianorum, quæ alicujus momenti ſit.

Sunt *Kepleri* Æquinoctia vera, additis 3 horis, fiunt æquinoctia veriora, ſcil. ad minorem excentricitatem. Certè in proximo quod expectamus ſeculo vix 5 reperiuntur anni, in quibus Aſtronomia diverſum a Gregoriana methodo nobis exhibet Paſcha.

Primus eorum eſt annus 1700, in quo Plenilunium Paſchale tam vero quàm medio noctu incidit in 3 April. & proinde Paſcha in ſequentem Dominicam, quæ eſt 4 April. Paſchate Gregoriano occupante 11 April. Quomodo verò per Aſtronomica principia Paſcha Evangelicorum eo anno in 11 April. proceſſerit, non video.

Secundus annorum ejuſmodi eſt 1724, tertius 1744, in quibus Paſcha Calendarii non correcti Gregorianorum antevertit ſeptiduo. In ſolo anno 1780 menſe integro ſubſequemur Gregorianos, uti fortè etiam anno ſuprà nominato 1704.

Si hos quinque annos in toto ſeculo 18 excipias, in reliquis omnibus eadem habebimus Paſchata per calculum Aſtronomicum Plenilunii, ac Pontificii per cyclos Gregorianos.

Si hæc ita ſe habeant, vix credibile erit Theologos, qui excluſioni 11 dierum ad bonum publicum laudabili fato ſubſcripſerunt, æquo laturos animo promiſſam a Calculo Mathematico correctionem Feſtorum tam prope ad Gregorianum computum acceſſiſſe, & tam longè ab illius facilitate & neceſſitudine receſſiſſe.

Si aliquis dominorum Mathematicorum, qui huic negotio interfuerunt, me amico ſuper his meis dubiis reſponſo dignari velit, gratiſſimo illud animo excipiam, & quando eorum mentem circa tria ab initio indicata capita communicare libet, ut inſtitutum eorum liquido cognoſcere liceat, quamcunque potero operam libentiſſimè conferre ſatagam. Ignoſcent, ſi quid vel in ſubitis calculis erratum, vel præter eorum mentem in negotii fundamentis ſit ſuppoſitum, quæ omnia admonitus libens corrigere & reſarcire conabor.

P. S. Quum jam conſtitutum ſit, Paſcha An. 1700 neglecto Aſtronomico Calculo, celebratum iri ad normam Cyclorum Vulgarium, & amiſſa hac occaſione Aſtronomica vix tam inſigni & certo uſui futura ſit in hoc negotio ante annum 1724, verendum, ne per hos 24 annos glorientur adverſarii, nos totos in eorum caſtra tranſiiſſe, omnes igitur intendendi nervi pro anni 1704 plenilunio Paſchali ad 18. April. per Aſtronomicum Calculum protrudendo, ad quod præſtandum uberior deductio artic. 2 in Concluſo repetitur, & præter ſupra monita tria capita etiam determinatio meridiani, ad quem motus ſunt computandi.

X.

IDEM EIDEM.

I. *De decreto Ratisbonenſi de emendando Calendario.* II. Rœmeri *de Ephemeridum calculo conſilia.*

I. OB affectum benevolum, quo me cumulatè proſequeris, ingentes debeo gratias. Non unquam pœnitebit ſilentii ad publicum, in vindicandis reculis meis, quouſque tu te teſtem conatuum meorum qualiumcunque, profitearis, præſteſque faventiſſimum. Ad ea quæ affers, vel potiùs ab aliis afferri indicas, pro tuendo decreto Ratisbon. non habeo quod addam, quum certus ſim, iſta eſſe tibi perſpectiora, quàm ut a mea interpellatione aliqua illuſtratio poſſit accedere. Perſuaſi erant noſtri Theologi non ſolùm in methodo computi, ſed etiam in ipſis feſtorum determinationibus ſenſibile ex hac reformatione proditurum

turum a Pontificiis divortium, eaque opinione occupatus ipſe adornaveram, quem hic adjungo, commentarium, quemque Ratisbonam tranſmittere in animo habebam, niſi me fama de ſolenni decretorum publicatione a propoſito dimoviſſet. Tibi proinde uni videndum & examinandum miſſum puta, quod quæſo non ægrè feras. Quod in futurum de tota re conſulendo & conferendo me uſui alicui eſſe judicas, amicè facis, & ego quamcunque poſſum operam, lubenti animo offero, imprimis incitatus humaniſſimis litteris D. *Meieri* Pr. P. Ratisbonenſis hodie allatis, in quibus inſtitutum quidem ſuum luculenter exponit, ſed propoſita a me dubia non attingit, niſi quod illis & ejuſmodi aliis a Collegio quodam Mathematico in illum finem inſtituendo proſpectum iri indicet. Ego quidem propoſitum Celeberrimi Viri & meritiſſimi non poſſum non ex animo approbare & deprædicare, ſed quomodo ſalva auctoritate decreti inimicis ſciolis & poſteritati in hoc negotio ſit ſatisfaciendum omnino non perſpicio. Aſtronomicum calculum hoc anno 1700 omiſerunt, quod tam brevi tempore inquiunt expediri non poſſet, additur excuſatio concurſus Paſchatis Judaici cum noſtro, & illa extendi poteſt ad omnes annos, quibus plenilunium Paſchale Aſtronomicum incidit in dies Saturni, cujus cenſus ſunt omnes anni, in quibus ob pleniluniorum calculum diſcedere oporteret a Gregorianis, & proinde ob illum nunquam eſſe diſcedendum. Id unum reſtat, ut æquinoctia, quæ 21 Martii communiter aſſignantur, in 22 promoveantur, quod medii motus ſolis efflagitant, atque hac ratione Paſchata annorum 1704, 1723 & 1734 &c. per integrum protraherentur. Sed nimis his Diſquiſitionibus me moleſtum eſſe ſentio, & fortè ſupervacaneum, quum in re adeo difficili vix defuturi ſint, qui his ſimilia & meliora ſuggerere poſſunt illis qui autoritate concludendi & decernendi ſunt muniti, a quibus ſolis ritè informatis negotii exitus & nullo modo a Mathematicorum conſenſu videtur expectandus.

II. Gratus admodum de Ephemeridum calculo nuncius a te per Dominum *Waltherum* huc pervenit. Succeſſum Clariſſimo Domino *Rutori* in laborioſiſſimo incepto ex animo apprecor, ſi tuo ipſum conſilio & judicio dirigere digneris, non dubito, quin rectiſſimam capeſſat viam. Miſſu ſcripti inducor ut credam, te meam circa iſta exquirere ſententiam, quod tantundem mihi eſt, ac ſi illam expromere coram juſſiſſes, proindeque pauciſſimis illam comprehendam, tuoque exacto judicio libentiſſimè exponam.

1) Unius ejuſdem Autoris veſtigia potiùs ſectanda ſuaderem, quàm diverſorum.

2) *Keplerum* non relinquerem ob illud, quod in ſole & luna eum aberrare conſtat, cùm totum iſtud duabus tabellis correctoriis unica pagina contentis pluſquàm ſatis ad hunc uſum reſtitui commodiſſimè poſſit.

3) Ephemerides mallem ad Aſcenſ. rectas & declinationes computatas; quàm ad longitudines & latitudines, quum ultimum ſcopum omnium calculorum Aſtronomicorum credam eſſe apparentias motus diurni, quas ſolas metitur & dijudicat vulgus, inquirit genethliacus, cum obſervatis confert Aſtronomus, longitudines autem & latitudines eodem loco habeam ac anomalias, commutationes &c. ſcilicet pro mediis ad obtinendum prædictum finem neceſſariis. Nec ſolum calculi noſtri in Aſcenſ. rectas & Declinationes deſinunt, ſed omnis labor obſervationum ab illis incipit poſt inventa horologia pendula, ut notum eſt.

Præterea ſi quid præter aſcenſiones Rect. & Declinationes ephemeridibus inſerendum in gratiam obſervatorum, ſunt quæ majoris erunt uſus, quàm Longitudines & Latitudines.

Scilicet in ſole mallem ephemeridem mediorum motuum ob æquationes dierum.

In ♃ maximus eſt uſus locorum eccentricorum ob ſatellites.

In ♀ & ☿ Heliocentricæ longitudines quotidie magis deſiderantur quàm Geocentricæ &c.

4) Aſpectuum paginas omnes vellem excludi ſaltem optarem præmitti ſingulis annis ☌ ☍ □ elong. max. Planetarum primariorum, item ſtationes & retrogr. quæ ita uno intuitu maxima cum utilitate & jucunditate intelligerentur. Menſibus ſubjungi poſſent ☌ lunæ cum Planetis.

Hæc ſunt præcipua, quorum jam recordatio ſubit, alii illa quam tibi amico non auderem proponere, ne mihi affectata novitas imputaretur in re quam maximè mihi ipſi neceſſariam effectam vellem, & vel inſigni pretio compararem. An verò aliis hoc genere ephemeridum conſuleretur, in medio relinquo. Non ignoro quidem Declinationes, & acceſſus Planetarum ad ſe invicem rectiùs & conformiùs naturæ ſecundùm longitudines & latitudines conſiderari. Sed ab altera parte non dubito Ephemerides ejuſmodi Declin. & Aſ. R. a vulgo & quibuslibet penitioris Aſtronomiæ non adeo gnaris avidius expectandas faciliusque intelligendas, & in uſum traducendas fore, ſiquidem ab illis immediatè haberi poſſet ſtatus cœli & motus ſiderum reſpectu primi mobilis. Quæ omnia tuæ, Vir illuſtris, ſubjicio cenſuræ & examini, cui in omnibus non tàm mea probari quàm me ipſum placere vehementer cupio. Vale. *Hafniæ d.* 24. *Jun.* 1700.

XI.

XI.

PROPOSITIO

DE PASCHATE INTER IV. ET XI. APRIL. CELEBRANDO,

AUCTORE

OLAO ROEMERO.

UNdecim diebus exemptis, ſi in ordinatione Paſchatis penitus inſiſtendum fundamentis Concilii Nicæni, ſi ſcil. Paſcha celebrandum die Dominico, qui ſequitur plenilunium proximum poſt æquinoctium vernum, impoſſibile eſt novam invenire Paſchatis ordinationem, quæ a Pontificiorum computo diſcedit, niſi in pauciſſimis caſibus.

Nova quidem eſſe poteſt methodus Aſtronomica, novus etiam inveniri poteſt computus Cyclicus, immutatis litteris Dominicalibus, & aureo numero vel epactis, in ſumma novus & intricatus in re facillima procurari poteſt labor; Sed non proinde nova erunt Paſchata, quæ ex. gr. per 100 proximos annos convenient cum illis Pontificiorum, niſi ſolummodo in 5 annis ad ſummum. Erunt quoque in eodem centenario alii 5 adhuc anni, de quorum Paſchate ab Aſtronomis diſputabitur in infinitum, niſi publica intercedat auctoritas.

Videndum igitur illis, quibus cura rerum Eccleſiaſticarum commiſſa eſt, quid conſilii in hoc negotio cenſeant capiendum.

1) An in ſolidum admittendus Gregorianus Computus?
2) Vel diſcedendum ab eo in Paſchatis celebratione cum tantillo quidem fructu, ſed cum maxima diſputationum incertitudine adverſariorum cenſuræ fortè nimis obnoxia.
3) Vel denique quod ultimum foret remedium, ſed a libertate Chriſtiana non alienum, cogitandum de planè nova, conſtanti & perpetua Paſchatis ordinatione, quæ neglectis Judæorum menſibus lunaribus, ſolum æquinoctium (ad mentem S. Scripturæ) & diem Dominicum (ad placitum Concilii Nicæni) reſpiceret.

Si harum trium ſententiarum ſecundam eligamus, ſine dubio cum tempore vel inviti retrahemur ad primam, quam decentiùs jam ingenuè reciperemus, quàm poſt aliquot annos adverſariorum rationibus convicti & a propria commoditate invitati.

Ultimam reliquis præferrem, & ſucceſſum ſperarem, ſi cauſa a Mathematico foro in Theologicum transferretur, ubi ſi ſequens propoſitio

admitteretur, totum negotium eſſet confectum. Scilicet licere Chriſtianis in Paſchatis celebratione loco menſium Judaicorum, qui a motu Lunæ in V. T. dennebantur, adhibere menſes ſolares ab omnibus Chriſtianis receptos & uſitatos.

Hinc annus Eccleſiaſticus inciperet ab æquinoctio ſ. 21 Martii die, qui eſſet ſemper dies primus menſis primi, & 14 poſt illum dies, qui incidit in 4 April. reſponderet Paſchati Judaico, & nobis ſemper eſſet non ipſum Paſcha, ſed terminus Paſchatis perpetuus, poſt quem proxima Dominica ad Analogiam Statuti Nicæni eſſet dies Paſchatis Chriſtianorum Evangelicorum. Quo pacto fieret,

1) Ut Paſcha noſtrum ſemper inter 5 & 11 April. contineretur, quod alioquin per 35 dies ſolet ambulare cum maximo plurium actionum incommodo, quæ ad Paſchata ſ. certum anni terminum ſunt alligatæ, & nihilominus 5 hebdomadum varietati obnoxiæ.

2) Deinde ut Eccleſia eadem opera in æternum liberaretur a Diſputationibus & tricis quæſtionum & difficultatum circa aureos numeros vel Epactas cum litterarum Dominicalium Cyclis combinandas, imò ab omnibus ſubtilitatibus Aſtronomicis, ſola relicta æquinoctiorum cura, in quibus per jam admiſſam intercalationis methodum ad multa annorum millia orbi univerſo eſt proſpectum.

3) Et quod præcipuum eſt, & methodo & reipſa ab heterodoxis Eccleſiis diſcerneremur, quæ per 100 annos vix vicies in Paſchate nobiſcum convenirent.

Notandum præterea quod inſtantis anni 1700 Paſcha a noſtris in 11 April. poſitum cum his ipſis regulis congruat, quo facto opportunè accidit, ut tota Calendarii noſtri correctio eodem anno incepta & abſoluta eſſe videatur.

Quomodo Paſchata poſthæc in ſingulis annis ſeqq. juxta hanc computi normam procedant, ex ſubjecta tabella patebit.

Anno	Paſcha	Anno	Paſcha
1700	— 11 April.	1711	— 5 April.
1701	— 10	1712	— 10
1702	— 9	1713	— 9
1703	— 8	1714	— 8
1704	— 6	1715	— 7
1705	— 5	1716	— 5
1706	— 11	1717	— 11
1707	— 10	1718	— 10
1708	— 8	1719	— 9
1709	— 7	1720	— 7
1710	— 6	1721	— 6

Anno

Anno	Paſcha.	Anno	Paſcha.
1722 —	5 April.	1726 —	7 April.
1723 —	11	1727 —	6
1724 —	9	1728 —	11
1725 —	8		

Et ſic in infinitum Dominica proximè ſequens 4 April. Paſcha foret.

XII.

ROEMERUS LEIBNITIO.

I. *De* Kirchii *in rem Aſtronomicam meritis.* II. *De emendatione Calendarii.* III. Roemerus *inventa ſua recenſet.* IV. *De parallaxi fixarum.*

I. HAud ſemel ſollicitationes amicorum in publicum provocantium atque ad commercium literarum invitantium, non tam rationum momentis, quàm ſilentio, ut verum fatear, irritas feci, contentus ipſis in pectore meritam gratiam habere & honorem. Nam quum ſollicitudinis literariæ, ut ita dicam, cauſſas habuerim juſtas potiùs quàm veriſimiles, ſilentium mihi vindicare commodiore via non licuit, quàm ipſo ſilentio. Tu, amiciſſime *Leibnitzi*, unus es, cujus gratia mihi illam vivendi rationem mutatam velim, quo cum quippe non ſolùm acta experimenta, meditata, ſed & ipſas cogitationes, ſi fieri poſſit, communicare geſtio, nullo impediendus obſtaculo. Et proinde, quam offers conditionem commercii literarii cum ſocietate, cui præes non poſſum non lubentiſſimo animo ſuſcipere, benevolumque tuum de rebus meis judicium & in ipſo diplomate & in adjunctis literis abunde demonſtratum debita gratiarum actione proſequi. De gnomonibus, quorum mentionem facis, exopto ſcire meritiſſimi *Kirchii* ſententiam item quibus machinamentis obſervatorium Regium inſtruere ſatagit, quanti faciat horologia pendula in rimandis Aſcenſionibus rectis ſyderum quanti tubos pro pinnacidiis in declinationibus. Gaudeo eum in ſocietatem adſcitum; & quum ante plures annos ſuis me literis ſit dignatus, eandem ab ipſo gratiam adhuc exſpectabo.

II. Circa ea, quæ de anni ordinatione agitantur non habeo jam quod addam iis, quæ alias, ut credo, tibi indicavi, ſcilicet me cyclos, qui obſervationibus Aſtronomicis, utcunque ſunt conformes præferre ipſis locorum verorum calculis. Item ob dieculæ vel bidui enormitatem in paucis cyclorum locis non turbandam computi regularitatem,

tem, modo integræ reſtitutiones ritè ſe habeant ſine errore ſenſibili per 20 vel 30 ſecula. Sed quum aliter in noſtratium concilio Ratisbonenſi ſit ſtatutum, omnino non refragandum opinor, nihilominus autem negotium inter lites aſtronomorum non relinquendum. Ceſſaret omnis contentio, ut mihi videtur, & hucuſque decretis ſuus conſtaret vigor, ſi ſtatim cum autoritate publica promulgaretur indiculus Paſchatum, ſaltem pro jam currente ſeculo exactus ad æquinoctia vera, & motus luminarium veros. Ex tabulis melioribus, quales ſunt *Kepleri* ſecundùm numeros *Kirchii* in ſole correctæ, in quo annorum ſpatio aſtronomi facilè convenient, remittendo in poſteritatis curam ſequentis ſeculi computum, ſi fortè obſervationes aſtrorum perfectiores numeros interea ſuppeditare valerent. Qui quinquennales intercalationes quadriennalibus intermiſcendas urgent, doctæ ſubtilitati potiùs quàm publicæ commoditati operari videntur. Certè Hiſtoricis, Chronologicis & ipſis Aſtronomis commodiſſimum erit integra ſimul ſecula eodem fluere intercalationum tenore; quamobrem ordinato ſenſim pro ſingulis ſeculis anno Eccleſiaſtico ad veritatis Aſtronomicæ rigorem, in civili anno ut opinor non affectandus ſed fugiendus diſſenſus, qui in unico die plerumque plus incertitudinis affert, quàm in decem vel undecim diebus.

III. Venio tandem ad ultimum epiſtolæ tuæ paragraphum, in quo de meis inventis & obſervatis cum publico communicandis perquàm honorificè mones. Nec mea, Vir illuſtris, tanti eſſe, nec ſeculum hoc eorum tam indignum exiſtimo, ut exhortationem tuam ad illa edendum non tribuam potius affectui tuo & benevolentiæ, quam publicæ cauſſæ patrocinio, nihilominus utrinque me tibi obſtrictum ſentio & ad obſequium damnatum. Quod ſtudia mea hucuſque a publico abſtinuerint, non factum eſt data opera, ſed partim ratio vitæ, partim difficultas, quam in ſcribendo experior, in cauſſa fuere. Præterea cùm provinciam ſum nactus in republica literaria omnium μηχανικοτάτην, aſtronomiam puto, non minùs ſenſibus & manibus, quàm mente adminiſtrandam, ſemper illic, ut notum eſt, aliquid deſideratur, vel reviſendum vel reficiendum, quod nec ingenio ſuppleri poteſt, (nam hoc impoſtura eſſet) nec obtineri occaſione oblata, ſed ut plurimum tædioſe exſpectanda, factum eſt ut nondum licuerit aliquid publico dignum perficere. Obſervationum indigeſtarum commentarii edi quidem poſſent, ſed hac ratione vereor, ne plumæ verſicolores in aërem projicerentur, cuicunque obvio, non tam ad formandas alas, quàm ad ornandos galerorum apices ceſſuræ. Accedit & hoc, methodum meam plurimum continere thuſitati, ne dicam paradoxi, quod ejus fidem dubiam redderet, niſi clarè & prolixè omnis obſervandi proceſſus cum ipſis inſtrumentis deſcriberetur, quod quidem mihi adhuc non inte-

integrum fuit præſtare; Propoſitum tamen mihi eſt, quàm primùm fieri poteſt, aliquo ſpecimine publici judicium prætentare, modò Deus vitam & vires ſuppeditet. Interea generaliter, quinam mei ſint conatus quoque in ſtatu mea ſit Urania, utrumque declarabo. Imbutus principiis Tychonicis per quadriennium illud, quod in ejus manuſcriptis ad editionem præparandis impenderam, ab eo tempore unicè ob oculos habui illam Aſtronomiæ partem, quæ in dignoſcendis & quàm accuratiſſimè determinandis ſitibus & motibus fixarum & planetarum verſatur, nec unquam partem ejus phaleratam, quæ in maculis, ſatellitibus & planetarum figuris occupatur priori æquiparandam cenſui; omnia proinde ſubtilia ſuperioris ſeculi inventa in malculæ Aſtronomiæ uſum accommodare laboravi, certus objectum obſervationum & materiam a *Tychone* mihi deſumendam, media verò a recentiorum inventis mutuanda. Hoc animo dudum de obſervatorio & de methodis obſervandi cogitatum, quæ ad propoſitum finem obtinendum non majores vel ſumtus vel labores requirerent, quàm quibus ipſe ſolus ferendis par eſſe poſſem, modo otium neceſſarium & locum commodum habere liceret: Quibus meditationibus, & deſideriis intento decennium in Gallia, aliud decennium hic in patria ſine ſucceſſu effluxere, uſquedum tandem anno 1691. occaſionem ſum nactus potiundi voti, non quidem omnino quam optaveram, ſed tamen non contemnendam. Locus eſt in propria domo ante plus quàm 100 annos muris craſſis lateritiis, fundamento firmo exſtructa, cui tamen cœli ſpatium non patet, niſi 68 gradus declinationis 40 borealis & 28 auſtralis: Inſtrumentum ex metallo ſollicitè adaptatum, ſolidum, firmum, ſimplex, quod jam per undecim annos ſine ulla luxatione, ſine ulla me fugiente imperfectione conſiſtit. Addita horologia pendula tripedalia terna 20 annorum uſu cognita, ut per 24 horas $\frac{1}{4}$ ſecundum vix fallant continuè obſervantem. Nimis prolixum foret exponere adhibitam curam in præveniendis corrigendis vel ad minimum dignoſcendis, errorum minutiis infinitis, quæ ob imperfectionem & materiei & operarum, item perpetuam aëris mutationem in quibuſvis machinamentis intervenire ſolent. Quam prope ab optata exactitudine abſim melius olim docebunt ipſæ obſervationes, quæ ut plurimum ita ſunt inſtitutæ & conſignatæ, ut ſuæ præſtantiæ, mediocritatis vel falſitatis notam a ſe ipſis potius, quàm a meo teſtimonio habere queant. Obſervantur fixæ vel planetæ in Aſcenſione Recta ad 7″, in declinatione ad 3″ vel 5″. Fixæ primæ, & aliquot ſecundæ magnitudinis habentur interdiu, niſi ſoli nimis vicinæ. ♀ ultra ſolem in diſtantia ab illo $2\frac{1}{4}$ grad. cis ſolem in diſtantia $7\frac{1}{4}$ graduum eſt obſervata & tantundem elongatus ☿. ☿ meridianus ſæpe. 1692 & 1693 diligentiùs obſervatæ fixæ & planetæ, ſexennio ſequenti interruptè, a 1699 hucuſque iterum aſſiduè. Ex quibus 10 annorum obſervationibus,

1) In promptu mihi eſt certitudo anni ſyderei citra errorem 2″ temporis.

2) De parallaxi fixarum certus ſum redditus ante decem annos, jam per

proximum quadriennium continuè confirmatus, ut publico satis fieri posse credam.

3) Excentricitatis solis locum & quantitatem, ut & moram solis inter puncta cardinalia certas habeo, quamvis obliquitas ecliticæ mihi nondum determinata.

4) Præcessio æquinoctiorum vel motus fixarum unici mensis spatio mihi est sensibilis per methodum, quæ supponit loca solis & fixarum incognita esse 15 minutorum incertitudine.

5) Unicum æquinoctium, sc. superioris anni vernum, observavi inusitato modo, sine suppositione elevationis poli, obliquitatis eclipticae, refractionum: Immo omnia, quæ hucusque ex meis observationibus deprivi, hæc tria supposita non involvunt.

In orbitæ ☿ figura constituenda maximè laboravi, habeo situm ejus in locis ecliptice non ante observatis, tam certum, ac si ipsum in solis disco vidissem & observassem. Quod pro planetarum inæqualitatibus *Keplerus* ex observationibus Martis inquisivit, commodius ex Mercurio obtineri posse persuadeor, sed ista & alia quum nondum satis a me sint examinata in præsens prætereo. Quamvis satis noverim, res astronomicas nostra ætate eo perfectionis provectas, ut non multum iis augmenti ex leviusculis meis motuum correctionibus accedere possit, sed quum experientia sit cognitum, conatus duorum proximorum seculorum æquivalere, ne dicam præstare; omnibus observationibus, quæ retro per bis mille annos factæ ad nos pervenere; credendum non inutilem vel ingratum posteritati fore nostrum laborem, si per illum exactitudo observandi eo usque posset provehi, ut duæ ternæve annorum decades cum totidem seculis antecessorum paria facerent. Hæc sunt, Illustris Domine, occupationum & conaminum meorum summa, quorum rationem tibi reddendam putavi, non solum pro societatis initæ jure, sed etiam in documentum istius, quod foveo, desiderii, me totum in tuum sinum effundendi: Adderem quædam de observatorio nostro publico in Turri Astronomica Hafniensi adornato, nisi tædiam facessere timerem.

IV. Percuperem a te edoceri an aliquid circa parallaxin fixarum in libris vel relationibus literariis sit proditum, præterea, quæ ab Anglis, *Hookio* 1669. & *Flamstedio* 1698. sunt tentata & communicata. Extat hujus de illo argumento prolixa epistola ad *Wallisium* typis mandata, in tractatu in folio, cujus pauculas paginas vidi cum titulo: Collectiones Epistolarum, ubi hæc continetur epistola, pag. 701, 702, ad 708. In illa parallaxin stellæ polaris adstruit ex plurium annorum altitudinibus meridianis, quæ tamen, nisi admodum fallor, minimè ad rem faciunt; nam si quæ est in stella polari declinationis differentia ob motum ternæ annuum debet illa esse maxima mensibus Martio & Septembri non Junio & Decembri veluti eam supponit & ex observatis suis investigat D. *Flamstedius*.

XIII.

XIII.

IDEM EIDEM.

De obſervatorio Roemeriano.

SUmo in manus calamum officioſiſſima cum ſalutatione, ne diuturnum ob creberrimas occupationes ſilentium præ pudore negleĉti officii fiat æternum. Obſecro ſis perſuaſiſſimus tuam amicitiam & benevolum judicium mihi tanti eſſe, ut quod maximi. Identidem tentanti ſcriptionem de meis hujus labentis anni occupationibus ſemper aliquid deſideratum & ſperatum, quod proximè addi poſſet, unde procraſtinando momenta, dies, menſes effluxere. Quod facilius excuſabis, quando dixero, me hanc ætatem unam ex omni mea ætate mihi ipſi totam ſumpſiſſe dicam an ſurripuiſſe ad inſtituendum obſervatorium, quale per 30 annos optavi. Quo ſucceſſu quove fructu, quum jam non poſſim, ante exactam hyemem, ſi vitam Deus vireſque ſuffecerit, tibi tuisque primis communicabo dignoſcendum & judicandum. Locus eſt extra urbem verſus occidentem 2 milliaribus a turri noſtra Aſtronomica 63″ temporis diſtans. Ædificium & inſtrumenta, qualia tam brevi tempore de novo & privatis ſumptibus uſui apta confieri potuerunt. Terna horologia pendula & duo majora inſtrumenta ex metallo, alterum in meridiano, alterum in primario verticali volubilia totam conſtituunt ſupellectilem obſervatoriam. Quæ quidem omnia ante exitum Septembris parata, & ad obſervandum diſpoſita, ſerenitatem expectant, quæ ab eo tempore ne per biduum quidem continuum contigit. Ex obſervatis interea ſubito & interruptè nihil adhuc ad votum pro cœli menſura, ſatis tamen pro ſitu inſtrumentorum diviſionibus & horologiis probandis præſtitum. Duo mihi propoſita videor obtinuiſſe, alterum, ut obſervanda ſua potius quàm obſervatoris fide conſtare poſſint, non ut non erretur, ſed ut errores ex ipſis obſervatis ſe prodant, & æſtimandos exhibeant. Alterum, ut obſervator de die totum meridianum & primarium verticalem qua patet horizon perluſtrare poſſit ex obſcuro. Hinc omnes ſtellas ſecundæ magnitudinis interdiu excipiuntur, imò ipſa polaris, quæ ob tardum motum captu facilior ipſo in meridie etiam ſub nubili cœlo ſe conſpiciendam præbet, & maximum ad certitudinem ſitus inſtrumenti meridiani affert momentum intra eandem revolutionem ſupra & infra polum obſervata. Plurimis aliis epicherematibus, quæ vel ad cavendos vel ad dignoſcendos errores alias inevitabiles & inſenſibiles a me ſunt adhibita, hic enumerandis ſupersedeo, ne moleſtus fiam. Sed hæc non potui non indicare ad refricandam aliquam mei memoriam, quam benevolentiæ tuæ ſollicitè commendo, a qua & illud mihi polliceor, ut ne graviter feras, te adjunctis ad Do-

minum *de Kroſeck* literis non ſolum procuratorem ſed & faventem interpretem adſumi. Opera tua potentis & me amantis conciliatoris plurimum ſine dubio apud eum valebit in excuſanda tarditate & tenuitate hujus reſponſi ad literas, quibus ante plures menſes me eſt dignatus eruditiſſimis, & quod me attinet, nimis honorificis. Si verbo de viri ſtatu & ſtudiis me velis edocere, gratum facies. Iterum perilluſtris Domine ſubmiſſiſſimè te ſaluto, & quævis proſpera intimè apprecor. *Hafniæ die 9. Dec.*

EPISTOLA OLAI ROEMERI AD D. DE KROSECK.

I. *De parallaxibus Lunæ.* II. *De Tychonicis atque Picardinis obſervationibus Aſtronomicis.*

I. IMmenſas ex animo gratias ago pro literis tuis humanitate & doctrina pleniſſimis. Quàm poſſum ſubmiſſe oro, ut condones tarditatem hujus reſponſi, quod tam ſerò mittere auſus non fuiſſem, niſi animum addidiſſet dudum experta Summi *Leibnitii* amicitia, qui magnopere a me rogatus eam ut ſpero apud te tam gravis delicti gratiam mihi conciliabit, quam ipſe ſolitus eſt benignè impertire. Coram utroque valeat eadem excuſatio, quòd elapſa æſtate creberrimè fuerim ab urbe abſens, nec domi nec rure per triduum continuò conſiſtens, neutrubi mediocriter otioſus. Te coram & hoc addendum, epiſtolam tuam tot gravia ſubtilioris Aſtronomiæ momenta continere, ut vel ſummo otio impar fuiſſem concinnando paucis diebus reſponſo, quod docti tui alloquii ſingulas partes nervosè & pro dignitate rerum aptè proſequi poſſet. Attingam tamen nonnulla ut potero quæ boni conſulas quæſo. Et primò quidem de parallaxibus Lunæ planè tecum ſentio, minùs rectè in earum indagatione ſupponi longitudines ex calculo, & refractiones ex tabulis. Longè rectiùs inveſtigari illas ex altitudinibus meridianis, quæ in diſtantibus terræ locis eodem momento obſervari poſſent, adhibitis cautionibus, de quibus accuratè admones. Certè ex obſervationibus, quas per certos homines in ultimos cogniti mundi fines tuis ſumptibus ablegandas, inſtituere cogitas, ingentia ad Aſtronomiam commoda, & ampliſſima ad nominis tui famam decora redundabunt. Præcipuum operæ pretium rediturum opinor ex promont. Bon. Spei, nam inde præter deſtinatum parallaxium negotium innumera noſtro cœlo invisa in lucem producentur. Accedit loci commoditas, qui ut audio nec neceſſariis ad vitam mediis, nec artificibus aliisque ad opus juvandum aptis hominibus deſtituitur, quæ omnia in boreali terræ cardine deſiderantur, qui altrorum menſori nihil inſoliti exhibere

bere valet præter ante viſorum diſtorſionem. Examinari proinde ab Excellentia tua pervelim, numne aliquis in littoribus veſtræ Pruſſiæ locus, qualis Regiomontum, quod non longè a meridiano Capitis Bonæ Spei declinabit, propoſito tuo poſſet ſatisfacere. Fatendum quidem, parallelorum differentiam hic ſaltem eſſe 90' circiter graduum, quæ iſtic ad 105 grad. extenditur, ſed libratis æqua lance omnibus circumſtantiis videri poſſet iſtum defectum 15 graduum abundè compenſari certitudine meridianorum, correſpondendi facilitate & ſexcentis aliis commoditatibus, quarum copia hic negotium promoveret & adjuvaret, iſtic penuria impediret ac corrumperet. Sed iſta acumini tuo perſpicienda relinquo. Quæ deducenda diſtantia & paralaxi ſolis ex umbris eclipſium leviter attingis, maximum excitarunt illa penitius cognoſcendi deſiderium, quum ipſe longiſſimè abſim ab omni ſpe in iſtud problema penetrandi per viam umbrarum, longè alio abreptus per methodum in Marte a me tentatam 1672, & nuper in Venere 1702, per quam diſtantia ſolis a terra non minor quàm intra 12 vel 15000 terræ diametros, & per conſequens paralaxis 9" vel 7" ſecunda, & iſta (ut hæc obiter moneam) non ſupponunt refractiones nec planetarum loca, ſed eorum ſaltem differentias diurnas, eaſque non a calculo deductas ſed re ipſa obſervatas. Nihilominus ſuſpenſo animo ulteriorem dubii hujus explicationem ab excellentia tua avidiſſimè expectabo.

II. Venio demum ad quæſtionem de mutatis meridianis, cui certius quàm ſuperioribus reſponſum reddere poſſum, quippe qui *Tychonis* manuſcripta tractaverim, P. *Picardi* obſervationibus interfuerim, proprias ſæpius, aliquas etiam hoc anno peregerim, quibus omnibus ad examen revocatis, tuto licet aſſerere, obſervata Danica hucuſque nullum mutati meridiani argumentum & indicium quidem ſuppeditare. De Tychonicis conſtat, ipſo etiam fatenti *Picardo*, illas non ejus eſſe notæ, ut in hac cauſa adhiberi debeant. Quicunque ipſa *Tychonis* manuſcripta inſpexerit, non negabit obſervationes illas horizontales, de quibus agitur, rudi Minerva vulgari aſtrolabio factas, & obiter extra ordinem reliquarum annotatas ad ſtatuendum ſciathericum, fundandum murum vel aliquid ſimile. In Picardinis, quæ non aliud agendo, ſed data opera ad determinandum meridianum inſtituebantur, ultra unius minuti errorem non ſubeſſe largior. Majorem tamen certitudinem nullo modo merentur, quantum ex mihi cognitis circumſtantiis judicare fas eſt. Et proinde nullam habeo cauſam, quare ex aliquantula a meis nuperis diſcrepantia ullam ſuſpicarer meridiani mutationem. An cum tempore minutiarum jam imperceptibilium cumulus in ſenſibile aliquid accreſcet, viderint poſteri, quibus hic epocham vel a quinque ſecundorum errore liberam relinquo. Sed deſiſto inconcinno ſcripto excellentiam tuam diutius fatigare, quum ſpem facias, in aula noſtra te propediem affuturum. Aderis verò mihi exoptatiſſimus, cui nihil tanti Hoſpitis colloquio accidere poteſt gratius, nihil rebus noſtris

Aſtronomicis honorabilius. Offendes hic machinamentorum & inſtrumentorum ſupellectilem non alibi viſendam. Sunt quæ vetuſtate, ſunt quæ novitate, alia quæ ſingulari uſu ſe commendant. Primo loco habenda erunt, quæ exacto tuo judicio probabuntur. Vale Illuſtriſſ. vir, & me tuo favore & benevolentia dignari perge. *Hafniæ die 9. Dec.* 1704.

G. G. LEIBNITII

EPISTOLÆ DUÆ

AD D. TIEDIUM,

Mathematum & S. Theologiæ in Acad. Kilon. cultorem.

Ex Kortholti collectione.

EPISTOLA I.

De emendatione Calendarii.

EX Domino *Kirchio* hic intellexi, non aſſentiri eum per omnia tuæ periodo; idque ipſummet vobis ſignificaſſe. Itaque velim rem inter vos amplius diſcutiatis. Non ignoras Romæ jam ipſius Gregoriani Calendarii ſive emendationem ſive explicationem aliquam agitari. Itaque tempus eſt, ut vos ibi quoque veſtra cogitata produci curetis. Dominus Abbas *Blanchinus*, Congregationis novæ in eam rem inſtitutæ ſecretarius, mihi eſt amicus, ſed & Cardinalis *Noriſius* nuper mei benevolè meminit erga amicum, itaque ſi qua ſuggerere poſſetis, quæ non nimis ab inſtituto Gregoriano abhorrerent, gratam rem præſtaretis, quam ego communicarem libens. Ampliſſimo *Reyhero* me commendari peto. Vale. *Dabam Berolini* 16. *Novembr.* 1701.

EPISTOLA II.

I. Caſſini *de Cyclo* Tiedii *judicium.* II. *Status controverſiæ de emend. Calendarii.* III. Leibnitius Tiedio *auctor eſt, ut concionandi uſum retineat.*

I. CAſſinus nuper a *Fontenello*, Academiæ Regiæ Pariſinæ Secretario, monitu meo interrogatus, quid potiſſimum in tuo elegantiſſimo Cyclo diſpliceret, id reſpondit: quòd non eſſet centenaria periodus, quod

quod miror. Quaſi id referret niſi fortè apud Gregoriana quovis pretio retinere volentem.

II. Ratisbonenſes noſtri omnes cyclos prædamnaverunt : adeoque commendatio Cycli tui ulterior inutilis erit. Pro ipſis autem excogitanda eſſet ratio utcumque Aſtronomica, per quam tamen vix hoc ſeculo a paſchate Gregoriano diſcedatur, niſi præſtat expectare quam Gregoriani ſui computi emendationem moliuntur.

III. Gratum eſt, quod intelligo te Theologiæ dediſſe operam, ſuaſerimque, ut concionandi uſum retineas. Ita enim certa ratio nobis offerretur curandi, ut aliquando evoceris ad honeſtam ſtationem, in qua propius adeſſe ſocietati noſtræ, & præclara cœpta melius continuare poſſis. Interim optem, ut calculis uſum obſervandi adjungas. Obſervationum enim maxima meritò ratio habetur. Celeberrimum *Reyherum* meo nomine impertias plurima ſalute. Vale. *Dabam Berolini* 28. *Januarii* 1703.

P.S. Scribit mihi Anglicanæ Societatis Regiæ Secretarius, Cyclum tuum, quantum ſciat ad ſocietatem non perveniſſe, ſed fortaſſe non ſatis advertit.

LETTRE

A Meſſieurs de l'Académie Royale des Sciences de Paris ;

Sur la reformation du Calendrier Grégorien.

MESSIEURS,

AYant appris plus particuliérement depuis peu que vôtre Illuſtre Académie me fait l'honneur de me compter pour un de ſes Membres, je n'ai point voulu différer davantage de vous en remercier très-humblement, & de marquer la joye que j'ai d'ailleurs de voir que mes foibles eſſais n'ont pas deplu à de ſi grands hommes, & à des Juges ſi exacts. J'eſpère même que cela me produira l'avantage de pouvoir joüir quelquefois avant le public des nouvelles lumiéres que vous decouvrez tous les jours dans les Sciences, & que vos avis, & vôtre concours pourront m'aider, & me redreſſer, lorſqu'il s'agira de perfectionner, & d'executer quelques penſées que j'ai encore, & qui me paroiſſent de quelque uſage.

Cependant ne voulant pas vous écrire une ſimple lettre de compliment, j'ai jugé convenable de me ſervir de l'occaſion pour recourir à vôtre jugement, Meſſieurs, ſur une matiere où le public s'intéreſſe, qui nous exerce maintenant en Allemagne, ſur laquelle ceux qui y prennent part me font l'honneur de me conſulter, & où vous êtes des Juges très-compétens. Voici ce que c'eſt.

Les

Les Etats Proteſtans de l'Empire reconnoiſſant, que l'année Julienne, qui avoit été en uſage autrefois dans toute l'Egliſe, & qu'ils ont gardée juſques ici, s'eloignoit trop du Ciel, ont réſolu depuis peu de la corriger avant la fin du Siecle, & de ſe regler à l'avenir ſur la verite Aſtronomique. Et pour executer cette réſolution, ils ont voulu que le mois de Fevrier de cette annee ne ſoit que de 18 jours, qu'on comptera le premier de Mars avec le Calendrier Grégorien, & qu'on continuera durant tout le ſiécle ſuivant de s'accorder avec lui à l'egard du ſtile des dattes, & à l'egard des Fêtes immobiles. Et quant aux Fêtes mobiles qui dependent de la Fête de Pâques, leur intention eſt, qu'on determine ſelon l'Aſtronomie l'Equinoxe du Printems, & la premiere pleine Lune d'après, afin qu'enſuite le Dimanche prochain ſoit le jour de Pâques. Ce qui leur donnera moyen de lever bien des inconveniens, cauſés par la difference des Calendriers, & de s'accorder ordinairement avec le Gregorien. Or comme autrefois l'Egliſe, pour executer les Canons du Concile de Nicee, & pour avoir le veritable tems Paſcal, recourut aux Mathematiciens d'Alexandrie, il ſera convenable encore preſentement de ſuivre les Avis des Aſtronomes excellens. Et puiſque les Lettres Patentes du Roi viennent d'etablir pour toujours l'Académie Royale des Sciences, par une fondation magnifique qui n'avoit point d'exemple encore dans la Chretiente; il paroit que Sa Majeſte a donné en cela encore à l'Egliſe un ſecours qui vient tout à propos, & dont il eût été à ſouhaiter qu'on ſe fut aviſé plutôt, en établiſſant des Mathematiciens habiles pour gardiens de ces Canons, au lieu de ſe fier à des Cycles, & ſemblables moyens populaires, qui dans la ſuite des tems ſe ſont tant écartés de la vérite. Ce qui auroit encore ſervi comme dans la Chine, à faire fleurir les Mathematiques par autorité publique.

Ainſi pour profiter d'une ſi favorable conjoncture, je prends la liberté, Meſſieurs, de vous ſupplier de vouloir bien faire penſer à cette matiére, & me faire apprendre vôtre jugement là-deſſus. Il y en a eu parmi nous qui ont propoſé de nouveaux Cycles; il y en a auſſi qui ont fait réflexion ſur ce que *François Viete* Maitre des Requêtes, & un des plus grands Mathématiciens de ſon tems, & *François Levera* Romain avoient remarqué touchant le Calendrier Grégorien. Il y a auſſi une perſonne verſee dans l'Aſtronomie qui entreprend de calculer des Ephémerides, & dont je prends la liberté de joindre ici le projet. Ceux qu'on employe préſentement à nôtre Calendrier corrigé, ont deſſein juſqu'à meilleur ordre, de ſuivre les Tables Rudolphines, cependant ces Tables ne ſont pas aſſez juſtes à l'égard de l'équinoxe, & ont encore ailleurs beſoin de correction; ainſi vos avis là-deſſus ſeront de grand poids, tant à l'égard des Cycles, Ephémerides, & Tables, que principalement à l'égard de la détermination des Equinoxes, & des pleines Lunes.

Si je puis contribuer en quelque choſe dans ce pays-ci ou ailleurs, à ce

à ce qui ſera à votre but, je le ferai de tout mon cœur ſuivant vos ordres, d'autant plus que ce ſera ſervir le public en même tems. Je ſerai même en toute autre choſe avec tout le zèle poſſible &c. *Hanover le 26. Fevrier 1700.*

P.S. (*Ce P.S. a été omis dans la Lettre envoyée à Meſſieurs de l'Académie*).

Puiſqu'on eſt ſur la reforme des Almanachs, j'ai propoſé chez nous, qu'on en fit exprès à l'avenir d'une certaine eſpèce, où l'on marquât de jour en jour, quel a été l'état de l'air, & de la ſaiſon de l'année précédente, avec les mouvemens du Barométre, Hygrométre, & Thermométre, & des vents régnants. Ce ſeroit rapporter véritablement le paſſé, au lieu de prédire vainement le futur, & ſerviroit non-ſeulement à détruire peu à peu les vanités judiciaires, mais encore à amaſſer en peu de tems un treſor d'obſervations importantes, ſur-tout ſi l'on y joignoit une eſpèce de recapitulation de l'état phyſique de l'année précédente, à l'égard des ſaiſons, plantes, animaux, & principalement de la maniére épidémique des maladies. Et il ſeroit bon que chaque Nation eût de tels Almanachs, dont la comparaiſon ſeroit encore de conſéquence. Mais une entrepriſe ſi utile, Meſſieurs, ne pourroit être mieux exécutée que ſuivant vos directions.

G. G. LEIBNITII
DE ORIGINE FRANCORUM DISQUISITIO,

Annotatiunculis illuſtrata

A

JO. GEORGIO ECCARDO.

1. CUM in Miſcellaneis Berolinenſibus de populorum Originibus differens, Francicas obiter attigiſſem, & paucis indicaſſem, a Balthico mari repetendas eſſe; ejus meæ ſententiæ, paradoxæ quibuſdam viſæ, rationes, a viris doctis expetitas, nunc in medium proferre placet. Unde apparebit natalia clariſſimæ gentis loca & antiquiſſimas, quæ noſcantur ſedes ad litus maris Balthici cis Oderam quæri debere. *Johannem Iſaacium Pontanum*, *Hadrianum Valeſium* alioſque viros inſignes, qui de rebus Francorum vetuſtis eruditè ſcripſerunt, in citerioribus temporibus locisque ſubſtitiſſe mirum non eſt. Satis illis fuit oſtendere, ubi habitarint Franci antequàm in Galliam tranſirent, ad dextram ſcilicet inferioris Rheni ripam; quia veteribus illis monumentis caruêre quæ mihi verſare datum eſt; partim jam prolata in medium, ſed poſt ipſos, partim latentia adhuc in Manuſcriptis.

2. Ridicula olim invaluerat opinio, Francos Troja pulſos ad Mæotidem paludem, mox in Danubium & Pannoniam navibus veniſſe, & inde a *Valentiniano* evocatos Romanis contra Alanos militaſſe, eoſque ex Mæoticarum paludum latibulis expulſſe, tandem in Germaniam Galliaſque penetraſſe. Talia ſatis malè cohærentia habentur in Geſtis Regum Francorum a *Frehero* editis. Et quod de *Valentiniano* (1) ſcribitur,

(1) Poterit tamen Francorum opera *Valentinianus* contra Alamannos uſus fuiſſe, & inde opinio, quod contra Alanos militaverint, invaluiſſe. *Alani* enim ſæpius in veteribus Codicibus cum *Alamannis* confunduntur. Ita *Crocus*, qui *Gregorio* Turonenſi lib. I.

tur, qui Francos ex Scythia vel a Danubio exciverit, planè ineptum eſt, cùm Francos multo ante jam ad Rhenum conſediſſe ex multis contemporaneis authoribus conſtet.

3. *Trithemius* Principes Francorum inde a Trojanis ex *Humibaldo* quodam recenſuit, ſed quem ipſe confinxiſſe videtur. Et memini, me literas ineditas legere *Friderici* Principis Electoris ac Ducis Saxoniæ ad *Trithemium*, quibus petebat Codicem *Humibaldi* ſecum communicari. Sed *Trithemius* reſpondit mutata ſede (nam Hirſaugia Herbipolin translatus fuerat) Codices non ampliùs in manu ſua eſſe.

4. Fabulam Trojanæ originis ſuſpicor ex eo natam, quod in Faſtis *Proſperi Tironis* quidam legiſſent ad annum *Gratiani* Auguſti quartum: *Priamus quidam regnat in Francia quantum altius colligere potuimus. Priami* nomen ſuffecit fabulæ, atque ita facilè gratus error obrepſit; ea enim multorum populorum vetus ambitio fuit Trojanas origines jactare,

Arvernique auſi Latio ſe fingere fratres
Sanguine ab Iliaco

apud *Lucanum lib.* 1. Et *Galfridus* Monumethenſis alios vetuſtiores fabulatores ſecutus, Britannos a *Bruto* filio *Aſcanii*, nepote *Æneæ* deducit. Talia & Francis placuiſſe apparet, ubi primum ad ſtudia Hiſtoriarum animum applicuêre.

5. Et mox non defuêre aliqui, (quos ſecutus eſt autor ille, qui Geſta Regum Francorum ſcripſit) qui & *Sunnonem* Francorum Principem *Antenore* natum adderent, ut fictio veriſimilior redderetur. Sed ego *Priamum* ex *Pharamundo* (hactenus ignoto, ſed avo ejus, qui innotuit) in *Pharamum* contracto corruptum ſuſpicor, ut ſolebant nomina barbarica ad ſuos ſonos accommodare Græci & Romani; cùm idem *Priamus* in vita *Sigeberti* Regis dicatur pater *Marcomeris*, & autori Geſtorum ſit avus *Pharamundi*, nempe nomen avi, ut fieri ſolebat, renovantis. Cæterum *Paulus* etiam *Warnefridi*, vulgo *Paulus Diaconus*, fabulæ vel potius fabulam amantibus favens, *Anſegiſum Arnulfi* Metenſis Epiſcopi filium Carolinæ ſtirpis progenitorem ad *Anchiſam* Trojanum refert, non tantùm in Epiſcopis Metenſibus, ſed etiam in Epitaphio *Rhothaidis* filiæ *Pipini* Regis:

Aſt abavus Anchiſe potens qui ducit ab illo
Trojano Anchiſa longo poſt tempore nomen.

6. Nec Troja ſufficere videbatur, *Alexander Magnus* cum Macedonibus accerſendus erat ad augendam claritatem gentis. Itaque *Fredegarius*;

lib. I. c. 30. *Alamannorum Rex* vocatur, in Fragmentis *Fredegarii* atque apud *Aimoinum* lib. III. c. 1. *Alanis* præfuiſſe dicitur. Nec vero abſimile eſt, Francos ex interioribus ſedibus ſuis, diu tamen ante *Valentiniani* tempora, ab ipſis Romanis adverſus Alamannos excitos.

Troja egreſſos Francos biſaria diviſione partim in *Macedoniam* veniſſe, partim cum *Friga* Rege vocatos Frigios Aſiam pervagantes in litore Danubii fluminis & maris Oceani conſediſſe; quæ quàm bene ſcilicet cohæreant, quis non videt? Tum partem gentis in Europam venientem (quaſi ſcilicet Danubius extra Europam fluat) *Francione* Duce, (unde nomen Francorum) Rheni ripam occupaſſe. D. *Hieronymum* citat nempe confundens continuatorem *Hieronymi Proſperum*, qui *Priamum* nominat, cum D. *Hieronymo Euſebii* Chronicon continuante.

7. Sed ubi ſemel Macedonia placuit, jam & Magno *Alexandro* Orientis domitori auxilia tuliſſe Francos æquum ac dignum videbatur. *Otfridus* Monachus Weiſſenburgenſis lib. I. cap. 1. in Evangeliorum Teutonicis verſibus ſcriptorum proœmio ad *Ludovicum* Germanicum *Alexandro* cognatos facit.

In einen buachon ih weiz war,
Sie in ſibbu joh in ahtu,
Sin Alexanderes ſlahtu.

Ex libro quodam didici, cognatione & exiſtimatione de genere *Alexandri* fuiſſe. Subdit deinde Macedonia egreſſos, & aliarum gentium imperia dedignatos. At *Aimoinus* lib. 1. de Geſtis Francorum Autoris Geſtorum ſupra citati & *Fredegarii* diverſas opiniones recenſens, addit quod *Fredegarius* non dixerat, viribus Francorum auctos Macedonas ſub *Philippo* & *Alexandro* proſpere bella geſſiſſe. Hoc exemplo etiam *Saxones*, ubi ſcriptores proprios habere cœperunt, Alexandrinæ militiæ gloriam affectârunt, ut ex *Witikindo* Corbejenſi patet. *Aimoinum* ſecuti ſunt *Sigebertus* Gemblacenſis, & multi poſteriores, quos referre nihil attinet.

8. *Gregorius* Turonenſis Epiſcopus Francorum Scriptorum extantium antiquiſſimus, nulla facta mentione Trojanarum originum aut Macedoniæ, primam Francorum ſedem Pannoniam (2) tradit, ibique urbem Sicam-

(2) Verba *Gregorii* ſunt: *Traduut multi eoſdem de Pannonia fuiſſe digreſſos: & primum quidem litora Rheni amnis incoluiſſe, dehinc tranſacto Rheno Thoringiam tranſmeaſſe; ibique juxta pagos vel civitates Reges crinitos ſuper ſe creaviſſe de prima, &, ut ita dicam, nobiliori familia.* Pannonia vetus Danubio verſus Septentrionem, & Cetio monte verſus occaſum, terminabatur. Si itaque inde in Thuringiam profecti fuiſſent, ſuperare primum debuêre Danubium. Inter Danubium verò & veterem Thuringiam non *Rhenus*, ſed *Reganus*, qui Germanice *Regen*, fluit. Unde evidens eſt, hunc amnem intelligi debere hoc loco. Ei facilis eſt confuſio utrorumque a Geographiæ imperitioribus. *Regen* enim vulgo in *ren* & *rein* contrahitur, & promiſcuè dictum eſt olim *Reginhart* & *Reinhart*; *Reginman* & *Reinman*; *Reginbold* & *Reinbold*; *Reginmar* & *Reinmar* ac *Reimar*; *Regenſtein* & *Reinſtein* &c. *Regenesburgum* quoque alicubi & *Reinesburgum* & *Rainesburgum* ſcriptum invenitur. Uſque ad Reganum imò & Danubium ipſum Thuringos Germaniam olim occupaſſe ex Anonymo Ravennate diſcimus, qui lib. IV. cap. 25. ſcribit: *Iterum deſuper ipſam, quomodo ut dicamus ad faciem patriæ Francorum Rhinenſium eſt patria, quæ dicitur Turingia, quæ antiquitus Germania nuncupatur, quæ propinquatur & patria Saxonum. Quam in patriam ſecundum præfatum Anaridum*

Sicambriam (3) ab iis conditam, quam quidam pro Buda habent. Sed contraria omnia dicenda ex vetuſtioribus conſtat, a quibus aliæ longè Francis ſedes, alii Pannoniæ habitatores tribuuntur. Franci ſubinde Sicambri dicti ſunt, quòd in loca Sicambrorum veterum ſucceſſiſſent, quos ad Sigam amnem ex adverſo Coloniæ Agrippinæ aut paulo ſuperius habitaſſe dubium non eſt. Itaque nihil cum Sicambris commune Franci habuere, antequam ad Rhenum ſunt progreſſi.

9. *Lacarrius*, qui de coloniis Gallicæ gentis librum edidit, & alii quidam Viri docti (4) ex Gallia, cùm origines Germanicas Francorum a *Cluverio*, *Pontano*, *Valeſio* aliiſque demonſtratas, negare non poſſent; ſtudio tamen præpoſtero honoris Gallici accenſi, eos ex Gallicis in Germania coloniis, & ita ex regione quidem, non tamen gente Germanica deduxêre. Cùm enim in *Julii Cæſaris* Commentariis (5) legiſſent Gallos

dum philoſophum deſignavimus. In qua patria aliquanta caſtella fuiſſe legimus, id eſt --- Per quam Turingorum patriam tranſeunt plurima flumina, inter cetera quæ dicuntur Bac & Rheganum, quæ in Danubio mergunter. Regani nomen clarè expreſſum hic eſt, & *Bac* neceſſario ex *Nab* ſive *Nabo* corruptum. Thuringos quoque Danubium accoluiſſe ſeculo quinto, patet ex *Eugippii* Vita S. *Severini*, in qua quædam de Thuringorum in Vindeliciam irruptionibus cap. 27. & 31. narrantur. Conjicio inde, cum Franci Bodogaviam, Windogaviam, Wirogaviam & Salegaviam occupaſſent, Thuringos, ſupra eoſdem, terras ab Albi inter Salam Albi influentem & Hercynios ſive Bohemicos montes per Miſniam, Voigtlandiam & per Franconiam inter Tubarum amnem & eoſdem Bohemicos montes ad Danubium uſque Germanorum vel Hermundurorum reliquiis eripuiſſe. Ex terris inter Montes Bohemicos & Salam Albi influentem egreſſi, ſibi uſurparunt Wirogaviam, Windogaviam & Bodogaviam provincias, a Francis, Rhenum maximam partem tranſgreſſis, vacuas penè relictas, non tamen ſine Francorum ibi reliquorum maletractatione, de qua adhuc *Theodericus* Rex apud *Gregorium* Turonenſem conqueritur. Idem hic Rex, Thuringorum Rege *Herminfredo* devicto, quicquid inter Tubarum & Montes Bohemicos ad Danubium uſque habuerant, Thuringis eripuit: eaque regio deinde *Franconia* ſive *nova Francia* vocata eſt; accedítque eidem tandem & Pagus *Salegau* & *Wirogau*. Sed hæc alibi diſtinctius explicabimus. Maxima verò hujus regionis pars deinde Marchiæ Bajoariæ attributa eſt, & habitaverunt in ea Marchiones Auſtriæ veteres. *Gregorius* Turonenſis, & quos ille conſuluit, ex ſitu Franciæ ſui temporis concluſerunt, ipſos Francos, ut Gothi & Langobardi, ex Pannonia veniſſe. Et commixtio Maris Balthici cum palude Mæotide hunc errorem promovit.

(3) Memoria hic feſellit Illuſtrem authorem. Neque enim de *Sicambria* urbe quicquam Turonenſis habet. Sed Geſta Regum Francorum, *Hincmarus* in Vita S. *Remigii*, & Anonymus in Vita *Sigeberti III.* Francorum Regis, ejus ſolummodo meminerunt. Oſtendunt Hungari adhuc reliquias Sicambriæ in pago *Schambry* dicto non procul a nova Buda atque è regione inſulæ D. Margarethæ. Inſcriptiones Romanas ibi plurimas effodi *Laxius* Commentar. Reipubl. Rom. lib. XII. cap. 13. teſtatur. Sed illa, quam inſeruit, & quæ de *Sicambrorum Legione* ibi collocata agit, ſine dubio fictitia eſt. Si unquam Sicambri ibi fuerunt, eo deducti ſunt *Tiberii* Imp. juſſu, qui Sicambros trans Rhenum & alio migrare juſſit.

(4) Quales nempe ſunt, *Jo. Bodinus*, *Steph. Forcatulus*, *Audigierius*, *Antonius Goſſelinus*, *Gabriel Trivorius*, quibus poſt editum *Leibnitii* libellum accellit *R. P. Turneminius* S. J.

(5) Adde *Livium* lib. V. cap. 35. de iſta Gallorum migratione. Cujus tamen narra-

olim coloniam in Hercyniam ſylvam duxiſſe; ſtatim, etſi ſine autore aut argumento, decreverunt, ex his Gallis Francos ortos, in majorum patriam rediſſe. Sed hæc optantis ſunt, non ratiocinantis, & cum iis, quæ proferemus, non conſiſtunt, nec dubium eſt, Francorum linguam fuiſſe Teutonicam. Gallis colonis Bojorum regio a veteribus aſcripta eſt, & credi poteſt, cùm in Aſiam tenderent, (quanquam Germanis, ut apparet, in ſocietatem aſcitis) nonnullos ſuorum in regionibus non admodum a Danubio remotis reliquiſſe. Sed eos longiſſimè ab itinere deflexiſſe, quo nihil invitabat, ad mare ſcilicet Balthicum, & inter medias Suevorum ferociſſimas gentes conſediſſe, ibique ſe tueri potuiſſe; ab omni rationis ſpecie alienum eſt.

10. Antiquas Francorum ſedes, antequàm Romanis noſcerentur, ad mare Balthicum quærendas, primus me docuit Geographus Ravennas, (6) ſcriptor ortus, ut apparet, ex Gothis (ut *Jornandes*, qui etiam Ravennæ egit) vel ex alia aliqua Germanica gente; horum enim ſcriptores, ſive, ut loquitur, Philoſophos aliis ignotos citat. Hunc primus edidit *Porcheronus* ex Benedictinis Sangermanenſibus vir doctiſſimus: Poſtea ex Leidenſi codice, quem *Grotius* olim indicaverat, recenſitum incudi reddidit *Jacobus Gronovius*, qui paternam claritatem ſua æquavit. Anonymus ille hæc habet lib. 1. cap. XI. *quarta ut hora noctis Normannorum eſt patria, quæ eſt Dania ab antiquis, cujus ad frontem Albes vel patria Albis* (7), *Maurungania certiſſimè*

tio de *Belloveſo*, ex Gallia trans-Rhenana in Italiam tendente, & de *Sigoveſo*, Hercynios ſaltus occupante, ſibi parum conſtat, ut alibi oſtendimus.

(6) Germanus hic natione fuit, & fratri *Odocaro* librum ſuum dedicavit, ut ex Lib. I. cap. 13. patet. Barbaro quidem ſcribendi genere utitur, ſed ſua ex optimis & maximam partem, ſi *Ivonandem* excipias, deperditis libris excerpſit, ut adeo magno nobis in pretio ſit habendus. Accuratiorem illum orbis notitiam habuiſſe præterea hæc ejus ſub finem libri I. extantia verba indicant. *Potuiſſemus*, inquit, *Chriſto nobis juvante ſubtilius dicere totius mundi portus & promontoria atque inter ipſas urbes miliaria, vel quomodo cuncta patriæ, aut qualiter ponuntur, mirificè depingendo deſignare. Sed ideo, tanquam lectionem noſtram Coſmographiæ exactiorem facientes, omnes deſignationes vel quæ plana fuerunt polylogia fugientes, taciturnitati commendavimus.* Et ab initio ejuſdem libri dicit, ſe compellatum a fratre, ut per *pallidines* h. e. *imagines* vel *delineationes* mundum indicet, non quidem, ut hoc præſtet, omnem ſe peragratum eſſe orbem; attamen *multorum philoſophorum relegiſſe libros & intellectuali doctrina imbuiſſe totum mundum diverſarumque gentium habitationes, ſicut in eorum libris ſub multorum Imperatorum temporibus, mundus iſte deſcriptus ſit.* Quæ etiam in medium profert, optimè conveniunt cum aliis ejuſdem ævi authoribus; ut vel *Porcheroni* annotationes patefaciunt. Quando igitur ejus authoritas rejicitur, contraria eidem ſententia non conjecturis, ſed validis argumentis confirmanda eſt. Nec noſtris in rebus invenio, quæ cenſuram mereantur, niſi quod *Daniam* & *Daciam* ſubinde confudiſſe videatur.

(7) Per *patriam Albis* hic intelligitur Albingorum terra, ſive regio trans Albim; ab Egidora ſive Dena ad Albim uſque protenſa, quæ medii ævi ſcriptoribus *Nort-Albingia* audit; & Holſatiam, Ditmarſiam, Stormariam, Ducatumque Lauenburgenſem (olim,

ſſimè antiquis dicebatur, in qua patria Albis per multos annos Francorum linea (8) *remorata eſt.*

11. Mau-

olim, & ante Slavorum irruptionem, Wagriam quoque & Ducatus Mecklenburgici partem uſque ad Warnam fere) complectebatur. *Frons* hic eam partem, quæ meridiei obverſa eſt, deſignat, ut *tergum* ſit verſus Septentrionem. Ita *poſt terga* Francorum Britannia, *poſt terga* Friſonum inſulæ Saxonum in eodem Authore. Aliter eſt in fluminibus, quorum *tergum* eſt regio, a qua defluunt, & *frons*, ubi exeunt. Ita ad frontem Albis fluvii nempe, *Dania* quam erroneè Ravennas *Datiam* vocat. Eruditus *Leibnitii* adverſarius dicit, ſi ita frons Albis ſumatur, *Maurunganiam* ſive *patriam Albis* verſus Orientem ſitam fuiſſe: Ravennatem tamen infra lib. IV. cap. 18. eandem etiam *ad partem quaſi meridianam* ponere, atque ita tam confuſe loqui, ut ei fidi non poſſit. Sed ipſa Ravennatis verba proferenda ſunt. Is ubi de Saxonia & fluminibus ejus Amiſio, Padera, Lippa, Lina dixerat addit: *Item ad partem quaſi meridianam, quo ſpatioſiſſima dicatur terra, eſt patria Albis - - ungani montuoſa per longum, quæ ad Orientem multum extenditur, cujus aliqua pars Bajas dicitur. Prænominata Albis patria, ſecundum præfatum* Marcum Mirum *philoſophum, qui Saxoniam deſcribit, deſignavimus. Hæc patria habet non modica flumina, inter cætera fluvius grandis, qui dicitur Albis & Biſigibilias, Sexaginta, quæ in Oceano funduntur.* Illud *ungani*, cujus initium conſpici non potuit, adverſarius *Leibnitii Maurungani* legit; Sed *Maurungania* non eſt *montuoſa*. Unde concludo, ipſum *patriam Albis* generaliter ſumſiſſe pro omni regione Albi adjacente. Inferiorem verò patriam Albis *Maurunganiam* vocavit; ſuperiorem, quæ montuoſa, *Hartunganiam*; & a Boda Albi influenti *Hartingau* pagus in medii ævi monumentis obvius eſt, qui Harticum nemus & montana comprehendit. *Hartum* verò vel *Harzum* noſtrum, ut & alibi veteres perſæpe fecerunt, cum *Hercynia* magna confundit. Unde dicit Hartunganiam multum ad Orientem extendi & partem ejus *Bajas* dici. Ubi *Bojos*, Bojohemiæ incolas, intelligit. Uti autem *Hercynia* dicta videtur a *pice* ſive *reſina*, nobis *harz* dicta, ita & *Boji* ab eadem appellationem habuerunt. Gallis enim, ex quibus Boji erant, & adhuc Cambris *peg*, Wallis *pyg*, Aremoricis *pek*, nobis Germanis *pech*, & alicubi *bech*, pix & reſina dicitur; ut adeo *Bojus* & *Hercynius* ſint ſynonyma. Ravennas commemorata hac ſuperiore Albis patria, regreditur, ejuſque flumina deſcribit, quæ in Oceanum labuntur, *Albim*, *Biſigibilias* & *Sexaginta*. Corrupta ſunt nomina hæc, ſed dum in patria Albis ſita ſunt, non procul ab Albi, nec procul ab Oceano quæri debent. Unde neque *Leibnitii* conjecturam *Biſigibilias* de *Viſtula* interpretantis, neque Viri docti de *Viſurgi* exponentis probare poſſum. Mea verò ſententia, diſrumpi poſſet ea vox hoc modo: *Biſigi*, *Bili*, *Ar*; ut *Bieſa*, *Billa* eſt *Oſta* intelligantur, quos Albis Oceano propior recipit. *Sexaginta* fortè etiam ex *Saſa* & *Schwinga* fluviis prodiit. Sed nihil definio; contentus demonſtraſſe, Ravennatem Maurungaviam non ſimul ad orientem & meridiem collocaſſe. De *Harzunganis* enim & *Hercynia* ibi loquitur, non de *Maurunganis*.

(8) *Linea* neque extremitatem neque partem unquam denotavit: uti adverſarii Leibnitiani perhibent: ſed ſignificat atque ſignificavit ſemper *ductum* vel *tractum continuum a principio ad finem ſuum*. Fallitur aut fallit, qui aliter eam vocem interpretatur. Sic in genealogicis rebus *linea* eſt idem ac *genus*, *gens*, ſive *generatio*. *Paulus Diaconus* exemplum præbet, ubi lib. II. de Geſtis Langobard. cap. 9. ſcribit: *Qui Giſulfus non prius ſe regimen ejuſdem civitatis & populi ſuſceperunt ex.it, niſi ei, quas ipſe eligere voluiſſet, Longobardorum* laras *hoc eſt* generationes *vel* lineas *tribueret. Factumque eſt, & annuente ſibi Rege, quas optaverat Longobardorum præcipuas* proſapias, *ut cum eo habitarent, accepit, & ita d-num ducatus honorem, adeptus eſt.* Gloſſæ veteres: *Linea, σειρὰ γένους.* Id quod idem eſt ac *funiculus generationis* ſive *genus veluti id de patre in filium progreſſum eſt*. Hinc & Gallicum *ligne*, *lignee*

&

11. Maurunganiam vel potiùs Mauringaviam ſive *Mauringiam* (9) fuiſſe ſitam

& *lignage* pro *genere* & *ſtirpe*. Vita S. Genulphi de Childerico: *Hic verò linea proſapiæ Pharamundi per viros defecit, manſit verò per Bluhildem.* Monachus S. Eparchii Egolismenſis in Vita Caroli M. *Carolus Martellus genuit Pipinum, qui de illa linea generationis elevatus eſt primus a Francis, evacuata omni Linea de genere Pharamundi.* Ubi *linea* integram perſonarum ſucceſſionem in familia a primo authore ad ultimum uſque denotat. Guilielmus Malmesburienſis lib. I. c. 1. *Erant abnepotes illius antiquiſſimi Woden, de quo omnium pene barbararum gentium regium genus* lineam *trahit.* Quibus Malmesburienſis ad Bedæ verba reſpexit, quæ Hiſt. Eccl. Angl. lib. I. c. 15. de eadem re ita leguntur: *De cujus (Wodeni) ſtirpe multarum provinciarum regium genus originem duxit.* Ipſe Ravennas Geographus *lineam Francorum* inferius lib. IV. c. 46. *Francorum generationem* per Synonymum vocat.

(9) *Paulus Diaconus* eandem regionem *Mauringiam* vocat & *Scoringiæ* ſive regioni Cherſoneſi Cimbricæ litorali, quæ inſulas Danicas reſpicit, vicinam fuiſſe indicat. Poſt Moringiam idem hic author Golandam ſive Gothorum regionem ponit, non quod ipſa Gothorum regio Mauringiæ proximè adſita fuerit; ſed quod intermediæ gentes tunc a Gothis dominarentur. Poterit autem optimo jure Wagria & vicinæ Provinciæ unà cum Lauenburgicis & Mecklenburgicis terris Mauringia vocari a ſuis *Moris* ſive *paludibus* & *lacubus.* Nullibi enim tam frequentes paludes, quàm hic locorum, invenies. Et videntur Slavi irruentes inde adſitam regionem *Pomeraniam* ſive, ut ipſi loquuntur, *Pomorze* nominaſſe, non tam quod *mari* (ita enim integra litori nomen Pomeraniæ conveniret) quàm quod veteri Mauringiæ vicina eſſet. Vir hiſtoricæ rei alias non imperitus putavit *Mauringiam* hanc collocandam eſſe in Bremenſi Ducatu, ubi Chauci habitarunt. Fictitiis *Caroli M.* diplomatibus Bremenſi & Verdenſi ſententiam ſuam confirmare allaborat. Dum enim ibi in deſcriptione finium utriuſque Diœceſeos legitur: *Motam paludem, quæ dicitur Sigefrideſmor* &c. Ille ſtatim *Motam* idem eſſe ſtatuit ac *moram*, quod tamen ſolidioribus argumentis demonſtrandum erat. Nec enim audacibus conjecturis, ſed veterum auctoritatibus talia fulciri debent. Notandum quoque, non, ut vulgo cernitur, ſed ita diſtingui debere: *Motam, paludem, quæ dicitur Sigefrideſmor* &c. *Mota* enim eſt palus, ſed miſer amniculus & vix accolis notus, qui nunc *Meda* dicitur, ubi infra Zevenam in Oſtam defluit; ſupra verò Zevenam generali nomine *Aue* venit, peculiari indignus ob exiguitatem ſuam. Debeo hanc Motæ notitiam peculiarem Cl. *Rothio* Gymnaſii Stadenſis Rectori, qui regionis iſtius deſcriptionem accuratiorem magno ſtudio & diligentia confecit, & vetera nomina recentibus ſecundum ductum monumentorum fide dignorum ubique ſolicitè contulit. Concidit ergo paradoxa opinio adverſarii Leibnitiani a *Mota* hoc Mauringiam deducentis. Quod idem addit, *Chaucos* in Tabula Peutingeriana ſub Francis comprehenſos eſſe, hoc etiam erroneum invenio. Tabula enim illa populos litoris Germanici, & eos, qui ad Rhenum habitabant, recenſens, primò ponit *Chacos*, ſeu *Chaucos*, quos jam Rheno vicinos *Lucanus* teſtatus eſt. Juxta Chaucos ponit *Anſivarios* ſive *Amſivarios.* Sub Chaucis ad exitum Rheni habitantibus atque Rheno proximis locat populum, quem *Rhepſtini* corruptiſſimè ſcribit; unde quidam non minus erroneè Cheruſcos faciunt. Fortè legendum eſt *Tencteri*, ut Tencteri veterum indicentur. Sub hoc demum populo, cujus nomen corruptum eſt, proximè ad Rhenum in Tabula ſequuntur: *Chamavi qui & Franci*; quo indicatur, reliquos ante nominatos populos non eſſe Francos. Sub Chamavis & quidem ad medium Rhenum porrò in eadem Tabula longo ordine ſequitur FRANCIA & eam a Borbetomago excipit SVEVIA. A Chamavis enim uſque ad Mœnum Rheno influentem *Theodoſii* ævo habitabant *Franci.* Supra Franciam illam Oceanum verſus inveniuntur *Burcteri*, ſive *Bructeri*, qui ita etiam a Francis diſtinguuntur: licet hos eorum ſocios unà cum Amſivariis aliquando

ſitam ad mare Balthicum, conſtat ex *Paulo Warnefridi* (10) vulgo *Diacono*, iter Longobardorum (etſi fictitium) deſcribente; præterquam quod ipſo vocabulo indicatur. Eſt enim Mauringia regio maritima (11) ut Morini, ut Aremorica; & hodieque eadem ferè regio *Pomerania* appellatur, ſunt enim Pomerani Slavico ſermone ſiti ad mare, ut *Polabi* ſiti ad Albim, *Labe* enim Albis eſt Slavis.

12. Itaque ex Geographo Ravennate apparet, *Francorum lineam* ſeu majores regionem incoluiſſe intra mare Balthicum & Albim. Quæ re-

quando fuiſſe non negaverim. *Chamavos* Francis quoque accenſet *Julianus* Imp. Epiſtol. ad S. P. Q. Athenienſem. Cis Amiſium verò amnem nunquam Franci degerunt. Nec Vir celebris *Chaſuarios* ſive accolas Hatæ rectè inter Francos retulit. Diverſi enim hi ſunt ab *Attuariis Francis*, qui a Wettera amne nomen habent; & apud *Strabonem* lib. VII. ibi jam *Chattuarii* occurrunt, qui Rhenum deinde tranſgreſſi inter illum & Moſam conſederunt. In Mauringia verò noſtra, ſive in terris a Slia & Egidora ad Chaluſum vel etiam Warnam in litore maris Balthici jacentibus (hos enim fines Mauringiæ ferè adſcribo) Francos primum degiſſe, præter Ravennatem & aliæ rationes evincunt, inferiùs producendæ. Ad Panim ſive in Pomeraniam uſque Mauringiam tamen extendi nolim; quia Pomerania paludibus & ſtagnis non referta eſt, ut Wagria & Mecklenburgicus Ducatus, & quia præterea ex altero Warnæ latere *Warini* a veteribus commemorantur.

(10) Authoritatem *Pauli Diaconi* impugnat Celeberrimus *Leibnitii* adverſarius. Dicit, eum omnia miſcere, & ubique malè cohærere ejus narrata: quod tamen, ut verum fatear, hactenus non obſervavi. Secutus eſt veteres Scriptores jam deperditos. Migrationem etiam Langobardorum exactè refert, ſi excipias, quòd eos ab extrema Jutia in Orientem ducat, cùm in noſtro Albis litore potiùs commorati ſint. *Aſſipiti*, quos ſupra Mauringiam commemorat *Paulus*, toto cœlo ab *Ufipetibus* inferioris Rheni accolis differunt, & ſignificant *Aſſos reſiduos*, qui ſcilicet non iverant in Septentrionem cum *Odino*. Mauringia transmigrata, dicit, veniſſe Langobardos in *Golandam*, h. e. Gothorum terram. Hos enim præſertim ſub Hermanarico in omni litore maris Balthici etiam cis Viſtulam imperaſſe *Jornandes* non obſcurè prodit. Ex Gothorum patria eos in *Anthaib* (h. e. Antarum regionem ſive Poloniam) deinde in *Bathaib* deſcendiſſe refert. *Bathaib* hoc ſine dubio eſt *Gepidarum* terra, vetus nempe *Dacia*. *Gepidæ* enim dicti ſunt quaſi *Gothorum reſidui*, a *beiten*, *biden*, manere, reſiduum eſſe. Et *pide*, *beite*, *bathe* pro *reſiduo* regulariter dici poteſt, præſertim ſi *a*, more veteri, ut *e* enuncietur. *Bathaib* ergo ex *Bathorum* ſive *reſiduorum* (ſc. Gothorum) *regio*, qui iidem ac *Gepidæ*. *Burgundaib* eſt Burgundionum terra, quam ſcilicet Gepidiæ proximam tenuerunt, antequàm Galliam intrarent. Hæc ſi obſerves ſolum, locis illis nomina per anticipationem dari, optimè cohærent. Nec audiendus *Vorburgius*, quando dubia adverſus *Pauli* narrationem injicit, ex ignorantia veterum rerum enata. Dum celeberrimus vir Mauringiam cis Albim eſſe perſuadere conatur, putat etiam apud *Dionem* Oceanum Germanicum λίμνην dici. Sed *Dione* accuratius inſpecto, videbit, λίμνην ab Oceano diſtingui, & *Vada* Oceani (vulgo *die Watten* dicta) ea voce indicari. *Tacitus* verò Ann. lib. II. c. 8. per *lacum*, unde in Oceanum delatus eſt Germanicus, non vada illa, neque Oceanum ipſum; ſed *Flevonem lacum*, quem Rhenus efficit, & cujus etiam *Mela* lib. III. c. 2. meminit, intellexit. Videatur *Menſonis Altingii* Notitia Batavíæ & Friſiæ antiquæ pag. 63. Sed hæc obiter.

(11) Mauringiæ nomen non *maritimam*, ſed *moris* ſive paludibus plenam regionem deſignat.

gio videtur ferè contineri intra Eidoram & Panim (12) amnes; & fortè ultrà ad Oderam ſeu Viadrum uſque protendi. Et ſecundùm hodierna nomina continebit Holſatiam, Ducatum Lauenburgicum, Ducatum Mecklenburgicum & Pomeraniæ partem (13): & ex gentibus eas regiones olim incolentibus, Reudignis (14) (an cum *Cluverio* Deuringis?) Avionibus (an qui poſtea Caviones vel Chaibones?) Anglis, Werinis (15) (ſeu Varnis), Eudoſibus (16), & quos alios illic *Tacitus* memorat; globum acerrimæ juventutis & velut ver ſacrum, ad novas ſedes quærendas fortunamque tentandam exiviſſe. Nec dubitem addere (17) Herulos & Rugios & eos, qui antiquioribus Cimbri (18), & Saxones & trans Eidoram Danos ac Jutas, etſi *Tacito* non memoratos; *Nigelli* ſecutus teſtimonium, quod mox afferetur.

13. Id

(12) Uti jam monui, pauliſper contrahenda videtur vetus Francorum edes, inter Eidoram nempe & Warnam.

(13) Hæc adimenda eſt Francis ob rationes adductas.

(14) Lege: *Reudingis*. Alibi oſtendo pro *Reudingis* poni debere *Heudingos*, & denotari *incolas Ericeti Luneburgici*, quod nobis *die Heide*. *Avion-s* verò ſunt habitantes ad *Avam* Luneburgicum, ſive *Auam*, quæ jam protractius *Ilmenavia* dicitur. Longobardis itaque utrique viciniores, quàm Francis fuêre, & verolimile eſt maximam partem cum iis exiiſſe, Saxonibuſque terras ſuas vacuas pene reliquiſſe.

(15) Quoſdam ex his cum Francis Albim tranſiiſſe non negaverim, præſertim cùm ii, qui Legem Anglorum & Werinorum habuerunt, in Francia, ut alibi oſtendam, coluerint. Major tamen pars diu poſt Francorum emigrationem in avitis ſedibus adhuc remanſit.

(16) *Eudoſes* ego quaſi *Eudores*, ſive accolas Oderæ, dictos puto.

(17) Liberalius paulo hic Vir Illuſtris Francis diverſos admodum populos adjunxit.

(18) Profiteor hic ego, me ſtatuere, *gentem Francorum* eſſe *ipſas Cimbrorum veterum reliquias*; quia ſitus Francorum in Mauringia quadrat in *Cimbrorum civitatem* Tacito memoratam. Illam enim inter Anglos & Varinos poſuit graviſſimus hic author, ubi Ravennas lineam ſive gentem Francorum olim habitaſſe refert. Cimbros ab antiquo *prædones* & *vagos* fuiſſe *Poſidonius* & ex eo *Feſtus* aſſerunt. Imò genuinum ipſorum apud Germanos nomen ab illo Cimbrorum diverſum, *Plutarcho* teſte, *latronem* denotavit. Vetuſtiſſima autem vox, qua *latronem* vel *prædonem* nec non & *vagum* ſive *exulem* indicavimus, fuit *warge* & *wrake*; uti etiam trajecto *r* dicimus *bernen* & *brennen*; *born* & *brun*; Sax. *wermte* & *wremte* &c. Vox a *werſen*, *ejicere*, derivata *ejectum*, ſcilicet patria, &, quoniam exules ejuſmodi ex præda vivebant plerumque, per conſequentiam *prædonem* & *latronem* ſignificavit. In Lege Salica Tit. LVII. leg. 5. *wargus* redditur *expulſus de pago*. Gloſſæ interlineares *Thuani* hic habent *dejectus* pro *ejectus*. Junge, quæ *Cangius* his addit. *Sidonius Apollinaris* lib. VI. Epiſt. 4. prodit Arvernos *latrunculos* vocaſſe ſua lingua *vargos*. Septentrionalibus ſpeciatim *warger* deſignat *piratam*. Et cùm olim piratica laudi apud populos barbaros haberetur, Septentrionales nomen *Wargorum* honorabile ſibi putabant. Sic Dani illi ex Anglia Conſtantinopolim profugi, atque ibi in cuſtodiam Imperatoriam ſeculo undecimo adſciti, ſe *Waringos* vocabant; unde Græci *Barangos* fecêre. Speciatim Lubeca, & unde Lubeca excrevit, Aldenburgum in Ruſſicis monumentis in *Variach* ſita dicitur. Et quoniam ex illa regione omne mare Balthicum præcipua mercimonia acciperet, atque inde etiam celebriores piratæ venirent, factum eſt, ut omne Mare Balthicum Ruſſis etiam *Mare Waregicum* dictum

13. Id autem factum verisimile est, cùm bello Marcomannico sub *Marco Antonino* commotâ barbarie pars gentium citeriorum in Romanas regiones irrumpens ulterioribus succedendi locum fecisset, aut dedisset exemplum: quo tempore Gothi & Burgundiones versus orientem, Franci versus meridiem migravêre; illi nonnihil in meridiem, hi paulum in occidentem flexi; illi ex regionibus trans-Oderanis, hi ex cis-Oderanis.

14. Geographi Ravennatis testimonium adjuvat *Ermoldus Nigellus* (19) Francus autor. Ejus carmen habetur nondum editum ad *Ludovicum Pium* Augustum. Ubi de *Haraldo* Dano principe regii sanguinis agens, qui in Aula Cæsaris fidem Christi receperat, disertè ait, Francos fuisse Danis cognatos, imo ex iis ortos, nempe pro parte, ac de cætero (quemadmodum judicare æquum est,) ex regione Danis vicina, cujus incolæ ejusdem cum Danis essent originis; ut autor hic Ravennati concilietur. Verba ita habent libro quarto:

dictum fuerit atque adhuc dicatur. Et *Ruricone*, qui seculo post C. N. octavo Principatum Russorum adeptus est, *Waregus* nominatur; quia ex Danis regioni *Variach*, sive, ut vocabulum a Slavis deinde corruptum est, *Wagria* vicinis ortus esset. *Warge* verò hoc Anglo-Saxones *wraee*, *wræce*, sive *vræce* & *fræce* enunciarunt. *Benſonius* in Vocabulario Anglo-Saxonico: *Wracan*, *wracian*, exulare. *Wræcca*, exul, miser. *Wrecca*, *wreccea*, exul, miser. *Fræc*, profugus. Ut alia prætermittam. Francorum nomen veteres quidam per *ferox* exponunt, unde illud a nostro *frech* derivasse videntur Licet autem hæc ratio vocis falsa sit, indicat tamen *Franci* vocabulum olim sine *n* scriptum fuisse; quemadmodum & in Norwegicis monumentis veteribus Franciam aliquoties *Fracolandiam* exaratam inveni. Cùm igitur *Waregi* sive *Fræci* aut *Fraci*, hoc est, *vagi*, *exules* & *piratæ* vel *latrones* eo loco inveniantur, ubi parvam *Cimbrorum* civitatem veteres ponunt; & Cimbri Germanice nomine, quod *latronem* denotet, insigniti fuisse a veteribus authoribus ferantur: hoc ego nomen *Frace* vel *Frake* fuisse non vanè existimo. Ex *Frake* autem, *n* indito, factum deinde est *Franke*, *Francus*; ut ex *recken* prodit *rancke*; ex veteri *brechen*, splendere, *prangen*; ex *wacken* (unde *wackeln* diminutivum) ejusdem sensus *wancken* &c. Qui prodidere, ipsum Cimbrorum nomen *latronem* significare, *Plutarchum* attentè non inspexerunt. *Fracis* enim sive *Francis*, a Germanis ita dictis, Cimbrorum appellatio indita est ab Helvetiis Gallis, cùm societatem cum iis adversus Romanos iniissent. Et notatu dignum est, *cymmar* adhuc in lingua Cambro-Britannica, veteris Gallicæ tobole, *socium*, *sodalem*, *comparem* designare. Sed hæc alibi fusius exponentur. Sufficit nobis hic, vel ex ipso Francorum nomine, eorum originem a Balthico mari, confirmasse. Accedit his dialectus Francica vetustissima, quæ, ut ex reliquiis ejus in Lege Salica Heroldina extantibus patet, Saxonicæ atque Anglo-Saxonicæ propinquior, quàm Alamannicæ fuit; & sibilis etiam caruit. Exempla in Notis nostris ad hanc Legem passim videri possunt.

(19) Carmen ejus de Vita *Ludovici Pii* in Bibliotheca Cæsarea asservatur. Editionem promisit Illustris *Gentilottus ab Engelsbrun* in Catalogo Codicum MStorum ejusdem Bibliothecæ proximè imprimendo. Facilius autem gravi illius ævi scriptori, ex communi traditione aliquid asserenti, fidem habuerim, quam nostræ ætatis homini, eidem contradicente, nec tamen valida satis adversus ipsum argumenta proferenti.

Hic populus porrò veteri cognomine Deni
Ante vocabantur, & vocitantur adhuc.
Nort *quoque Franciſco dicuntur nomine* manni,
Veloces, agiles *armigerique nimis.*
Ipſe quidem populus lacè pernotus habetur,
Linire dapes quærit, incolit atque mare.
Pulcher adeſt facie, cultuque ſtatuque decorus,
Unde genus Francis, *adſore fama refert.*
Victus amore Dei, generiſque *miſertus* aviti
Tentat & hoc Cæſar lucrificare Deo.

15. Dænos vel *Dænos* appellat, ut hodieque Germani facimus, non *Danos*; nempe a fluvio *Dæna* vel Dina, quod apud Anonymum illum Ravennatem vetus fuit Eidoræ nomen, in *Deninga* (ad fluminis exitum) vulgo Tœninga, relicto appellationis antiquæ veſtigio, *nam Eidoram dictam conſtat ab* Heggedor, (*ut Dithmarus a me reſtitutus vocat*) *vallo ſcilicet, in quo ad aditum portæ relicta erat, quo Dani ejus ripam antiquitus munierant*; quæ pag. 29. Tomi I. Scriptorum Brunſvicenſia illuſtrantium jam a me notata, primus erui ex Ravennate Geographo, Danorumque ut Francorum originibus lucem, ni fallor, aliquam attuli, Danoſque loco ſupra dicto jam antiquitus, Romanis fuiſſe laudatos notavi. *Laudabatur Parſus Marco, dum non noverat Gothos, ſed ô ubi eſt Danus?* (20) quod Romanorum dicterium Geographus Ravennas nobis ſervavit, quo Gothi Parthis, ſeu Perſis, Dani Gothis præferri videntur, & credibile eſt *MARCUM intelligi Antoninum.* Sed hæc obiter, quia aliis haud obſervata, & ab hoc loco non aliena, pertinentque etiam ad Francorum & Saxonum cognatarum Danis gentium decus. Saxones *agilitate* terribiles *Oroſius* dixit, ſed Danos ſupra omnes nationes velociſſimos habitos, ait ſcriptor ille Ravennas. Sub Saxonibus a cæteris ſcriptoribus nobis notis *Jornande* prioribus Danos compreheſos alias notavi, quemadmodum & Friſios, Cauchos, Warnos (qui proprium deinde regnum ad Oceanum Germanicum condidére) Anglos, Jutas, aliosque populos mare inter Galliam Britanniamque & litora utriuſque piraticis excurſionibus infeſtantes; pro quibus omnibus ſolum tunc Saxonum nomen celebrabatur. *Doniam Urbem* (id eſt Toningiam) jam *Ethelwerdus* nominat, autor ex Anglorum Saxonum Regia ſtirpe in libro ad *Mathildem* Filiam *Ottonis M.* ſcripto; cùm ait: *Saxonum gentem fuiſſe in tota ora maritima a Rheno*

(20) Crediderim ferme per *Danum* hic non Cheroneſi Cimbricæ incolam, ſed *Dacum*, montium quondam Tranſſylvanicorum habitatorem, intelligi. Sic idem Ravennas lib. 1. cap. 16. *Daniam* pro *Dacia* ponit. Ibidem tamen cap. 11. ubi dicit, *Gothos, Danos, & Gepidas* ex Scanzia exiiſſe, Cherſoneſi Cimbricæ Danos in animo habuit.

Rheno fluvio uſque ad Doniam urbem, id eſt, uſque ad Eidoram. Et putat *Cambdenus* in Britannia cap. de Danis, *Eibelwerdum* Danos ab hac urbe dictos credidiſſe: ſed a flumine dicti ſunt, cujus accolæ erant, & unde etiam urbs nomen habuit: & translata eſt appellatio, ut fit, in populos ulteriores, ut Hermunduri & poſtea Allemanni, id eſt ſuperioris Rheni accolæ, toti Germaniæ apud Gallos veteres & recentiores nomen fecere. Nam quemadmodum alibi dudum notavi, Herminones vel Hermunduri, Heermænner, Hermanni eadem ſunt ferè vox, quæ *Germani*, variata tantùm aſpiratione initiali; uti idem eſt *Lotharius*, *Hlotarius*, *Clotarius*; Germani fratres Latinorum iidem cum iis quos Hiſpani vocant *Hermanos*; denique Gamnanus Latinorum idem, qui Hummer Germanorum; ut alia exempla nunc non addam. Ab Herminonibus ergo, qui omnes populos Germanicos a Bojohemo uſque ad Rhenum olim complexi videntur (etſi Hermundurorum appellatio mox ſtrictius accepta ſit) etiam ulteriores cognatæ linguæ populi, atque ita omnes, inde a Rheno uſque ad Sarmatas & Scandinaviæ Fennos, a Gallis & horum exemplo a Romanis dicti ſunt Hermanni vel Germani, quod militem ſonat. Eodem modo nomen Danorum, accolis Dænæ fluvii proprium, ulterioribus Cimbricæ Cherſonneſi & inſularum Balthicarum incolis commune factum eſt. Sed hæc obiter.

16. Tertium argumentum pro Francorum originibus accedit ex ipſis veteribus contrariæ ſententiæ patronis præſertim Geſtis Regum Francorum & ſcriptoribus ſequacibus, dum Francos a Mæotide palude accerſunt. Sciendum enim eſt, ſcriptores locis temporibuſque remotos Mæotidem paludem cum mari Balthico (21) non rarò confudiſſe, quod etiam notavit *Adamus Bremenſis*, lib. 4. *Fortaſſe* (inquit) *mutatis nominibus arbitror illud fretum* (mare Balthicum) *ab antiquis Romanis appellari paludes Scythicas vel Mæoticas.* Exemplum manifeſtiſſimum habemus in *Procopio*, qui lib. 1. belli Vandalici Vandalos primum circa Mæotidem conſediſſe narrat, quos a mari Balthico veniſſe ex *Tacito* aliiſque conſtat. Ne jam addam (quod amicus non ineptè ſuſpicatur) regionem circa Panim (22) fluvium per errorem Pannoniam appellari potuiſſe, & *Frigam* Regem apud *Fredegarium*, (ſi quid in hac re veri) Fricconem fortaſſe dictum, cujus nominis Principes apud Septentrionales inter Deos relati ſunt, quemadmodum apparet ex *Pauli Diaconi* Longobardicis. *Fredegarius* etiam etſi perturbatiſſima narratione, parti antiquorum Francorum ad Oceanum ſedes aſſignat.

(21) Quæ Vir eruditus contra hæc diſſeruit, non attingo. Conſtat enim ſibi ſententia *Leibnitii*, & ex *Jornande* apparet, Ablabium quoque Mæotim paludem cum mari Balthico confudiſſe, quando Herulos juxta eam locavit. De Herulis enim adhuc in climate Arctoo ſive ad Balthicum mare reſidentibus ibi ſermo eſt.

(22) Suggeſſimus hoc nos ipſi p. m. auctori: ſed rem omnem nondum ſatis expenderamus.

17. *Prima* ergo *Francorum ſedes* inter Albim & mare Balthicum ex Geographo Ravennate & *Ermoldo Nigello* oſtenſa eſt; *alteram* inter Albim & Viſurgim (23) amnes quærendam ex Legis Salicæ præfatione hactenus parum intellecta oſtendemus. *Tertiam* inter Viſurgim & Rhenum collocandam ex Romanis ſcriptoribus conſtat, cùm per incurſiones ſuas nimis noti eſſe cœperunt; unde tandem tranſmiſſo Rheno in Romanas regiones progreſſi florentiſſimum regnum victis Allemannis, Burgundionibus & Wisigothis in Gallia parteque Germaniæ condidere.

18. Legem Salicam, quæ cum aliis Germanicarum gentium antiquis legibus dudum edita extat, a Francis fuiſſe latam conſtat, cùm nondum Chriſtum recepiſſent. Manifeſtum etiam eſt, tunc nondum Reges habuiſſe, (24) ſed, ut poſtea Saxones in hac noſtra Germania,

Quot pagos, tot pene duces,

ut ait antiquiſſimus poëta Saxo. Nam in ipſa præfatione Legis refertur ex diverſis pagis Legatos conveniſſe ad condendam Legem: Regis aut Prin-

(23) Ex iis quæ ad Legis Salicæ Prologum commentati ſumus, evidens eſt alterum Francorum ſedem ab Albi uſque ad Salam Franconicum porrectam fuiſſe.

(24) Reges quidem Francorum jam a tertio poſt Chr. N. ſæculo apud Scriptores Romanos invenimus; ſed facile perſuadeor fuiſſe Duces regali pene poteſtate, qualis & olim *Arminius* Cheruſcus. Circa annum 288. occurrunt *Atech* & *Genobaudes Reges Francorum*. *Eumenius* in Panegyrico *Conſtantini M.* c. 10. etiam *Regum Francorum* meminit, *Mellobaudes Rex Francorum*, & *Comes Domeſticorum Gratiani* Imp. annis 374. & 378. Alamannos devicit. In Chronico *Proſperi* Puhœano legitur: *Priamus quidam regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus.* In annum 382. *Ruinardus* hoc refert. Ingenio non caret conjectura Leibnitiana, quod verum *Priami* nomen *Pharamundus*, atque ipſe *Marcomiris* pater, & avus *Pharamundi Regis* fuerit. Excepêre hunc *Priamum Marcomeres* & *Sunno Reges*,

- - - quorum alter Etruſcum
Pertulit exilium: cùm ſe promitteret alter
Exulis ultorem, jacuit mucrone ſuorum,

teſte *Claudiano* de Laudibus *Stiliconis* lib. I. qui eoſdem hos principes ibidem *ingenio ſcelerumque cupidine fratres* vocat. *Sulpitius Alexander Regales* nominat, hoc eſt, ut dixi *Duces* regali pene poteſtate, qualis & *Theodemeres*, *Richimeris* filius, a *Frigerido Rex Francorum* dictus, fuit. Poſt eum tamen ſuaſu *Marcomeris* ex exilio ſuo fortè reducis, certi quidam pagi Francorum in Salica Lege nominati Regem communem ſibi elegiſſe, & novum hoc regnum legibus firmaſſe videntur. Nec ſpernenda omnino autoritas Autoris Geſt. Francorum, qui ſua ex antiquiore procul dubio fonte hauſit, ubi ſcripſit: *Defuncto Sunnone Franci petierunt conſilium, & elegerunt Faramundum filium Marcomiri: & levaverunt eum ſuper ſe Regem Crinitum. IVNC ET LEGEM HABERE COEPERVNT, quam Conſiliarii eorum Priores gentiles his nominibus Wiſovaſt, Wiſogaſt, Arogaſt, Salegaſt, in villabus Germaniæ, id ſunt Bodecheim, Salecheim, Widecheim, traſtaverunt.* Ii, qui jam propius ad Rhenum acceſſerant Attuarii, Chamavi, aliique, nec non illi, qui jam ultra Rhenum proceſſerant, & Molam inter & Rhenum ſedes fixerant, *Pharamundum* & ceteros nonniſi comiter coluiſſe ſuſpicio eſt. Videntur & hi proprias ſibi leges condidiſſe, quæ *Ripuariæ* dictæ, & a *Theodorico Clodovei* filio deinde emendatiùs publicatæ ſunt. Proprios quoque Duces regali poteſtate eos habuiſſe credas.

Tales

Principis ibi mentio nulla eſt. Et *Otfridus* loco ſuprà citato dicere videtur, antiquos Francos Regem non tuliſſe. Nam quod nunc in Lege Salica de Rege, de legibus Dominicis, de Ambaſcia Dominica & ſimilibus legitur, manifeſtè a poſterioribus inſertum eſt; cùm legem hanc jam antea ſcriptam, ſub *Clodovæo*, *Theoderico*, *Childeberto*, *Chlotario*, *Dagoberto* recenſitam & interpolatam conſtet ex ipſa illa præfatione.

19. Multi credunt, Francos tunc jam trans Rhenum in Belgica egiſſe, nempe in regione Tungrorum & Aduaticorum, circa Moſam, Scaldim & vicinos amnes; ubi nunc Leodienſis ditio & Ducatus Brabantinus, & Flandriæ Comitatus, quæ ſententia *Johannis Jacobi Chifletii* fuit, quam & *Godefridus Wendelinus* peculiari libro de nativo Legis Salicæ loco firmare conatus eſt.

20. Sed Francos ſeriùs in Gallia Belgica ſedes fixiſſe conſtat, & infrà pluribus dicetur. Et cæteroqui debiliſſima ſunt Wendelini argumenta, nonnulla etiam ridicula. Verba Germanica in Editione Heroldina interſperſa, & in Malbergis ſeu Mallorum conventibus uſitata, quibus plerumque

Tales fuerunt *Sigibertus*, qui Coloniæ reſedit, & *Ragnacharius*, qui apud Camaracum; *Chlodovei* per matrem parentes & propinqui, atque a *Gregorio* Turonenſi *Reges* appellati. *Pharamundo* filium fuiſſe *Clodionem* Geſta Francorum, Vita Regis *Sigeberti* III. ceterique recentiores produnt. *Gregorius* ſolum *nobiliſſimum in gente ſua Regem Francorum fuiſſe, Diſpargi in termino Thuringorum habitaſſe*, & Camaraco capto uſque ad Suminam fluvium terras occupaſſe, refert. *De hujus ſtirpe*, pergit Gregorius, *quidam Meroveum Regem fuiſſe adſerunt, cujus fuit filius Childericus.* Geſta Regum Franc. in Codice Cameracenſi dicunt *Meroveum de genere Clodionis prodiiſſe*, & Genealogia Regum Francorum apud *Quercetanum* Tom. I. pag. 794. teſtatur *ex genealogia Priami fuiſſe Meroveum.* Id quod *Leibnitii* conjecturam confirmat, ſtatuentis, *Priami* idem eſſe nomen ac *Pharamundi.* Per *Priamum* enim hic *Pharamundus* intelligitur. Genealogia alia Veteri Legis Salicæ Codici adjecta ibidem pag. 793: *Primus Rex Francorum Faramundus dictus eſt. Faramundus genuit Cleno & Cludiono. Chludius genuit Chlodebaudo.* Huic poſteritatem tribuit illam, quam alii *Meroveo.* Genealogia Regum, quam laudat *Chifletius* Anaſtaſ. Childerici pag. 13: *Meroveus, qui non erat Clodii filius, ſed ipſi ſanguine conjunctus, fecit ſe creare Regem, Clodii filios, qui ætate minores erant, excludendo. Fredegarii* Hiſtoria epitomata Francorum fabulam habet, *Clodionis* uxorem, cùm ad mare lavaretur, a beſtia *Neptuni* ſive Minotauro compreſſam, filium peperiſſe *Meroveum*, unde progeniti *Merovingi.* Genealogia vetuſto Conciliorum & Capitularium Codici addita apud *Quercet.* l. c. pag. 793. *Merevium* (ita ſcribit) *filium Merevei* vocat. *Clodionem* duos filios habuiſſe, & uni Romanos, alteri *Attilam* faviſſe, *Priſcus*, ſcriptor fide dignus, prodit. Ut hæc concilientur, dicendum eſt, *Clodionis* uxorem ante hunc habuiſſe virum *Meroveum*, ex quo peperierit *Meroveum*, *Clodionis* privignum, & poſtea ſucceſſorem: Ex *Clodione* verò illum, cui *Attila* bene voluit, quique fortè in bello periit; & alium, cui Romani faverunt, & cujus nuptiarum cum Romana virgine Senatoriæ gentis *Sidonius* meminit: hujus nomen fuiſſe *Chlodebaudus.* Et huic juveni *Meroveus* regnum præripuiſſe videtur. Ita omnia cohærent, & cum veterum relationibus conveniunt. *Meroveum* filium habuiſſe *Childericum* certum eſt. Hujus hiſtoriam omnem, præter meritum forte, inter fabulas refert *Danielius.* Quædam fabuloſa ei miſta eſſe concedo. Interim illum a populis rebellibus pulſum, ad Thuringorum Regem *Biſinum* profugiſſe, &

rumque ſumma rei capita indicantur, ab amico doctiſſimo *Johanne Georgio Eccardo* (cui multum debebit lingua Germanica) multis in locis egregiè explicantur, qui novam tanti Teutonicæ vetuſtatis monumenti editionem parat, multa præclara daturam. Wendelinus autem, cùm nihil in illis intelligeret, nomina inde villarum Brabantinarum fecit, in quibus habiti fuiſſent malli vel placita condendarum Salicarum legum cauſa; ut alia taceam non minùs vana.

21. Cæterum juvit deceptionem prava lectio *Gregorii* Turonenſis, in quo Tongriam (25) legerunt, unde creditum eſt Francos ex Pannonia digreſſos maturè tranſmiſſo Rheno in Tongris egiſſe; cùm *Ruinardus* noviſſimus

& in regno reſtitutum, ejus uxorem, invito marito, ſibi ſociaſſe, non improbabile eſt. Tunc enim *Bijnus* Thuringorum Rex, dum *Childericus* in Gallia aliis bellis implicitus eſſet, ſuper Francos in Bodogavia, Windogavia & Wirogavia reſiduos irruiſſe, eſſque malè tractans regionem inter Albim Bodam, Harticos montes & Salam Albi influentem, nec non & ad Werram ſuperiorem ſitam, eripuiſſe videtur. Et licet pro tempore hanc injuriam alibi occupati vindicare non poſſent Franci; manſit tamen apud eos alta mente repoſta, & vindicta reſervata eſt *Chlodoveo* ejuſque filio *Theodorico*. Poſt *Childericum* itaque ex pagis, qui Legem primùm condiderant, & Regem ſibi elegerant unanimi conſenſu, nullus remanſit Francis præter *Pagum Salicum*; unde non mirum LEGEM illam, cùm a *Clodoveo*, etiam ex Salica gente orto, emendaretur, augeretur ac veluti renovaretur, ſpeciali nomine SALICAM in poſterum vocatam. Reliquæ enim hujus nominis rationes ab aliis allatæ ne hilum quidem valent. Nupera ſententia Viri docti, qui ſtatuit *Clodoveum* hanc Legem Alamannis devictis præſcripſiſſe, conſiſtere nullo modo poteſt. Francos enim, nunquam verò Alamannos, ſecundùm eam vixiſſe, ex iis, quæ ſuperius ad Legem ipſam diximus, & in medium attulimus, certiſſimum eſt. Nec ullam Alamanni Chartam unquam inveniet, qua is dicat, ſe aliquid ſecundùm eam Legem peregiſſe. Habebant illi peculiarem Legem atque vetuſtam, imò fortè vetuſtiorem, ac Salica fuit, a *Theodorico* deinde in ordinem meliorem redactam, ipſisque confirmatam. Ipſa Legis Salicae Concluſio cum Prologo convenit, & claris verbis dicit; *Clodoveum* ſaltem Salicam legem emendaſſe & auxiſſe ex temporum ſuorum ratione. Legem autem Salicam primum Latina lingua, barbaro licet ſtylo, ad inſtar Legum Romanarum conſcriptam fuiſſe, nullus dubito. Proceres Franci in aula Imperatorum tunc potentes erant, & plurimi in caſtris eorum agebant, ubi linguam illam ſibi familiarem reddebant: Germanicam ſcribere neſciebant ferè uſque ad tempora Carolina, uti illud *Otfridi* Præfatio in Paraphraſin Evangeliorum Francicam evincit. Et quicquid Legi poſtea additum eſt, ideo Latino ſermone conceptum legitur. Comites autem, & ſub iis Centenarii aliique magiſtratus in Judiciis ſive Mallobergiis ſenſum Legum patria lingua repetebant; unde gloſſæ illæ Germanicæ, Latinis vocibus difficilioribus ſuperpoſitæ ab hominibus Francis, Latinæ linguæ imperitioribus, ſenſim additæ & tandem in textum exemplaris, ab *Heroldo* editi, irrepſerunt, quas nos primi, ſecundùm genuinum ipſarum ſenſum, expoſuimus.

(25) Verba *Ruinardi* ſunt: *Thoringiam* habent omnes Manuſcripti, quos videre licuit, infra *Thoringorum*, præter Regm. qui hac ſecunda vice habet *Tungrorum*; & Bad. *Tongrorum*. Paulo poſt idem *Ruinardus* dicit: *Sed huic lectioni non ſolum editi & manuſcripti Codices, ſed & Fregedarius & auctor geſtorum Franc. &c. refragantur.*

noviſſimus diligentiſſimuſque editor *Gregorii*, optimè notet, in omnibus ferè Codicibus Manuſcriptis legi Toringiam, quemadmodum & legerunt omnes veteres *Gregorii* exſcriptores.

22. *Gregorius* ipſe ita ſcripſit: (26) *Tradunt multi eoſdem de Pannonia fuiſſe digreſſos, & primum quidem littora Rheni amnis incoluiſſe, de hinc transacto Rheno Thuringiam tranſmeaſſe, ibique juxta pagos vel civitates Reges crinitos ſuper ſe creaviſſe.* Sed Thuringia Pannoniæ propior eſt quàm Rhenus; nec a ripa Rheni dextra in Thuringiam tendenti tranſmittendus eſt hic fluvius. Itaque *Valeſius* pro Rheno Mœnum accipit vel legit. (27) Ita quidem *Gregorio*, Pannonicas Francorum origines credenti, ratio dictorum conſtabit; Sed res ipſa ſe longè aliter habet, Francique non a Danubio, ſed ab Albi in Thuringiam (ut nunc dicitur regio) devenére.

23. Alii quidam Viri Docti Legem Salicam ad Iſalam vel potius Iſſelam amnem conditam credidere. Sed Iſſelam unquam Salam dictam non apparet, nec alio ullo indicio hæc ſententia juvatur; etſi ſerius Francos Salios in Batavorum inſula ſedem poſuiſſe conſtet. At illi non ab Iſſela, ſed a Sala amne Franconico, unde venerant, nomen habuere, ut jam patebit.

24. *Secunda* ergo *ſedes Francorum* & origo Legis Salicæ optimè habetur ex ipſius Legis Salicæ præfatione. Memorantur ibi tres Francorum pagi *Salageve*, (28) *Bodogeve* & *Windogeve*, ſecundùm editionem *Heroldi* (vel ut quidam veteres legerunt, quod eodem redit, Salaheim, Bodoheim & Windoheim) ubi in tribus mallis uno poſt alium convenere ex quatuor primariis pagis (*Wiſogeve*, *Bodogeve*, *Windogeve* & *Salageve*,) Legati ſeu Deputati: *Wiſogaſt*, *Bodogaſt*, *Windogaſt* & *Salagaſt*; quæ non nomina virorum propria ſunt, (ut accepit *Valeſius*, cui ideo ſuſpecta fuere) ſed appellativa a regionibus, unde miſſi venere. *Gaſt* (29) enim ſignificat hoſpitem ſeu advenam, & fortaſſe vi ipſius Etymologiæ relativum eſt ad *Goam*, *Gau* vel *Geve*, γαῖαν regionem cujus eſt incola. Itaque

(26) Hunc *Gregorii* locum ex mente authoris ſupra ad Cap. VIII. hujus libelli explicavimus.

(27) Nihil tamen mutandum eſſe ex iis patet, quæ loco citato diximus. *Danielius* eos Francos Rhenum tranſiiſſe putat, qui poſt acceptas a *Probo* imperatore circa Pontum Euxinum ſedes, per varias provincias divagari, tandem in patriam ſuam per Gallias repedarint. Sed *Gregorius* non de illa Francorum manu, verùm de integra gente loquitur.

(28) De his Pagis exactè egimus in Notis ad veterem Legis Salicæ prologum.

(29) Qui *Sapientem* vel *Præfectum* hanc vocem vertunt, ſententiam ſuam ne unico quidem veteris monumenti loco, neque uſu vulgari comprobare poſſunt. Etymologia a *ga*, pagus, arceſſita noſtra eſt, eamque in Notis ad prologum affatim probavimus. Si vir doctus ejus derivationem a *gaſat*, h. e. *poſitus*, verotimilem reddere voluiſſet, adducenda fuiſſent veterum loca, ubi ea voce hoc ſenſu uſi fuerint, quæ nuſquam inveniet. Nihil enim aut parum admodum ingenio in etymologicis indulgendum eſt, ne Becanizare aut Rudbeckizare peritioribus videamur. *Gaſt* nihilominus Vir doctus

que *Salagaſt* eſt vir ex *Goa* ſeu pago *Salico* veniens, idemque eſt in cæteris. Nomina a ſcripto ibus *Adone*, *Sigeberto*, *Ivone* aliiſque corruptè enuntiata ex ipſo Legum Germanicarum vetuſtiſſimo Codice Fuldenſi, quem *Heroldus* editor ſecutus eſt, meritò emendantur, eaque ratione optimè intelliguntur.

25. Porrò ſitum pagi *Salageve*, qui videtur habitus potiſſimus, & toti Legi, etſi pro parte tantùm in eo conditæ, nomen dedit; non ex conjectura, ſed antiquiſſimis monumentis *Carolo Magno* anterioribus æqualibuſque didici. Extant ſcilicet Traditiones Fuldenſi Cœnobio factæ, quas partim *Johannes Piſtorius* edidit, partim ipſe Fulda obtinui; ubi in ſcripturis circa *Pipini* primi Regis tempora & paulo poſt datis ſæpiſſimè pagus *Salageve* occurrit, jacens ad Salam fluvium, non Thuringicum, ut credidere plerique, ſed Franconicum, qui in dextrum Mœni latus prope Gemindam hinc dictam, influit; ut ex locis in pago ſitis, quorum ibi mentio fit, nunc quoque extantibus, manifeſtum eſt.

26. Atque hic eſt Sala fluvius, ad quem *Carolus M.* aliquoties egit, ibique palatium regium habuit, cujus nomen hodieque ſupereſt in *Königs-hofa* (30) villa ſeu aula Regia: quæ fuit, ut antiquiſſimus Poëta Saxo ſcripſit,

Naſcenti vicina Salæ.

Etſi quidam Sala Thuringico præoccupati pro Salafelda habuerint. Notat Poëta, fœdere perpetuo Saxones illic Francis æquatos, & in communem Rempublicam receptos fuiſſe.

27. *Bo-*

doctus *Præpoſitum*, *Præfectum*, vertit. Quoniam autem *Salageve* vel *Salaheim*, *Bodageve* vel *Bodoheim*, & cetera, ipſi vici Wormigaviæ videntur; ſequitur inde, hos *Præfectos* neceſſario fuiſſe *Præfectos iſtorum vicorum & terrarum ad hos vicos pertinentium*, quos vulgo *Sculteios* & *Heimburgios* aut *Dorfrichter* vocamus. Et licet nolit, hanc ſibi ſententiam tribui; ex iis tamen, quæ profert, nemo alium ſenſum exprimere poterit. Qui Salicam Legem condiderunt *Priores* vel *Primores gentis* vocantur in Prologo & aliis veterum locis: ex ſingulis pagis ſive provinciis convocatos etiam affirmatur. Et cùm ſequentes Francorum Reges emendarent Leges ſuarum Provinciarum, ex ſingulis iterum provinciis Primores, præſertim Duces, conſulebant, ex veteri inſtituto. Incredibile igitur eſt, maximæ gentis Legem præcipuam in quatuor vicis parvulis & Alamannicæ provinciæ conditam fuiſſe. Nec talia ſine gravioribus probationibus nobis offerri velim.

(30) *Palatium Salæ* vel *Palatium Salæ*, quod *Carolus M.* adamavit & ubi cum Saxonibus etiam pacem firmavit, navibus adiri potuit. Poeta Saxo in Vita *Caroli M.* ad annum DCCXC. canit de eodem *Carolo*:

Eſt aggreſſus Mœnum navale per amnem.
Aſcenditque per hunc, donec prope Mœnia venit
Magna Palatinæ ſedis Salæ nomine dicta.
Naſcenti vicina Salæ nam fluminis hujus
Rivus adhuc modicus hæc ipſa Palatia cingit,
Vix raucum per Saxa ciens reſonantia murmur.
Diſpoſitis ibi rebus, aqua redeundo ſecunda
Wormatiam petiit.

De eadem re Annales Laureshamenſes ita ſcribunt: *Rex - - - per Mœnum fluvium ad Salæ palatium ſitum in Germania juxta Salam*

27. *Bodogevam* & *Wiſogevam* pagos a fluviis *Boda* ad radicem Harzicorum montium fluente & Wiſera (quem Latini Viſurgim dixere) denominatos quàm maximè convenit. Et Bodogevæ pagi partem fecit, qui poſtea pagus *Hartegau* eſt dictus. Sæpe enim manentibus nominibus pagorum minorum amiſſa ſunt vocabula pagorum majorum provincias deſignantium. Sæpe etiam fit, ut pagi majoris nomen, quod olim totum fluvii tractum complectebatur, exiguæ parti manſerit. Ita pagus *Leingau* a Leina noſtro dictus, poſtea ſoli parti ſuperioris Leinæ circa Gottingam manſit. *Windogevam* non ita bene deſignare poſſum. Fortaſſe Unſtruta fluvius Thuringiam ſecantium primarius olim *Windriſta* (31) (quo ferè nomine fluvius alius Hildeſiam alluit, nam literam W initialem ſæpe negligi conſtat) omiſſa terminatione *Winda* dicta eſt; ut Wiſera vel Viſurgis *Wiſa*.

28. Ex his primariis ſeu majoribus Francorum pagis (multi enim minores in majoribus continebantur) colligere pronum eſt, Francos ab Harzicis montibus, unde Boda in Albim (licèt non immediatè) defluit, uſque ad Mœnum, in quem Sala ille exoneratur, ſeſe diffudiſſe; & proinde partem regionis Brunſvicenſis & Halberſtadenſis, Haſſiæque, totam ferè Thuringiam, & partem Franconiæ hodiernæ tunc tenuiſſe, & ita in partem regionis Longobardorum, Cheruſcorum & Cattorum, ſed maximè Hermundurorum ſucceſſiſſe; vel potius cum iis, qui nondum per anteriores migrationes exceſſerant, in unum corpus coiviſſe. Nam credibile eſt, globum hominum a Balthico mari venientium, inſtar pilæ nivis in itinere, aliis ſive per vim, ſive ſponte accedentibus creviſſe. Itaque limites habuerint, a meridie, Mœnum; a ſeptentrione,

Salam fluvium conſtructum navigavit: atque inde iterum per eundem amnem ſecunda aqua in Wormatiam reverſus eſt. Eadem fere Regino habet. Cùm autem *Konigshofa* aqua adiri nequeat, Sala ibi per ſcopulos tenui admodum alveo fluente; inferius *Palatium Salæ* quærendum eſt, ubi nunc oppidum eſt Neoſtadium: ei enim in monte adjacet Caſtrum *Salzburg*, quod eſt ipſum illud Palatium Carolinum. Nec tamen Sala amne cingitur, ut Poëta canit; ſed alluitur ſaltem. *Merianus* in Topographia Franconiæ pag. 64. elegantem & caſtri & oppidi delineationem dedit, quam ex mente *Meriani* correctam hic adjungimus. Caſtrum *Meriani* tempore ad Nobiles Advocatos de Saltzburg (dem Adelichen Geſchlecht der Voiten von Saltzburg) pertinuit. *Munſterus Ober-Saltza* vocare videtur. *Wehnerus* in Pract. Obſerv. voc. *Ganerben* de eodem hæc profert: *Aliud exemplum eſt in arce Saliſburgo*, Saltzburg, *ad Salam in Franconia Orientali, ubi etiam Imperatoris* Conradi, *qui cognomen Salici adeptus eſt, regia olim, & lex Salica primum lata eſt a* Woeremundo *ejuſque conſiliariis quatuor, qui in ipſa Lege nominantur* Viſogaſt, Arogaſt, Salegaſt, Vindogaſt. *Itaque arx hodie eſt etiam domus ganerbica, ſimiliter ſuum habens Burggravium & ſua Regalia.* Accedit his teſtimoniis traditio communis incolarum hujus loci, quòd *Caroli M.* ibi Regia fuerit ſedes. Vid. *Jo. Petri Ludovici* Continuatio Epiſcoporum Bambergenſ. pag. 1042. ſeq.

(31) Hanc conjecturam non probamus: Vide, quæ ad Prologum commentati hac de re ſumus. Fluvius Hildeſiam alluens nunquam Windriſta, ſed olim *Indriſta*, vulgo *Innerſte*, ſemper dictus eſt, quaſi *maximè interior* (Oſtphaliæ nempe) *amnis*,

Harzicos montes; ab occidente, Viſurgim (32) cum Fulda influente continuatum; ab oriente, Salam Thuringum Albi influentem, ac deinde ipſum Albim. Et quia maximè Hermundurorum regionem tenuere, quibus propriè Germanorum nomen conveniebat, ut oſtendi; hinc factum puto, ut D. *Hieronymus* & alii annotarint, qui tunc Franci, olim dictos fuiſſe Germanos.

29. Videntur Franci de migratione in loca ulteriora, Viſurgique (33) tranſinittendo cogitantes, ad Leges condendas animum adjeciſſe; quas ſcripto comprehenderant patrio ſermone (34), unde reliquiæ ſumma rei capita deſignantes in placitis ſeu *Malbergis* uſitatæ, (ut vox *Malb.* iis præmiſſa indicat) Verſioni Latinæ, quam ſolam habemus, inſertæ ſuperſunt, qui tamen in Lindebrogiana editione deſiderantur, & in pleriſque codicibus Manuſcriptis omiſſæ ſunt, leguntur tamen in nonnullis perantiquis, *Heroldus* edidit ex Codice Fuldenſi. Ex his intelligitur, Legem, ut nunc habemus, Verſionem eſſe, Francis jam in ſolum Romanum progreſſis compoſitam, plurimumque mutatam & interpolatam; ſed eorum majores jam aliquam literarum notitiam & ſcribendi uſum accepiſſe, ex quo tranſmiſſo Albi propiores Romanis facti fuerant. Itaque, quod ibi extat, Germanici ſermonis (præter gloſſemata quædam poſteriora cæteris, ut apparet, admiſta) omnium antiquiſſimum eſt, anteriuſque ipſis *Ulfilæ* Evangeliis Gothicis, poſt magnum *Conſtantinum* demum compoſitis, & in Codice Argenteo (invento in vetuſto apud Werdinenſes Weſtfaliæ *S. Ludgeri* monaſterio & inde in Sueciam translato) pro parte conſervatis. Quanquam is Codex cæteroqui vetuſtiſſimus ſit Europæ & fortaſſe Orbis extra Sinas liber, qui alia, quam eruditis familiari, id eſt, Hebræa, Græca Romanave lingua ſit conſcriptus, hodieque ſuperſtes; niſi quid Perſæ ignicolæ aut Brachmanes Indi vetuſtum in arcanis ſervant.

30. Migrationem Francorum novam ſeculo tertio poſt Chriſtum natum jam adulto factam fuiſſe, ſcriptoribus veteribus conſentaneum eſt, a quibus ſub *Valeriano* Auguſto primum Francorum memorata ſunt arma. *Flavius Vopiſcus* refert *Aurelianum*, qui poſtea imperavit, Moguntiaco præfectum, Francos Galliam tentantes repulſſe. Venerunt ergo tunc Franci in regionem Cattorum, Sigambrorum, Bructerorum, Chamavorum, Amſibariorum aliorumque vicinorum populorum, quorum ſedes hodie Weteravorum, Haſſorum, Weſtfalorum nominibus deſignantur. Sigambri ad Sig m, Amſibarii ad Amiſium amnes, Chamavi in ea regione, ubi hodie ſupereſt oppidum Ham, ſedes olim habuere. Et ex his locis Franci Romanam Rheni ripam ſubinde infeſtarunt.

31. Re-

(32) Potius: *Salam Franconicum.*

(33) Potius poni deberet: *Rhenoque tranſmittendo.* Nam ultra Werram ſive Viſurgim ſuperiorem jam habitabant.

(34) De hoc dubito valdè, & cauſas paulo antè attuli.

Digitized by Google

31. Reliquias, quæ in regione Hermundurorum aliiſque vicinis locis remanſerant Thuringi tandem ſupervenientes (35) expulerunt, & novum ibi regnum condiderunt. Id diſcimus ex memorabili loco *Gregorii Turonenſis*, lib. 3. apud quem *Theodoricus* Rex Francorum, *Clodovæi* Magni filius, ait; Thuringos olim ſuper *parentes* (36) (majores an cognatos?) Francorum violenter advenille, & multa eis intuliſſe mala; quod memorat ad ſuos in hoſtem animandos, ſecutaque eſt tunc regni Thuringorum everſio, de qua *Venantii Fortunati* poëma extat.

32. Franci autem Rheno jam vicini ſæpe flumen tranſiniſerunt, & Belgicam Galliaſque depopulati ſunt; quin etiam ad Oceanum uſque Germanicum progreſſi, (arcitis haud dubiè in ſocietatem Friſiis, Marſiacis & Batavis) latè piraticam exercuerunt, & fretum Herculeum ingreſſi, ipſam Hiſpaniam Tarraconenſem invaſerunt. Sed ad Rhenum a *Probo* Auguſto magna clade illata nonnihil repreſſi fuerunt.

33. Poſtea Saxonibus ſupervenientibus mari ſunt excluſi, qui Friſios, Chaucos, Cheruſcos, Warinos, Danos in ſuum nomen aſciſcentes, Gallicum Britannicumque *litus* diu inteſtum habuerunt, ut etiam ab eorum nomine *Saxonicum* appellaretur, & *Francos Salios* (a *Salageva* regione antea haud dubiè dictos ſeu Salagaſtos) ex Batavorum inſula expulerunt, quod *Zoſimus* memoriæ prodidit.

34. Sed Romanis rebus indies magis magiſque inclinantibus; Franci, præſertim ex quo tota pene gens uni Regi parere cœpit, rurſus invaſuerunt. Id factum puto ſub initia *Theodoſii* Magni, tunc cum, *Proſpero Tirone* in Faſtis teſte, *Priamum* (37) (id eſt, ſeniorem *Pharamundum*) diſcimus *regnaſſe in Francia*, ſive in Germaniæ magnæ parte Rheno vicina, a Moguntia uſque ad Batavos, ubi Tabula Peutingeriana (quæ illis temporibus compoſita videtur) *Franciam* collocat. Ea enim verba *Proſperi*, & quod altius aliquid a ſe inveſtigari potuiſſe negat, indicare videntur, Franciam ex eo, non ut ante multis Regibus minoribus, quales apud *Ammianum Marcellinum* & alibi memorantur, paruiſſe, ſed in unius poteſtatem conceſſiſſe. *Marcomirum* ei filium tribuit is qui Geſta Regum Francorum ſcripſit; quidam addunt *Genebaudem* & *Sunnonem*: licet enim hunc poſtremum Autor Geſtorum *Antenore* natum velit; *Claudianus* tamen, *Marcomirum* & *Sunnonem* memorans, fratres fuiſſe indicat

(35) De hoc etiam antea ſententiam noſtram protulimus.

(36) Quæ vir doctus hic objicit, quod nempe parum veroſimile ſit, *Theodericum* de irruptione Thuringorum in terras Francorum locutum fuiſſe, ad nos non attinent. Secundùm enim noſtram ſententiam irruptio illa quinquaginta ſolum, & quod ſuperat, annis, ante *Theodericum* Regem contigit, cujus optimè meminiſſe potuit. *Chlodoveus* injuriam per eam Francis illatam jam vindicaverat, ſubjecto ſibi regno Thuringorum; ſed *Theodericus* illud penitùs extirpavit.

(37) Ut ea, quæ Illuſtris Auctor hic affert, & quæ nos ſupra exhibuimus, Lectori

Valeſii judicio, lib. 1. de laudibus *Stiliconis*, vocans: *ingenio ſcelerumque cupidine fratres*, non minus ſcilicet, quàm natura.

35. Porrò *Pharamundum* hactenus notum (noſtra nempe ſententia ſecundum) *Marcomiro* natum, & *Clodionem Pharamundo*, tradit idem autor Geſtorum. *Clodionis*, qui Clogio Sidonio, fortaſſe idem eſt nomen, quod *Clodovæi* aut *Hludovici*, qui vulgo *Clovis*. *Clodio* autem Belgicam invaſit, & Atrebatum uſque proceſſit, ſed ab *Aëtio* repulſus eſt. Hujus inter filios duos contentionem de regno fuiſſe, uni Romanos, alteri *Attilam* faviſſe, ex *Priſco* colligitur. *Merovæum*, qui mox regnavit, & ut videtur ambos exclusit, alterius ſtirpis fuiſſe verisimile eſt, quia ſequentium Regum familiæ nomen dedit. Et potuit tamen *de genere* eſſe *Clodionis*, ut ait autor Geſtorum, per fœminas ſcilicet, filius fortaſſe ſororis, aliterve cognatus.

36. Unum excluſorum Romanas ſcilicet partes foventem, eum eſſe, credibile eſt, cujus nuptias cum Romana virgine Senatoriæ gentis, *Sidonius* memorat. Unde malim *Caroli Magni ſtirpem* duci, quàm cum *Buccetio* & eum ſecutis ex familia Romana per mares. Ita *Arnulfus* ſenatoriæ originis fuerit, ſed tantùm per hujus matrimonii inſertionem. Contraria ſententia nititur autoritate eorum, qui Vitas *Firmini* & *Ferreoli* ſcripſerunt, quæ quanta ſit, inquirendum foret. Ex *Merovæo Childericum* patrem *Clodovæi* natum, nemo dubitat.

37. *Clodionem* jam in Belgio ſedem fixiſſe, plerique ſtatuunt, eoque etiam *Valeſius* inclinat, adducitque in eam rem locum *Salviani*, ex lib. 5. de Gubern. Dei, ubi Franci inter gentes nominantur, ſub quibus melius ſit Romanis, quàm ſub ipſis Romanis; & *Sidonii* lib. 1. Ep. 1. ubi ait; Sicambrorum, Alanorum & Gelonorum, qui in Gallia *Honorii* principatu

Lectori in uno ſint conſpectu, omnia in Tabellam genealogicam redigere placet.



cipatu conſederant, a Gallis rideri ſtultitiam, timeri ferociam, &c Ep. 17. ubi Jus Romanum in terris Belgicis dudum abolitum ait, ut ſermonem Latinum. Sed & *Childerici* ſepulcrum prope Tornacum inventum huic ſententiæ favet.

38. Sed fatendum eſt *Sidonium* alioſque ſcriptores Romanos diu adhuc de Francis, ut Trans-Rhenanis loqui, & Lib. 8. Ep. 3. Francos videtur appellare barbaros ad Vahalim, cum quibus refert *Evaricum* Regem Wiſigothorum fœdus percuſliſſe. Unde intelligas non longè a Rheno proceſſiſſe tunc Francos. Ad *Childerici* ſepulcrum (patris *Clodovai*) quod ulteriores progreſſus mox factos indicare videtur *Danielius*, ingenii doctrinæque non vulgaris ſcriptor, qui laudem prolati trans Rhenum Francorum imperii *Clodovæo* ſervat, reſpondet, potuiſſe *Childericum* in expeditione defunctum prope Tornacum ſepeliri, etſi nondum in illis locis regnaret. Sed de hoc amplius diſpiciendum puto. *Arboricos Procopio* dictos, qui ſe Francis ſubmiſere, non peculiares fuiſſe populos, ut Vir iſte celeberrimus cum multis arbitratur, ſed Aremoricos, (Gallos nempe cis Ligerim mari vicinos, Romanis antea parentes) *Valeſio* aſſentior. Et rem conficit *Zoſimus*, qui lib. 6. Armorichos vocat; ut ſuſpicer, *Procopium* ex ipſo ſuos Arborichos corrupto paulum vocabulo hauſiſſe. Sed talia diſcutere non eſt hujus loci. Nobis Francorum origines & migrationes ad Rhenum uſque conſtituiſſe hic ſuffecerit.

REPONSE

Aux Remarques ſur la diſſertation précédente, publiées dans le Journal de Trevoux par le P. Tournemine *Jéſuite.*

J'Ai vu dans le mois de Janvier des Mémoires de Trevoux de cette année, le Rapport qu'on y fait de ma petite diſſertation *de l'origine des François.* Il y a des expreſſions qui me ſont trop favorables, & je voudrois les pouvoir mériter par le diſcours dont il s'agit. Ce qu'on rapporte de ſon contenu eſt bien détaillé. Il n'y a que deux endroits où l'on m'attribue ce que je n'avoüe pas. (1) Je n'adopte point la conjecture d'un ami (quoique je ne la trouve point mepriſable,) qui porte que le nom de la riviére de Peene pourroit avoir contribué à faire venir les François de la Pannonie: (2) je ne dis point, que le mot *Franc* ſignifie ordinairement *libre*, & que les Francs en ont eu leur nom. Il y a auſſi quelques fautes d'impreſſion, qui nuiſent particuliérement dans les noms propres. Par exemple, pag 4. & 5. au lieu de *Maurangarie*, *Dacna*, *Leyder*, *Dacninga*, *Donia*; il faut *Maurungarie*, *Dana*, *l'Eider*, *Dæningia*, *Donia*. A l'égard du mot *Gaſt*, il n'y a point de

de fondement de l'expliquer par *gouverneur* ou *préfet*, comme fait *Rhenanus*. Il ſignifie encore aujourd'hui en Allemand, *hoſpitem paſſivum* vel *qui hoſpitio recipitur*, ce qui peut convenir tant à celui dont la demeure eſt fixe, comme eſt celle d'un habitant, qu'à celui qui ne fait que paſſer ou qui eſt convié. Ainſi ſoit que *Salgaſt* ſignifie un habitant du *Salgau*, ſoit qu'il ſignifie un voyageur ou un Envoye qui en vient, ou qui en a été convie ou appellé, il convient au député de ce Canton. Et il ſemble, que ce mot même de *Gaſt*, vient de *Gau*, c'eſt-à-dire Canton dont on eſt, dont on vient, ou qu'on repréſente.

J'ai lû les objections, qu'un auteur illuſtre m'a faites dans les mêmes Mémoires, & je tâcherai de répondre le mieux que je pourrai à ſes difficultés, dignes de l'eſprit & de l'érudition de celui qui les propoſe. Je les reduis à quatre Articles.

Le Premier Article regarde l'origine de l'opinion de ceux qui ont fait venir les François *des palus Mæotides*. Mon ſentiment porte, que les François ſont venus des pays au delà de l'Elbe & des bords de la mer Baltique, comme l'on ſait que les Vandales, les Bourguignons, les Goths, les Saxons, les Angliens, les Turingiens, & les Varnes en ſont venus. Et ayant remarque que les anciens, mal informés des choſes eloignées, ont fait venir une partie de ces peuples des palus Mæotides, qui n'y avoient jamais eté, comme les Vandales par exemple; j'ai ſoupçonné, que lors qu'ils ont parlé de l'origine des François, la même confuſion leur a fait mettre cette mer Mæotique à la place de la Baltique, qui leur étoit moins connue. Et *Adamus Bremenſis* a deja obſervé l'échange qu'ils ont fait de ces deux mers. Ainſi cette erreur même des anciens fournit une preuve de mon ſentiment. A cela on oppoſe, que ceux qui ont fait venir les François de la mer Mæotique, en ont eu un fondement plus apparent; ſavoir l'expédition de quelques François tranſplantés au Pont-Euxin par l'Empereur *Probus*, qui s'etant revoltés & ſaiſis de quelques vaiſſeaux retournerent dans l'Ocean par le detroit d'Hercule ou de Gibraltar, après avoir ravagé chemin faiſant les côtes de l'Aſie, de la Grece, de la Sicile, & de l'Afrique, & allerent retrouver leurs compatriotes. L'on ajoute (mais je n'en conviens point) qu'ils aborderent dans la Gaule Belgique, & ayant paſſé le Rhin, retournérent dans la Thuringe. Cette penſée eſt ſavante & ingénieuſe, mais elle eſt peu vraiſemblable, & paroit ſujette à des difficultes, dont celle qu'on a voulu combattre eſt exempte. (1) Ces François tranſplantés par *Probus* habitoient non pas près de la mer Mæotique & dans la Scythie, mais aux bords du Pont-Euxin dans l'Aſie mineure, diſperſés dans des pays ſujets aux Romains. (2) La nation des François s'étoit deja approchée alors du Rhin; ainſi l'expédition de ces corſaires ne pouvoit point être employée à éclaircir les origines antérieures de leur Nation. (3) Il paroit auſſi que cette courſe a été fort peu connue: à peine

Eumène

Eumène le Rhéteur & *Zoſime* en parlent ; comme en effet c'eſt une action belle à la vérité, mais qui n'appartenoit qu'à quelques particuliers, & non pas à la nation entiére. (4) Selon le Panégyrique d'*Eumène* (voiſin des François) prononcé à l'honneur de *Maximien*, c'étoit un petit nombre de captifs : quoique *Zoſime* (plus éloigné du tems & du lieu) paroiſſe en augmenter le nombre, & les faſſe volontaires. (5) Il n'eſt point dit, qu'ils abordérent dans la Gaule Belgique, il leur étoit plus convenable d'aborder proche de là chez leurs compatriotes, qui habitoient proche des embouchures du Rhin & de l'Ems. Ainſi ils n'avoient point beſoin auſſi de traverſer le Rhin pour arriver chez eux. (6) Il n'eſt point fondé non plus de dire qu'ils ſoient retournés dans les endroits où ils ont pu aborder, de ſorte qu'ils n'avoient point beſoin d'aller en Thuringe pour rejoindre leurs compatriotes. (7) Apparemment on a controuvé cela pour ſauver le texte dérangé de *Grégoire de Tours*, qui ſemble faire paſſer le Rhin aux François pour aller en Thuringe, où M. *de Valois* lit *Meyn* au lieu de *Rhin*, quoiqu'il y ait du mal entendu là-dedans, de quelque maniére qu'on explique ce texte. Mais enfin *Grégoire de Tours* parle des migrations de la nation, & on ne ſauroit l'expliquer par la marche d'une petite troupe. (8) Ainſi tout bien conſidéré, il ſemble, que cette courſe ou expédition peu connue de quelques centaines de pirates, arrivée dans un temps que la nation étoit déja connue aux Romains, ne peut rien avoir de commun avec les migrations antérieures d'une grande nation, & il eſt difficile de croire qu'on ait pris l'un pour l'autre.

Le Second Article regarde l'autorité d'*Ermoldus Nigellus*, Poëte François du temps de *Louis* le Débonnaire, qui fait les François originaires des Danois, ou d'une même origine avec eux. Pour m'ôter ſon autorité, on objecte, (1) que les Danois n'étoient plus dans le Holſtein. Mais je n'ai pas dit auſſi que les Danois y ayent jamais habité : il ſuffit, qu'ils ont été & ſont encore les proches voiſins du Holſtein : car la Jutlande eſt une partie du Dannemark. (2) On objecte après cela, que les Sigambres venoient des Cimbres, & que de là peut venir l'opinion de l'origine Danoiſe ou Cimbrique des François. Cela confirmeroit auſſi leur origine Baltique : mais il n'eſt appuyé ſur aucune preuve ; (3) ſi ce n'eſt qu'on la veuille fonder ſur la reſſemblance des noms, & dériver celui des Sicambres de celui des Cimbres. Mais on ne doit pas en chercher l'étymologie ſi loin. Il eſt viſible que les Sigambres ont été ainſi appellés de la riviére de *Siga*, qui ſe rend dans le Rhin à l'oppoſite de Bonn, mais plus haut. (4) De plus, les François ne ſont pas des Sigambres à proprement parler ; mais ils ſont venus de la Thuringe dans le pays des Sigambres, des Chamaves, & d'autres peuples de la Weſtfalie, qu'ils ont réunis avec eux : ce qui a fait qu'ils ont été appellés quelquefois de leurs noms.

Le Troiſiéme Article regarde l'autorité du Géographe de Ravenne : pour

la détruire, ou pour me la rendre inutile, (1) on mépriſe cet auteur, à cauſe de ſa barbarie : mais quand elle ſeroit encore plus grande qu'elle n'eſt, elle ne dérogeroit point à la vérité & à la ſincérité de ſes rapports. (2) On lui reproche ſon ignorance : mais outre qu'un ignorant, qui eſt fidèle & diligent, peut conſerver de beaux morceaux de l'antiquité ; il n'eſt pas tant ignorant à l'égard des ſujets qu'il traite ; : il fournit de grands éclairciſſemens ſur la Géographie du bas Empire : il nous apprend un grand nombre de notices fort bonnes, comme le Pere *Porcheron* l'a déja montré. Un ſavant Anglois en a profité par rapport à la Grande Bretagne, & l'on en pourra faire autant ailleurs. (3) On objecte encore, qu'il n'eſt que du ſeptiéme ſiécle. Mais il a puiſé dans des auteurs plus anciens qui ſont perdus ; & il en cite de ſa nation, ou des nations *coorigi-naires*, pour parler ainſi, avec la ſienne, qui nous ſeroient tout-à-fait inconnus ſans lui. Après cela on tâche de lui donner une explication différente de la mienne : & (4) on objecte, que l'auteur ne dit pas *in qua patria* (regione) *Francorum linea MORATA eſt*, mais *remorata eſt.* Mais je ne crois pas, que dans un auteur de cette latinité il y ait ſujet d'en faire différence : (5) il y a pluſieurs exemples même dans la bonne latinité, que le *re* eſt ſuperflu, comme dans *acceptum ferre* & *acceptum referre*, il y a *accepti-latio* chez les Juriſconſultes, & cependant *Horace* dit :

Retulit acceptos regale numiſma Philippos.

(6) On me nie, que *linea Francorum* ſignifie leurs ancêtres, & l'on dit que cela eſt inutile. Mais pourquoi *linea* ne ſignifieroit-elle pas auſſi-bien la ligne des aſcendans, que la ligne des deſcendans ? Car on parle ici des temps antérieurs. Les Juriſconſultes parlent également *de linea recta, aſcendente & deſcendente.* (7) *Nigellus* confirme mon interprétation, comme le Géographe ſert à éclaircir *Nigellus* :

\- - - - *alterius ſic*
Altera poſcit opem res & conſpirat amicè.

(8) De plus, il n'eſt pas inuſité, que *linea* ſoit dite des ancêtres : outre les Juriſconſultes le Pape *Grégoire VII.* dit à quelcun (chez M. *du Cange*) *unde vidéris nobilitatis lineam trahere* parlant de ſes ancêtres. (9) Et ſi *linea* ſe peut dire des ancêtres d'un particulier, pourquoi ne ſe diroit-elle pas auſſi des ancêtres d'un peuple, lorſqu'il s'en agit ? Cependant (10) on m'objecte encore, que le Géographe de Ravenne reçoit une toute autre interprétation, dont voici le précis : *Ces pays ſitués ſur le bord de l'Elbe, ont long-tems été les limites où les François ont été arrêtés ſans étendre plus loin leurs conquêtes.* Je laiſſe juger à celui qui lira le texte tout entier, ſi cela peut convenir à l'intention de l'auteur, qui apparemment a voulu ſpécifier leur pays, non pas par les gens qui n'y ont point pû entrer, mais par les gens qui y ont habité. (11) Pour exprimer auſſi, que les conquêtes d'une nation ont été arrêtées, diroit-on jamais (quelque mauvais latiniſte qu'on pût être) *linea ejus gentis remorata eſt* ? Je doute qu'une per-

perſonne non prévenue, à qui on propoſeroit nôtre texte ſans lui rien dire, s'aviſât facilement de cette interprétation. (12) Prendre *ligne* pour *limites*, ſans rien ajouter qui ſerve à faire entendre ce ſens, paroit très inuſité & très peu intelligible. (13) Il faut auſſi, pour juſtifier cette interprétation extraordinaire, que *remorata eſt*, qui eſt ordinairement d'un *Deponens*, & veut dire, *eſt demeurée*, ſoit pris paſſivement pour *a été retardée*; comme ſi *remorari* étoit le Paſſif d'un Actif *remorare*. J'avouë que l'auteur eſt aſſez mauvais Grammairien pour pouvoir parler ſi mal. Mais on ne doit point recourir à ce ſens barbare qu'au beſoin, & il n'y en a point ici, puiſque le ſens ordinaire porte ce qui eſt très raiſonnable d'ailleurs, ſavoir que l'origine des François reſſemble à celle des Vandales, des Bourguignons, des Saxons, des Thuringiens &c. (14) Mais quand l'uſage de la langue ſouffriroit une interprétation ſi peu attendue, la nature de la choſe y repugne; car il ne ſe trouve pas la moindre apparence que les François avant *Charlemagne* aient tâche de faire des conquêtes au-delà de l'Elbe. (15) Et quand ils ont été entre l'Elbe & le Rhin, on trouve que tout leur but a été d'avancer contre les Romains: mais on ne trouve point, qu'ils ayent penſé de retourner en arriére, & tâché de repaſſer dans des climats plus rudes. (16) Il ſe trouve même le contraire, ſavoir qu'ils ont été plutôt pouſſés par des peuples qui venoient derriére eux, c'eſt-à-dire, par les Saxons & par les Thuringiens. Et cela a eté le deſtin preſque de tous ces peuples pendant leurs migrations: Les Vandales, pouſſés par les Goths, paſſerent en Eſpagne & en Afrique; les Goths pouſſés par les Huns paſſerent dans la Thrace, dans la Gréce, dans la Pannonie, & ainſi de la plupart des autres. Enfin (17) quand on voudroit prendre *ligne* pour *limites*, & *remorata eſt* pour *a été retardée*, on ne laiſſeroit pas d'être obligé par le texte, de dire que les François ont été dans la Maurungavie: car le texte ne dit pas, que le pays a retardé ou arrêté les François, ou les a empêché d'y entrer; mais *in ea patria per multos annos Francorum linea remorata eſt*, c'eſt-à-dire, que la ligne des François a été arrêtée *là-dedans* durant pluſieurs années. Ainſi il faut qu'ils y ſoient demeurés long-tems, & cela me ſuffit.

Je viens enfin au *Quatriéme Article*, où il s'agit d'examiner, s'il y a de l'apparence que les François ſoient deſcendus des Gaulois, qui ſelon *Céſar* & *Tite Live* avoient paſſé le Rhin, & mené des Colonies dans la Germanie. (1) Je n'ai point attribué au Pére *L'Accarry* l'invention de ce ſentiment, ſachant bien que *Bodin* l'a déja avancé en paſſant dans ſa Méthode Hiſtorique, & que *Pontanus* l'a refuté dans ſon ouvrage de l'origine des François Liv. 2. c. 5. p. 126. Mais comme ce Pére l'a ſoutenu dans un ouvrage exprès, j'ai dit, que lui & quelques autres ſavans de France étoient de cette opinion. (2) Il ne ſe trouve point, que les Gaulois venus dans la Germanie aient jamais établi des Colonies dans les pays entre l'Elbe, le Weſer, le Rhin & le Meyn, où les François ont été. (3)

On connoit fort bien, ſur le rapport de *Tacite*, quels peuples ont habité dans ces contrées, comme les Cheruſces, les Longobardes, les Cattes, les Hermundures, les Angrivariens, Bructeres, &c. & autres nommés par cet auteur : peut-on nier, que ces peuples ayent été Germains ou Théotiſques ? ou peut-on dire avec la moindre ombre de preuve, qu'ils ſoient deſcendus de ces Gaulois là ? (4) Selon toutes les apparences ces Gaulois ont éte établis dans la Bohéme, & dans quelques autres pays voiſins, dans la partie de la Germanie plus avancée vers l'orient ; c'eſt pourquoi la Boheme eſt appellée *Bajohemum* par *Tacite*, c'eſt-à-dire, le pays des Bojes, nation Gauloiſe. Et les anciens parlent d'un pays appellé *deſerta Bojorum*, & de quelques guerres entre les Bojes & autres peuples ; & tout cela du côté de l'orient. (5) C'étoit auſſi le chemin des Gaulois pour aller plus avant vers la Gréce & vers l'Aſie. (6) Et c'étoit avancer vers des meilleurs pays : au lieu que d'aller vers le Weſer & l'Elbe étoit chercher des pays plus rudes. (7) Auſſi aucun auteur ancien n'a dit, que les Tectoſages ſoient venus vers ces pays plus occidentaux & plus ſeptentrionaux. Mais on le ſuppoſe contre moi, parce que cela eſt accommodant, & viendroit à ſouhait. *Beatus Rhenanus* les place vers la forêt noire ; *Céſar* leur donne *fertiliſſima Germaniæ loca circa Hercyniam ſylvam* ; mais cela eſt trop général, & ne détermine rien ; car la forêt Hercinie s'étendoit par toute la Germanie. (8) *Dion* & d'autres auteurs Grecs, ont pris ſouvent le nom des Gaulois des Galates, penſant generalement que les Germains y étoient compris, ſans que cela ſignifie que ces Germains ayent été d'origine Gauloiſe. Et l'on ſait, que le même barbare qui devoit tuer *Marius*, a été nommé Germain par l'un & Gaulois par l'autre. (9) Quant au paſſage tiré du livre 53. de *Dion Caſſius*, je trouve qu'on n'en a pas aſſez exprimé le ſens en le traduiſant ainſi : *Quelques peuples de la Gaule, qu'on appelle Germains, ayant occupé tout le pays qui s'étend depuis les ſources du Rhin juſqu'à l'Océan Britannique, on a donné le nom de Germanie à cette contrée.* Car en regardant l'original, on trouve que l'auteur fait différence entre les Gaulois ou Galates, & entre les Celtes ſous leſquels il comprend les Germains. Et dans ce paſſage il n'y a pas *peuples de la Gaule*, mais *peuples Celtiques*. Pour le bien entendre, il faut prendre encore quelque choſe de ce qui précéde & de ce qui ſuit. Parlant de la diſtinction des Provinces qu'*Auguſte* avoit laiſſées au Sénat, & de celles qu'il s'étoit reſervées, on trouve que parmi les derniéres ſont nommées : *Tous les Galates, ſavoir les Narbonnois, les Lugdunois, les Aquitains & les peuples Celtiques* (c'eſt-à-dire, Germaniques), *tant eux-mêmes que leurs colonies. Car quelques Celtes que nous appelions Germains, ayant occupé tout le pays Celtique près du Rhin, ont fait que ce qui eſt plus près des ſources du Rhin eſt appellé Germanie ſupérieure, & ce qui eſt plus près de la mer Baltique, s'appelle Germanie inférieure.* Il ſemble que l'auteur veut parler du rivage du Rhin du côté des Gaules redigé en province, lequel

quel habité par les colonies des peuples Germaniques a été appellé Germanie ſupérieure & inferieure ; à peu près comme dans la ſuite les pays ſur le rivage Romain ou gauche du Rhin ont été appellés Germanie premiére, & Germanie ſeconde, quoiqu'ils ne fuſſent point dans la Grande Germanie. Ce paſſage n'a donc rien de commun avec les colonies des Gaulois dans la grande Germanie. (10) Si *Arminius* a été de race Gauloiſe, (ſentiment fort nouveau) il faut que les Cheruſques ayent été une colonie Gauloiſe, choſe inouie que je ſache, & qui auroit beſoin de quelque apparence de preuve. On auroit autant de droit de dire, que tous les Germains ſont venus des colonies Gauloiſes. (11) *S. Jérome*, *Procope*, *Agathias* diſent que les François avoient été appellés anciennement Germains. Mais comment en peut-on inférer qu'ils viennent des Gaulois, que *Sigoveſe* avoit menés dans la Germanie ? (12) Comme il eſt indubitable que la langue des anciens François a été Théotiſque, on me répond que tout Gaulois qu'ils ayent été d'origine, ils auroient pu prendre la langue de la Germanie ; il faut avouer que cela eſt poſſible, mais il n'eſt point vraiſemblable ; la préſomption de l'origine eſt pour celle qui eſt indiquée par la langue, ſi ce n'eſt qu'on prouve le contraire : or juſqu'ici on n'a point produit la moindre apparence de preuve pour l'origine Gauloiſe des François. Et M. *de Valois* n'a eu aucun égard au ſentiment de *Bodin* & de ceux qui l'ont ſuivi. (13) On oppoſe encore, que la langue Gauloiſe & la Théotiſque n'étoient pas fort différentes. Je crois en effet, que la langue Gauloiſe a été demi-théotiſque, & qu'il y a eu une grande quantité de mots communs aux deux nations : cela paroit encore par la langue des bas Bretons ou du pays de Galles, que j'ai un peu examinée, & même par les mots Gaulois que les auteurs anciens ont conſervés. Mais il eſt toujours sûr, que la différence entre la langue des peuples, qu'on croit avoir conſervé en quelque façon l'ancienne langue Gauloiſe, & entre l'Allemand d'aujourd'hui, eſt incomparablement plus grande que la différence qu'il y a entre l'Allemand moderne & le vieux Francisque : car les racines de preſque tous les mots d'*Oſfridus* ſont dans l'Allemand ou dans le Saxon ; mais il y a un très grand nombre de mots dans la langue du pays de Galles ou dans le bas Breton, dont les racines nous manquent, c'eſt preſque la moitié de la langue. (14) Cependant je ſuis fort porté à croire, que dans les tems plus reculés les langues des Gaulois & des Germains ont eu encore plus de rapport. Et ſuppoſant que les peuples viennent du Levant, & que les grandes migrations ont été faites par terre, on peut dire avec beaucoup d'apparence que les Gaulois ſont venus des Germains, & que les Germains ſont venus des Scythes.

REPONSE DE M. LEIBNIZ

Aux Remarques ſur ſa Diſſertation ſur l'origine des François, contenues dans un livre intitulé *N. H. Gundlingii Monita ad librum de origine Francorum ſpectantia &c.* traduite de l'Allemand.

§. 1. LEs ſavantes remarques publiées à Hall en Saxe ſur le petit traité de *l'origine des François*, ſerviront ſans doute à ſa défenſe auprès de ceux qui les confronteront attentivement avec le traité même, puiſque leur ingénieux auteur n'a pas eu d'objections plus fortes à produire contre lui : On a jugé à propos d'oppoſer à ces remarques, les réponſes ſuivantes.

2. Voici en peu de mots le contenu de ce traité : On y ſoutient 1°. que la ligne des Francs, (on parle de leurs ancêtres) avoit ſubſiſté depuis bien des années, ſelon le Géographe de Ravenne, *in Patriâ Albis, aut in fronte Danorum*, & par conſéquent au-delà de l'Elbe, le long de la mer de l'Eſt.

3. Cette aſſertion eſt confirmée par le Poëte François *Ermoldus*, contemporain de *Louis* le Débonnaire, qui fait même deſcendre les Francs des Danois, & aſſure que de ſon tems on le diſoit communément.

4. Elle reçoit de la force des écrivains, dont quelques-uns font venir les Francs des bords de l'Océan, & d'autres des *Palus Mæotides* ; mais ceux-ci, ſelon la remarque d'*Adam de Brême*, confondent ces Palus dans ce cas (ainſi que dans d'autres) avec la mer Baltique. D'où il ſuit que les Francs, dans les tems reculés, avoient habité dans les environs & entre les riviéres de l'Eyder & de la Péne, & qu'ils pouvoient même s'être étendus juſqu'à l'Oder.

5. Ce qui eſt très bien ſoutenu par l'autorité du Géographe de Ravenne, qui appelle expreſſément *Mauringia* le diſtrict du pays *in Patriâ Albis* ; & celui qui eſt *in fronte Danorum* touche aux frontiéres mêmes du Dannemarck : Et il paroit par ce que dit *Paul Warnefrid*, écrivain Lombard très connu ſous le nom de *Paul Diacre*, que la *Mauringia* ou la *Moringavie* étoit ſituée ſur la mer de l'Eſt.

6. C'eſt ainſi que ſelon toutes les apparences les *Vandales*, les *Bourguignons*, les *Goths*, les *Hérules*, les *Syriens* & *Rugiens*, & quelques autres peuples vinrent de la mer Baltique comme les Francs, & s'approchérent comme eux des confins de l'Empire Romain, vers les tems de *Marc Antonin*, durant la guerre des *Marcomans*, que la Barbarie avoit produite ;

duite ; pendant laquelle les *Francs* ſitués en deça de *l'Oder* paſſérent *l'Elbe* ; & d'autres nations établies au-delà de *l'Oder*, s'acheminérent vers la *Pologne*, la *Siléſie*, la *Pannonie* juſqu'au *Danube*, & les *Goths* particuliérement pénétrerent juſqu'au *Pont Euxin*.

7. On ſoutient entr'autres choſes, dans le petit ouvrage en queſtion, que les *Francs* après avoir paſſé *l'Elbe*, s'étoient campés entre le *Hartz* & le *Meyn*, & que par conſéquent ils avoient occupé & habité le pays des anciens *Hermundures*, & en partie celui des *Cheruſques* & des *Cattes*.

8. Ils poſſédérent quatre gros bourgs, dans quatre grandes contrées, la *Bodogavie*, ſituée ſur la riviére *Bode*, près de la forêt nommée le *Hartz* ; la *Viſogavie* ſituée ſur le *Weſer* ; la *Vindogavie* ſur la riviére *Vindiſtra*, aujourd'hui *Unſtrut* ; & enfin la *Saligavie* vers les environs du *Meyn*, & qui reçut ſa dénomination de la riviére *Saale* qui ſe jette dans ce fleuve à ſa droite, & qui conſerva ce nom, même dans les diplomes du tems du Roi *Pepin* le premier, & longtems après ; c'eſt par ces diplomes qu'on a découvert leurs traces.

9. Ce qui eſt démontré par la préface de la Loi Salique, où ces bourgs capitaux, ou diſtricts des Francs, & les Députés, qui s'étoient aſſemblés pour dreſſer cette Loi Salique ſi ancienne, ſont expreſſément ſpécifiés : Cette loi n'a pas été ſeulement traduite en Latin par les Rois Francs, après qu'ils eurent embraſſé le Chriſtianiſme, mais a été changée en divers endroits.

10. Après l'établiſſement de cette Loi, les *Francs* paſſérent le *Wéſer*, & la *Fulde*, & entrérent dans le pays du reſte des *Cattes*, *Sicambres*, *Bructéres*, *Chamaves*, *Chaſuariens*, & dominérent le long de la rive droite du bas Rhin à la mer ; juſqu'à ce qu'enfin ils paſſérent ce fleuve & pénétrérent dans les Gaules, ainſi que le rapportent les Ecrivains Romains : mais ceux d'entr'eux qu'ils avoient laiſſés dans le pays des *Hermundures*, furent dans la ſuite ſubjugués par les *Thuringiens*.

11. Dans les remarques on forme quelques doutes contre ces Théſes ; on y avance des ſentimens bien différens, non-ſeulement contre le paſſage des Francs, mais auſſi ſur le tems, les lieux, & ſur les auteurs de la *Loi Salique*. On confrontera ces divers ſentimens, & on ne manquera pas de les éclaircir.

12. On objecte en premier lieu §. 7. p. 241. que *Linea Francorum* pouvoit ſignifier chez l'Ecrivain de Ravenne une certaine portion de *Francs* : Mais il paroit que cet écrivain ne s'eſt pas ſervi en vain du terme Latin *Linea* ; que ſelon la coutume d'autres auteurs ſes ſemblables, il y avoit ſous-entendu une *ligne d'origine* ou de deſcendance, ce qu'*Ermoldus* rend d'autant plus vraiſemblable, qu'il explique des ancêtres des *Francs* ce que cet écrivain dit de la Ligne ; c'eſt-à-dire, la proximité, & la parenté avec les *Danois*. C'eſt ainſi qu'on trouve *Linea ſanguinis*, dans les endroits cités par *Du Cange* & par d'autres ; & *Linea genitura habetur in bullâ Caroli IV. in comm. Freheri ad Aur. Bull. cap. 7.*

13. On

13. On demande *loco citato* : Qui nous aſſure, qu'il faille chercher la *Mauringie* vers l'Orient, ou vers la mer de l'Eſt, & non ſur la mer de l'Oueſt, ou chez les *Chauces* ? *Paul Diacre* y répond.

14. Or la remarque dit, p. 242. que *Valeſius* avoit compté les *Chauces* parmi les *Francs* : Je répons que ſi cela étoit ainſi, on ne pourroit l'entendre qu'après que les *Francs* eurent quitté la *Mauringie* & paſſé l'Elbe ; mais je doute ſi *Valeſius* a raiſon en effet : De ſemblables ſujets doivent être démontrés par d'autres raiſons que par des paſſages de Poëtes, comme *Claudianus*, & *Sidonius*, qui confondent avec trop de liberté les pays & les nations.

15. Que les *Saxons* & les *Danois* ou *Juttes* n'aient qu'une même origine, l'Auteur des remarques le ſuppoſe non ſans raiſon p. 242 : mais il lui ſera bien difficile de prouver que la *Cherſonéſe Cimbrique* ait été appellée *l'ancienne Saxe*. *Bede* & d'autres anciens y ſous-entendent des pays ſitués en deça de *l'Elbe*. Il ſe peut que les Saxons aient été originairement des *Chauces*, qui paſſérent l'Elbe, entrérent dans la Ditmarſie, environ après l'abandon de ce pays par les *Cimbres*, où ils ſe trouvoient encore du tems de *Ptolomée*, & qu'ils repaſſérent enſuite, quand la mode fut venue de marcher contre les Romains.

16. La remarque dit p. 243. qu'*Adam de Brême* paroit avoir excité l'auteur à placer les *Francs* au bord de la mer Baltique : Non ; on n'a même ſongé à citer ce paſſage qu'après avoir écrit le traité.

17. L'Ecrivain de Ravenne n'eſt pas en tout fort exact, il a compilé & rapporté des choſes qui ſe contrediſent ; quelle merveille, qu'il ſe ſoit quelquefois trompé ! *Biſigilias* en cet endroit, à conſidérer le nom, ſemble être la *Viſtule*, & ſuivant l'occaſion peut être l'*Oder*. Perſonne n'ignore que les anciens ont parlé avec peu de préciſion du fleuve *Oder*, & qu'ils n'avoient que des notions très confuſes des régions ſituées au-delà de *l'Elbe* ; mais que ſelon la remarque p. 245. *Biſigilias* ſoit le *Véſer*, il n'y a pas d'apparence. Le nom ſelon la prononciation Allemande, & les circonſtances, font conclure en faveur de la *Viſtule*.

18. La notion de la *Mauringie*, tirée de *Paul Diacre*, ſert principalement à expliquer l'Ecrivain de Ravenne. Dans le traité on tend à démontrer, qu'il faut placer ce pays ſur la mer Baltique ; on s'y oppoſe dans les remarques. Il ſera donc néceſſaire de préſenter ici le contenu de l'auteur Lombard auſſi bien qu'il ſera poſſible, & de confronter les explications du traité avec celles des remarques. *Paul Diacre* lib. 1. cap. 2. dit, que les *Winules*, qu'il fait enſuite *Lombards*, étoient venus de la *Scandinavie*, qu'ils avoient formé la troiſiéme partie de ſes habitans, ou pour parler plus exactement, de ſa *jeuneſſe*, (*ver ſacrum*) ; & qu'on les avoit fait ſortir pour diminuer l'énorme quantité de leur nombre.

19. Cette jeuneſſe en ſortit ſous la conduite d'*Ibor* & d'*Ajo*, qui eut pour ſucceſſeur ſon fils *Aglimonde*, & celui-ci ſon fils adoptif *Lamiſſio*, qui

qui fut ſuivi par *Lechus*, & régna 40 ans. Ses ſucceſſeurs furent ſon fils *Hildehoc*, enſuite *Gudehoc*; au tems de celui-ci *Odoacre* régnoit en Italie. Il s'enſuit que cette émigration des *Lombards* ou des *Winules* de leur patrie arriva vers la fin du 3e. ou au commencement du 4e. ſiécle.

20. Mais *Paul Diacre* n'entend pas ici, ainſi que d'autres, par la *Scandinavie*, la grande région qui, ſuivant la ſignification de nos jours, contient toute *la Suéde* & *la Norvége*: Il n'y entend qu'une province médiocre. Car il dit expreſſément c. 7. qu'en effet ces *Winules* émigrés avoient été tous de jeunes gens & braves, mais d'un nombre peu conſidérable, ne faiſant que la troiſiéme partie des habitans d'une iſle d'une étendue aſſez médiocre. Il ſe pourroit donc que cette province des *Winules* fût la peninſule, que l'on nomme aujourd'hui *Venſiſpel* ou *Venſilia*, que *Paul* & des écrivains antérieurs qu'il avoit ſuivis, (peut-être l'*Evêque Secundus*) confondit avec la *Scanie* & qu'ils nommérent *Scandinavie*.

21. Du pays des *Winules* cet eſſaim paſſa en *Scoringie*, & s'y arrêta quelque tems: La *Scoringie* pourroit bien être le pays des *Sciris*, qui en ſortirent probablement avec les *Hérules*. Il la faut chercher ſelon toutes les apparences dans la *Cherſoneſe Cimbrique*: Et *Otherus* dans ſon *Periplo Sciringes-heale*, y nomme cet endroit, juſtement, où eſt aujourd'hui ſitué *Albourg* en *Juttland* ou *Jutia*.

22. De la *Scoringie* ils marchent en *Mauringie*, dont la ſituation ne ſauroit être de cette ſorte que très peu éloignée de la *Cherſoneſe Cimbrique*, & que par conſéquent il faut chercher au-delà de *l'Elbe*, comme un pays qui, ſelon l'Auteur de Ravenne, confine avec le Dannemarck, & touche à l'*Eyder*; car cet auteur & *Paul Diacre* s'éclairciſſent réciproquement.

23. Il n'y a aucun autre écrivain, autant qu'on s'en peut reſſouvenir, qui parle des *Aſſipittes*, peuples ſitués entre la *Scoringie* & la *Mauringie*, & qui s'oppoſerent aux *Winules* à leur paſſage en *Mauringie*: Ce pouvoit avoir été une nation *Jutte* ou *Saxonne*, ou qui pourroit avoir reçu ſon nom des Saxons, ou Juttes, mais qui eſt un tant ſoit peu corrompu.

24. Si la *Mauringie* eût été ſituée en deça de l'*Elbe*, les *Winules* n'euſſent pû tenter leur paſſage qu'à la faveur d'une flotte, ce qui auroit rendu l'exécution de la choſe bien plus difficile; & je penſe qu'on n'auroit pas manqué de le remarquer, & d'en faire mention.

25. La ſuite du voyage des *Winules* ou *Lombards* prouve auſſi que la *Mauringie* eſt ſituée au-delà de *l'Elbe*, ſur la mer de l'Eſt: Car de la *Mauringie* ils paſſent en *Gottlande*, c'eſt-à-dire, dans le pays d'où ſortirent les *Goths*, ou *Guttones* en *Pruſſe*. Il s'enſuit qu'ils vinrent du pays de *Mecklenbourg*, & de la *Pomeranie*. De la *Gottlande* ils s'avancent dans l'*Anhabet*, ou comme il paroit par quelques Codes, *Anhaib*, c'eſt-à-dire, *in regionem Antarum*, d'une grande nation *Eſclavonne* ou *Vandale*, en remontant la *Viſtule*; mais qui pareillement avoit quitté ſa patrie, & s'étoit approchée du *Danube* & du *Nieper*: Voyez *Jornandes de rebus Geticis* c. 1.

ringie; les *Goths* la *Gothie*; les *Antes* l'*Anthaib*; les *Bourguignons* abandonnans la *Burgundaib*: Et c'eſt pour cette raiſon même qu'ils ne ſouffrirent aucune reſiſtance conſidérable.

33. Mais comment faire ſortir les *Lombards* de la *Bourgogne Gauloiſe*, & les conduire dans la *Rugilande*, ou dans la *Moravie*? car *Paul Diacre* les méne de la *Moravie* en *Pannonie*, & enfin en *Italie*: Les Remarques n'en diſent pas un mot.

34. Et quelle route étrange que celle de partir de l'*Elbe*, paſſer le *Rhin* & de ſe rendre par la *France* en *Moravie*? Il s'enſuit clairement que la *Burgundaib* en queſtion n'eſt pas le dernier ſéjour des *Bourguignons*, mais le premier qu'ils avoient quitté, ſitué dans le voiſinage de la *Moravie*, ſur les frontiéres de la Pologne & de la Siléſie, & que par conſéquent ſelon ce paſſage les *Winules* viennent des côtes de la mer de l'Eſt, & non de celles de l'Oueſt.

35. Et qui a jamais entendu dire, que les *Lombards* étoient venus habiter les Gaules, avant même que d'être établis en Italie?

36. Il eſt donc à préſumer que l'Auteur des remarques, après des réflexions plus mûres, ſe déſiſtera de ſon ſentiment exprimé dans la déclaration, qui s'éloigne ſi fort de la deſcription de l'Auteur, & de tous les autres monumens que nous avons ſur ce ſujet.

37. On accorde dans les remarques qu'il faut chercher dans cette occaſion ce *Palus Mæotica* en Allemagne p. 244. mais on croit que c'eſt *Mota Palus*, dont il eſt fait mention dans le diplome qui marque les limites du *Saut de Verden*, & qui eſt attribué à *Charlemagne*. Voilà qui eſt ingénieux, mais point du tout vraiſemblable; car ce marais n'eſt autre choſe qu'une aſſez petite lagune appellée *Sigfrides Meor*, ou *Marais de Sigfrid*. Ainſi la préſomption d'*Adam de Brême* eſt plus digne de foi; elle eſt confirmée par des exemples. Qui ſait, ſi au lieu de *Mota Palus*, il ne faut pas lire *Mora*? cette écriture n'étant pas trop correcte.

38. Il eſt vrai que les *Francs* ſous le régne de l'Empereur *Maximien*, & même auparavant, avoient inquiété les *Gaules* par des pirateries du côté de la mer; mais qu'ils aient fait une deſcente conſidérable dans les environs de *Boulogne*, qu'ils aient mis un pied ferme & pénétré bien avant dans la terre, & qu'enſuite ils ſe ſoient tournés vers le Rhin, & entrés juſques dans la *Thuringe*, comme on le conjecture dans la remarque §. 8. p. 247. cela eſt auſſi peu vraiſemblable que difficile à prouver.

39. On ne ſauroit confondre les *Attuariens*, ou plutôt les *Aduaticiens* au-delà du Rhin, avec les *Chaſuariens* & *Chattuariens* de deça de ce fleuve: Ils ne deſcendent point des *Francs*, ils exiſtoient déja dans la Gaule Belgique du tems de *Céſar. Lib. 2. De bello Gallico.*

40. On inſinue dans la remarque §. 10. p. 250. que ſi un écrivain Romain, & non l'auteur des *Geſtes des anciens Francs*, diſoit que cette nation venoit du *Palus Mæotides*, on pourroit plus facilement accorder,

qu'il y avoit ſous-entendu la mer Baltique : Mais que ce ſoit un ancien écrivain Romain, ou Franc (qui probablement auroit tiré d'un ancien Romain ou Grec ce qu'il dit ici), cela fait peu à la choſe.

41. On ne prétend pas même dans le traité, que ceux qui ont conduit les *Francs* des *Palus Mæotides*, les aient confondus avec la *mer Baltique* : Mais on prétend qu'il faille entendre de la mer Baltique, ce qu'ils ont dit en effet des Palus Mæotides : Et certainement ils ont ſuivi en cela des auteurs plus anciens, qui probablement n'avoient ſû qu'en général, & d'une maniére très confuſe, que les Francs & d'autres ſemblables peuples venoient des rives d'une mer Scythe, qu'ils ſuppoſerent auſſi-tôt être celle qui leur étoit la plus connue, c'eſt-à-dire, le *Pont Euxin*, & les *Palus Mæotides* qui en ſont partie.

42. Il en eſt arrivé tout de même des *Herules*. Il eſt inconteſtable que ce peuple vient de la mer Baltique. Voici cependant ce que dit *Jornandes*, *in Ablabio hiſtorico lib. de rebus Geticis. c. 23.* » Prædicta gens, » Ablabio referente, ad Mæoticas paludes habitans in locis ſtagnantibus, » quas Græci *Hele* vocant, *Heruli* (vel *Heluri*) nominati ſunt. « Quoiqu'il paroiſſe par l'hiſtoire même de *Jornandes* que le grand Roi des Goths, *Hermanaricus*, ne les ait pas moins ſubjugués que les *Æſtiens* & les *Venedes* ſur la rive de la mer Baltique.

43. Je ne doute point qu'il n'en ait été ainſi des *Vandales* chez *Procope*, qui tire l'origine de ce peuple des *Palus Mæotides lib. I. de Bello Vandalico. Vandali ad Mæotidem veteres habuerunt ſedes* ; en quoi il n'a fait qu'imiter des écrivains plus anciens. On n'eſt pas pour cela du ſentiment que *Procope* en écrivant ceci ait penſé à la mer Baltique ; on ne nie pas non plus, qu'il n'ait ſu avec d'autres, où *Mæotis* étoit ſitué, comme il ſemble qu'on le veut inſinuer dans la remarque §. 11. p. 251. L'on avouë volontiers que *Procope* avoit été d'avis que les *Vandales* avoient eu leur ancien ſiege au *Pont Euxin*, & aux *Palus*, mais on dit qu'au lieu de cela, il eût dû nommer la *mer Baltique*. Ce ſentiment regarde également les Francs.

44. Mais que *Procope* (ainſi que M. *Schurtzfleich* & l'auteur des remarques §. 11. p. 252. le préſument) ait ſu, ou cru que les *Goths* & les *Vandales* avoient quitte les environs de la mer Baltique, & que de là ils ſe fuſſent portés vers le Pont Euxin ; quoique les *Vandales* n'aient peut-être jamais atteint le Pont, cela non-ſeulement ne ſauroit être prouvé par les paroles de *Procope*, mais bien le contraire. Voici comme il parle dans le premier livre ci-devant mentionné *ex verſione Grotii* : » Gothicæ » nationes multiplices & olim fuere, & nunc ſunt. Maximæ harum & » nobiliſſimæ ſunt *Gothi* proprium nomen ex totâ gente adepti, *Vandali*, » *Wiſigothi* & *Gepidæ*, quos vetuſtas *Sauromatas* & *Melanchlænos* vocabat : » Sunt & qui *Getas* eos dixere. « D'où il paroit que *Procope* a cru que ces peuples *Goths* étoient préciſement les mêmes auxquels *Hérodote* avoit donné d'autres noms, & qu'il avoit placés près du Pont, & qu'ils avoient ancien-

anciennement habité ces régions ; en quoi il s'eſt ſans doute mépris, avec beaucoup d'autres.

45. On vient à préſent au ſecond point, ſavoir au ſecond & dernier ſéjour des Francs après qu'ils eurent paſſé l'Elbe. On ſuppoſe dans le traité, qu'ils avoient eu devant eux le *Véſer*, l'*Elbe* derriére eux, le *Hartz* à leur droite & le *Meyn* à leur gauche : C'eſt l'époque de l'inſtitution de la Loi Salique, en partie dans le bourg nommé *Salagau* ; La préface à cette loi fait expreſſément mention de ce bourg, & ſa ſituation eſt ſpécifiée dans les traditions de *Fulde*, dans leſquelles on remarque en même tems celle des trois autres bourgades capitales des *Francs*, qui y avoient envoyé des députés pour l'inſtitution de la Loi Salique ; & que cette loi avoit été dreſſée, non-ſeulement avant que les *Francs* euſſent embraſſé le Chriſtianiſme, mais avant qu'ils euſſent des Rois, & même avant qu'ils ſe fuſſent approchés du Rhin. Au contraire dans les remarques on eſt d'avis §. 22. p. 266. que *Clodove* eſt l'auteur de la Loi Salique ; qu'après que les Allemands ſe furent ſoumis à lui, il leur avoit donné des commandans Francs, impoſé des tributs, donné des loix, qui furent appellées *Franches* ou *Saliques*, qu'il s'étoit ſervi pour les rediger du conſeil de quelques Francs ſages & éclairés, & qu'il les avoit établi juges dans les bourgs de *Salheim*, *Bodenheim*, *Windheim*, & *Wieſenheim* ſitués dans le *Wormſgau* ; Bourgs qui d'Allemands étoient devenus Francs.

46. Ce ſentiment ne paroit pas fondé, car dans ce cas là la *Loi Salique* eût été donnée alors, bien moins aux *Francs* qu'aux *Allemands* vaincus ; ce que perſonne n'a avancé juſqu'à préſent. D'ailleurs on ne trouve pas la moindre trace d'*Allemands*, ni dans la loi même, ni dans ſa préface.

47. *Saalheim*, aujourd'hui *Saulheim*, *Bodenheim*, *Windheim*, à préſent *Weinheim*, *Wiſſenheim* ou *Wiſsheim*, ſont des bourgs dans le *Wormſgau* ; on paſſe qu'ils ſoient tous auſſi anciens, mais comment s'accorde cela avec ce que dit la préface de la loi Salique, telle qu'*Héroldus* nous l'a donnée d'après un exemplaire des plus anciens ? Tous ces bourgs y ſont nommés *Salagheve*, *Bodogheſe*, *Windogheve* &c.

48. Et ſuppoſons qu on veuille appeller ces lieux, avec d'autres anciens écrivains, *Salacheim*, *Bodoh im* ; on ſait que ces dénominations ne ſe contrediſent pas : Car *Heim* a été dit anciennement des bourgs, des villes, & même des régions entiéres, comme *Boheim* & chez *Tacite Bohemum* le démontre ; & encore de nos jours, *Heim* & *Heimat* ſignifient la même choſe, c'eſt-à-dire, nôtre contrée, ou patrie.

49. Mais de quelques puiſſantes contrées, de provinces entiéres (qui repréſentoient toute la nation des Francs) en faire des villages du Wormſgau ; des Députés Légiſlateurs, en faire des Juges de village ; voilà ce qui eſt auſſi incohérent, que de faire *Mota Palus* de *Mæotica Palus*, quoiqu'il ſoit bien certain, que *Conringius* & quelques autres ſe ſoient laiſſés entrainer à changer en villages, des régions & des provinces entiéres.

50. Et comment peut-on ſuppoſer que *Clodove*, qu'on déclare pour le legitime & véritable Legiſlateur, n'y ſoit jamais nommé? & qu'on n'y nomme expreſſément que les Juges des villages circonvoiſins, qui n'ont fait que lui preter leurs lumieres & leurs conſeils, ſans avoir été revetus de la moindre autorité?

51. Et ſi ces endroits (ſuppoſé qu'ils n'aient été que de ſimples villages) n'ont eu eux-mêmes aucune autorité dans une affaire ſi importante, d'où vient qu'ils ſont nommés deux fois, quand il s'agit du dénombrement des bourgs, & quand il y eſt queſtion des Députés?

52. Peut-on bien croire que le Roi n'ait pas eu auprès de ſa perſonne des Juriſconſultes, & qu'il ait été obligé d'avoir recours pour cette loi aux Juges des villages de ſes environs? Ne ſait-on pas que dans ces tems-là les principaux Seigneurs aſſiſtoient aux Conſeils des Rois dans de ſemblables affaires?

53. La préface dit expreſſément, que *Clodove* corrigea la Loi Salique; cela ne marque-t-il pas aſſez, qu'il n'en eſt pas l'auteur, mais qu'il avoit trouvé cet ouvrage tout formé?

54. Qu'on faſſe attention à ces mots: *Gens Francorum inclyta cùm adhuc teneretur barbarie, dictaverunt Salicam legem proceres ipſius gentis, qui tunc temporis apud eandem erant rectores: Sunt autem electi de pluribus, viri quatuor his nominibus, Wiſogaſt, Bodogaſt, Sologaſt, & Windogaſt, in locis quibus nomen Salagheve, & Windogheve, qui per tres mallos convenientes, omnes cauſarum origines ſollicitè diſcutiendo, tractantes de ſingulis, judicium decreverunt hoc modo. At ubi, Deo favente, Clodovæus Comatus, & inclytus Rex Francorum primus recepit Catholicum baptiſmum, quicquid minus in pacto habebatur idoneum, per præcelſos Reges, Clodovæum, Childebertum, & Hlotarium fuit lucidius emendatum & procuratum decretum hoc &c.* On laiſſe à juger ſi ces mots ne ſignifient pas aſſez clairement, que cette loi eſt plus ancienne que *Clodove*; qu'elle a été faite (non-ſeulement avant que les Francs euſſent reçu le Chriſtianiſme, mais même auparavant qu'ils euſſent des Rois), par les Grands de leur nation, ou par ceux que la nation avoit députés à cet effet, & pour laquelle raiſon elle eſt appellée *Pactum*, quoiqu'il n'y ſoit pas expreſſément déclaré, qu'ils n'aient pas eu des Rois alors; étant d'ailleurs conſtant que les Francs, ainſi que les Saxons, ont longtems vécu ſans être gouvernés par des Rois.

55. Il eſt au moins palpable, que ſi l'auteur de la préface eût ſu que *Clodove* avoit dicté cette loi, il auroit parlé différemment, & l'explication que *Clodove* ſoit le premier auteur de cette loi, & qu'il l'ait corrigée, après avoir embraſſé le Chriſtianiſme, eſt par conſéquent incohérente.

56. La préface diſtingue l'époque des Francs barbares, d'avec le tems de *Clodove*.

57. Voyons à préſent les objections des remarques contre le traité, quant à l'origine de la Loi Salique. Elles conſiſtent proprement dans ce qui

qui ſuit : Que l'auteur du traité n'a pas ſu deviner ce que c'étoit que *Windogheve*, & qu'il n'a pu produire que trois endroits, *Salagheve*, *Bodogheve*, & *Windogheve* ; & dans la remarque on trouve le quatrieme, & même tous les quatre enſemble, *Solheim*, *Bodenheim*, *Wisheim*, & *Wormſgavie*. La remarque conclut donc au but ſelon les règles d'une bonne logique §. 15. p. 258. & 259. Cela ſeroit fort bon, ſi ces quatre endroits quadroient pour le moins auſſi-bien que les trois ci-deſſus marqués ; mais c'eſt ici que gît l'erreur ; car ces quatre endroits exprimés dans le traité ne ſont pas des ſimples villages, ce ſont des contrées, des provinces &c.

58. Du reſte on croit avoir indiqué dans le traité avec aſſez de vraiſemblance le *Windogheve* ou *Windgau*.

59. On inſinue §. 20. p. 263. qu'il eſt plus croiable que ces endroits étoient proches les uns des autres, qu'éloignés d'environ 30 milles d'Allemagne. Mais ſelon la teneur du traité, le contraire eſt bien plus probable ; puiſque c'eſt de ces endroits qu'ont été choiſis les Députés de toute la nation des Francs, qui habitoient un diſtrict très conſidérable ; or il eſt ordinaire qu'on tire les Députés des extrémités de la région qu'on habite.

60. Il ne paroit point de veſtiges, que le diſtrict du pays le long du Rhin, que les Francs enlevérent aux Allemands, ait été appellé la petite France. Il eſt vrai que le terme de *Magna Francia* ſe trouve quelquefois chez les écrivains poſtérieurs de Byzance : On ne trouvera cependant point que ce ſoit par oppoſition à cette contrée ſituée ſur le Rhin, mais bien à la *Lombardie citérieure*, que les Grecs & les Italiens ultérieurs, ou méridionaux, nommerent quelquefois *Francia* dans le dixieme ſiécle. Il ſe peut que ce pays, enleve aux Allemands par les Francs, habité enſuite par eux, & ſitué au-delà du Meyn, ſoit celui qui a été appellé *Nova Francia* par l'anonyme de Saint Gall, qui étoit lui-même Allemand. Voyez *in vitâ Caroli M. lib. 1. cap. 23. 24. & Francia antiqua cap. 25. & lib. 2. cap. 16.*

61. On cite dans les remarques §. 21. p. 264. contre le ſens du traité, que les Francs avant le tems de *Pharamond*, n'avoient probablement pas été auſſi riches que cette Loi l'indique, dans laquelle il eſt queſtion de beaucoup d'argent & d'impôts ; mais il eſt facile à préſumer, que ces impôts n'avoient pas été tels dans la Loi Salique primitive, qu'ils avoient été impoſés par les Rois ſucceſſeurs, ſelon les circonſtances des tems, ainſi qu'il eſt arrivé dans bien d'autres choſes, où il eſt par exemple fait mention des Rois des Romains. Ce n'eſt pas qu'on veuille nier ces paſſages, comme il paroit qu'on le veuille interpréter §. 27. p. 271. mais parce qu'on préſume qu'ils ont été ajoutés.

62. Que la Loi Salique ait été preſqu'entiérement refondue, c'eſt une choſe manifeſte, parce que cinq Rois, *Clodove*, *Theodoric*, *Childebert*, *Clotaire*, & *Dagobert* y ont fait des changemens en différens tems ; ainſi que l'affirment les deux préfaces rapportées dans l'édition d'*Héroldus* ;

la

la premiére de ces préfaces (dont on a cité les paroles ci-deſſus §. 54.) paroit avoir eté faite du tems de *Clotaire*, & la ſeconde ſous *Dagobert*.

63. Finalement on croit dans le traité, que les *Francs*, après avoir quitté leur ſejour momentané entre l'*Elbe* & le *Véſer*, ont été ſuivis par les *Thuringiens*, venus pour les occuper, & que ceux-ci avoient très maltraité les Francs reſtes en arriére. Cet événement eſt facile à preſumer, quand même on n'en trouveroit aucune trace chez les anciens écrivains.

64. Mais *Theodoric*, Roi d'Auſtraſie, l'aſſure poſitivement chez *Grégoire de Tours* lib. 3. c. 28., où il excite les *Francs* contre les *Thuringiens*, en leur alléguant non-ſeulement le manque de foi que *Hermenfridus* leur Roi avoit commis contre lui, en lui refuſant les récompenſes promiſes pour les ſecours qu'il lui avoit fournis ; (*vid. lib.* 3. *c.* 4.) Mais en leur rappellant les cruautés que les *Thuringiens* avoient anciennement exercées contre leurs péres, & leurs fréres. *Convocatis Francis dicit ad eos : Indignemini, quæſo, tam meam injuriam, quàm interitum parentum veſtrorum, & recolite Thuringos quondam ſuper parentes noſtros violenter obveniſſe, & multa illis intuliſſe mala &c. Parentes* ſelon le Latin de ce tems là, eſt également applicable aux ancêtres qu'aux parens ; l'une & l'autre explication peut avoir lieu.

65. Il raconte dans cet endroit les différentes eſpèces de cruautés, que les *Thuringiens* exercérent alors contre les *Francs* ; le refus qu'ils avoient fait de leur accorder la paix, la maniére dont ils avoient ſevi contre leurs otages, en faiſant pendre aux arbres par les jambes leurs jeunes garçons, & déchirer par des chevaux plus de deux cent de leurs filles ; d'autres en leur pouſſant des pieux par le ventre, & les faiſant écraſer par des chariots chargés, & en abandonnant enſuite leurs corps en proie aux chiens & aux oiſeaux de carnage.

66. Quand on conſidére attentivement tout ceci, on conjecture aiſément, que l'époque de ces événemens doit être reculée au tems que les Thuringiens étoient encore bien féroces, & les Francs bien peu puiſſans ; mais que pouſſés par les Romains & les Saxons, ils avoient été contraints de les ſouffrir, ou empéchés de s'en venger.

67. La remarque n'eſt pas non plus d'accord ſur ce point ; on ſuppoſe §. 14. p. 256. que les Thuringiens avoient fait cet affront à *Clodove* pére de *Théodoric*, ce qui n'a pas la moindre vraiſemblance. Les *Thuringiens* n'étoient plus ſi féroces dans ce tems-là ; ils auroient craint la puiſſance du Roi, qui emporté par le caractère ſanguinaire dont il étoit, auroit vengé ces cruautés inouies par d'autres cruautés.

68. La vengeance n'eût pas été ſatisfaite (s'ils euſſent commis ces attentats horribles contre les ſiens) par la guerre, qu'il eſt certain ſelon *Grégoire de Tours lib.* 2. *c.* 27. qu'il leur déclara la dixiéme annee de ſon régne, & dans laquelle il les ſubjugua en quelque façon, ou les rendit tributaires.

69. Il

69. Il eſt vrai qu'il eſt dit dans les remarques §. 14. p. 256. qu'on voudroit parier, que *Theodoric*, en armant les *Francs* contre les *Thuringiens*, n'avoit pas ſeulement ſongé aux anciens *Hermundures*, qui avoient été les maitres de ces pays il y avoit quelques ſiecles. Mais de grace qui eſt-ce qui parle des anciens *Hermundures*? Il s'agit dans le traité des *Francs* reſtés en arriére dans le pays des *Hermundures*, quand le grand eſſaim des *Francs* en ſortit pour paſſer le *Weſer*, & pour s'approcher du Rhin. L'époque où les *Thuringiens* maltraiterent ſi cruellement les *Francs* qu'ils trouvérent encore, ne paſſe guéres d'un ſiecle & demi le tems de *Clodove*; & ce terme n'eſt pas ſuffiſant pour faire oublier l'atrocité des traitemens qu'ils leur firent ſouffrir.

G. G. LEIBNITII

BREVIS DESIGNATIO MEDITATIONUM *DE ORIGINIBUS GENTIUM,*

DUCTIS POTISSIMUM EX INDICIO LINGUARUM.

CUM remotæ *Gentium Origines* Hiſtoriam tranſcendant, *Linguæ* nobis præſtant veterum monumentorum vicem. Et vetuſtiſſima linguarum veſtigia ſuperſunt in nominibus fluviorum atque ſylvarum, quæ mutatis accolis plerumque perſiſtunt; proximæ ſunt locorum ab hominibus conſtitutorum appellationes; quanquam enim multæ villæ, multa oppida à conditoribus nominentur, quod in Germania valde eſt frequens, quæ ſerius exculta eſt; alia tamen loca à ſitu, à proventu, à cæteris qualitatibus appellantur, & vetuſtiorum difficilis eſt etymologia. Nomina etiam vetera hominum, quorum nulla Germaniæ gens plura Friſiis retinuit, ducunt nos in ſacraria, ut ſic dicam, veteris linguæ. Illud enim pro axiomate habeo, *omnia nomina quæ vocamus propria, aliquando appellativa fuiſſe*, alioqui ratione nulla conſtarent. Itaque quoties vocabulum fluminis, montis, ſylvæ, gentis, pagi, oppidi, villæ, non intelligimus, intélligere debemus, ab antiqua nos lingua diſceſſiſſe. Sic quotieſcunque nomen hominis Germani, velut Franci, Alemanni, Saxonis, Gothi, Vandali, in *Ric*, vel *Ricus* terminatur, ut in Theodoricus, Fridericus, Hunericus, & ſimilibus; ignoraremus fortaſſe fortitudinem & robur ſignificari, niſi *Venantius Fortunatus Chilpericum* ita expoſuiſſet:

Adjuor fortis, ſi interpres barbarus adſit.

Hulpe enim auxilium hodieque eſt. Hinc jam admonemur gigantes & heroës ante paucos annos in libris Germanicis noviſſimæ vetuſtatis *Recken* dictos; quod proprie longurionem notat. Eſt enim *Recken* nunc quoque extendere, & conti ſeu baculi oblongi apud Brunſvicenſes dicuntur *ricken*. Et ipſum *reck*, *ricken*, à Celto-Scytico eſt fonte, nam *reye*, *rige*, *regula*, *regere*, *rex*, *reiſſen*, *reiſſen*, aliaque multa, ad extenſionem ſe referunt

runt lineamque rectam, quæ naſcitur, filum extendendo. Ex ipſa enim natura ſoni, litera Canina motum violentum notat, at K finale ejus obſtaculum, quo ſiſtitur. Sic in *Ruck* (*einen Ruck thun*) promotio violenta eſt, ſed per gradus, ubi quavis vice motus ſiſtitur. Sic etiam adhibetur *Recken*, cùm ſubitò vi magna nec ſine ſono intenditur filum vel aliud, ita tamen, ut non rumpatur, ſed ſiſtat impetum: ita habemus ex linea curva rectam, eamque inſtar chordæ tenſam. Sed ubi ruptio fit, pro litera K ſiſtente, ſequitur S vel *Z*, motus exeuntis index, & fit *Riſs*, *Reiſſen*, *Riz*. Tales detegunt ſeſe primæ origines vocabulorum, quoties penetrari poteſt ad radicem τῆς ἐνοματοποίας. Sed plerumque tractu temporum, crebris translationibus veteres & nativæ ſignificationes mutatæ ſunt aut obſcuratæ. Neque verò *ex inſtituto* profectæ, & quaſi lege conditæ ſunt linguæ, ſed naturali quodam impetu natæ hominum, ſonos ad affectus motuſque animi attemperantium. *Artificiales Linguas* excipio, qualis *Wilkinſii*, Epiſcopi Ceſtrienſis, viri ingenio doctrinaque egregii fuit (quam tamen vix quiſquam præter ipſummet & *Rob. Boylium* didicit, ut hic mihi narrabat) & qualem Sinenſem *Golius* non contemnendus judex ſuſpicabatur: talis etiam fuerit, ſi quam mortales docuit Deus. At in linguis paulatim natis orta ſunt vocabula per occaſiones ex analogia vocis cum affectu, qui rei ſenſum comitabatur: nec aliter *Adamum* nomina impoſuiſſe crediderim.

Quanquam autem hinc facilè intelligatur, multa peculiaria vocabula labentibus ſeculis facta eſſe à variis populis, maximè cùm rudis barbaries plus impetus quàm rationis haberet, prorumperetque utcunque ab affectu in ſonos, ut ſeſe occaſiones dabant; variatumque fuiſſe, prout erant animi, *organaque* ipſa loquendi, quorum non omnibus nationibus æquè facilis uſus: Illud tamen notatu digniſſimum eſt, per magnam continentis noſtri partem *linguæ* cujuſdam *antiquæ latiſſimè fuſæ veſtigia* in linguis præſentibus ſupereſſe; cùm multa ſint vocabula quæ inde ab Oceano Britannico ad uſque Japanicum protenduntur. Nolo protritam illam Sacci ubique uſurpati obſervationem afferre, quam nec ſatis examinavi: aliam vocem in exemplum accibo veteribus jam Celtis uſurpatam, quibus dudum *Mar* erat equus. Unde *Pauſanias* prodidit, triplicem equitum ordinem illis dictum *Trimarchium*. Vox *Mare* aut *Märe* notiſſima antiquis Teutonibus, (quibus *Mareſchalcus* qui equis præeſt) nunc quoque ſupereſt apud Germanos. Eadem vox *Mar* aut cognata, etiam remotiſſimis Tartaris ad eos uſque qui Sinas ſibi ſubjecêre, eodem ſenſu cognita eſt, quod miratus eſt *Johannes* Rex Poloniæ non magis fortitudine quàm doctrinæ amore commendabilis, cùm à *Claudio Grimaldo* inde à Sinis advecto quædam Orientalium Tartarorum vocabula ſibi explicata accepiſſet; nam Præcopitarum linguam Rex tenebat: idque mihi ipſe paulo poſt eximius ille *Grimaldus* narravit. Talis quoque eſt vox *kan*, de potente, procere, Rege. Nam *kan*, *können*, poſſe ſignificat; *King König*,

Regem: at *Chaganus*, *Can*, Sarmatis, Hunnis, Perſis, Turcis, Tartaris, Principem, uſque ad Sinas. Et ſanè in pronunciatione literæ K initialis vim quandam non mediocrem exerceri, prorumpente per obſtaculum ſpiritu, ipſi ſentimus. Quoties igitur vox eadem aut nonnihil transformata Britonibus, Germanis, Latinis, Græcis, Sarmatis, Finnis, Tartaris, Arabibus, communis reperitur (quod non adeo rarum eſt) veſtigium præbet linguæ antiquæ communis. Ut vel dicendum ſit aliquando Europæ Aſiæque potiora ſub uno magno imperio fuiſſe, ubi communis quædam lingua dominata ſit (ut ſerius Latina per Europam, Græca & Arabica ſerius per Aſiam Africamque) vel potius (quod magis ſacris Literis conſentit) cæteras gentes unius gentis aut ſtirpis emiſſaria coloniaſque fuiſſe, quanquam in remotioribus paulatim detrita veſtigia ſint cognationis. Nam novæ facilè linguæ naſcuntur mixtura & corruptione cæterarum, & nobilem fœminam Anglam ſæpe audi e loquentem memini, quæ in Gallico Anglicè, in Anglo Gallicè dicebat. Et centeni aliquot ſimiles facilè novam linguam procuditſent in poſteris, qualis Rhætorum hodiernorum ex Italica Gallicave corrupta, non minus quàm hæ à Latina: & repetitæ corruptiones corruptionum omnia tandem originis lineamenta confundunt. Itaque non minor ſi interiorum Africæ & omnium Americæ linguarum cognatio cum noſtris agnoſci non poteſt.

Linguas ex antiqua illa latiſſimè fuſa derivatas, in binas ſpecies non malè dividimus, *Japeticas*, ut ita loquar, & *Aramæas*: Japeticæ Septentrionem implevere, Aramææ meridiem; totam verò Europam noſtram Septentrioni computo. Quod ſi Septentrionales ad *Japhetum* referas, meridionales fratrum *Semi*, *Chami*que propaginibus non ineptè tribuentur. *Japetum* ejuſque filium *Prometheu* hominum fabricatorem etiam mythologi ad Caucaſum collocarunt, Aramæi (vel *Arimi*) pro Syris jam *Homero* innotuêre.

Ex Meridionalibus linguis *Arabica* imprimis latè patet, magnam enim implet peninſulam inter Rubrum Perſicumque Sinum. Et vicinæ, *Syriaca*, *Chaldaica*, *Hebraa*que ipſa, valdè ipſi ſunt cognatæ. *Hebræum* velut dialectum quandam majoris linguæ conſtituêre, eamque in paucis reliquiis conſervatam ſatis apparet: nec mirum hoc eſt, cùm exiguam Syriæ partem occuparit. At fieri poteſt, ut melius cæteris vetuſtiſſimas reliquias ſervet, cùm à nulla gente antiquiores libros habeamus. Carthaginem à Phœnicibus conditam conſtat, & linguam *Punicam* (cujus ſcena mox latinè verſa apud *Plautum* exſtat,) ex Hebræa & cognatis *Reineſius*, *Bochartus* aliique egregiè illuſtravêre.

Porrò & trajecto mari rubro *Æthiopiæ* Orientalis meliora Arabum inſediſſe colonias ex ipſa *Abyſſini* ſermonis conſideratione manifeſtum eſt: nec Amharica ab Æthiopica vulgari niſi dialecto diſtat. Plurimum Arabiſmi in variis Indici accolis apparere ajunt, ubi Malabarica lingua ſeſe in ipſas Inſulas expandit, qua de re notatu digna habet Cl. *Reland.* *Ægyptia*,

Digitized by Google

Ægyptia, quæ hodie *Copta*, multum ab Arabicâ cognatiſque abeſt; & fieri poteſt ut ab antiquiſſimis Æthiopibus proceſſerit, antequàm Arabes in Æthiopiam trajecere. Perſica, Armena, Georgiana, mixtura quadam ex Scythis & Aramæis, tanquam in confinio, natæ videntur; ſed ex Scythis antiquiſſimis, quos poſteri ipſorum hodiè non agnoſcerent. Parthos (qui & Perſæ) ex Scythia exules veniſſe veteres tradidere: non potui tantùm Germanici invenire in *Perſico* quantum *Elichmannus Salmaſio* dixit, & unico pene *God* excepto, cætera ferè Germanis aſſonantia, his cum Græcis Latiniſque communia ſunt. *Armenam* linguam cum Ægyptiaca communem habere fundum credebat Cl. *Acoluthus* vir apud Uratislavienſes doctus & in linguis Orientalibus egregiè verſatus, quarum non exigua jactura deceſſit: & coram mihi ſententiæ rationes aliquando Berolini explicuit, ſed quæ parum ſatisfaciebant. Equidem *Ægyptiorum* Coloniam apud *Colchos* à *Seſoſtre* relictam veteres prodidere, quam verè non dixerim. Sed in linguis illis ſejunctis & à cæterarum communione abſciſſis diligentius ſtudium ponendum eſſet, ibi enim origines altiùs latent.

Quicquid linguis ſeptentrionalibus commune eſt, *Japeticum* appellare poſſis, ſoleo & *Celto-Scythicum* vocare. Huc ergo refero quæ Germanis Græciſque communia ſunt, ſed ab antiquo, nam quæ ſerùs per commercia literaſque Gallorum & Romanorum, intervenientibus ſtudiis & ſacris, à Græcis ad Germanos pervenere, non ſunt hujus loci. Sed huc etiam refero quæ Germani cum Sarmatis, Fennis, Tartaris communia habent. Sanè ſi ratum eſt homines Europæ ex Oriente quaſi ſolis motum ſecutos veniſſe; apparet hominum examina inſtar ſacri veris, ex Scythia progreſſa, Tanai, Iſtroque transmiſſis, partim in Occidentem, id eſt in Illyricum, Pannoniam, Germaniamque penetraſſe, unde tandem in Italiam, Galliam, Hiſpaniam progreſſi ſunt poſteri; partim ad meridiem flexos in Thraciam, Macedoniam Græciamque vertiſſe: ubi ſerius ex Phœnicia & Ægypto Coloniæ ſupervenere; unde literæ *Græcorum* Phœniciis, ſacra etiam Ægyptiis debentur. Sed Scythæ fundamentum (ut ſic dicam) jecere gentis Græcorum, ut Celtæ Italorum.

Scythárum nomine hoc loco perantiquos Euxini maris accolas intelligimus, quocunque nomine venerint. Cimmerios illic *Homerus* collocavit, hos à Scythis *Herodotus* diſtinxit. *Tanais*, *Danaper*, *Danaſter*, *Danubius* (ne quid de Duna & Dwina dicam) ab una eademque gente quatuor magnis fluviis impoſitæ appellationes ſuperſunt, & à *Jornande* Gotho ita enunciantur ut origo appareat, quæ nunc contracta poſteriorum pronunciatione ex parte ſuppreſſa eſt. Nam *Dnieſter*, *Dnieper*, ægrè antiquam radicalem literam initio ſervant; *Nieſter*, *Nieper*, nec ſervant. Favet Scythicis rerum Celticarum originibus, quod quædam veterum Scytharum vocabula ab *Herodoto* nobis ſervata, ex Celtico, id eſt Latino Germanicove egregiè explicantur. Nam *Aeorpata*, Amazonum appel-

lationem, Viricidas ſignificare, prodidit *Herodotus*, *Aeor* virum, *pata* occidere: porro *battere*, *battuere* jam antiquis Romanis cædere erat, quod ſupereſt in linguis ex Latina corruptis; nec veſtigia in Germanico deſunt. *Patſchen* dicunt de his qui re quadam lata, ut planta pedis, manu, palmula aquam vel aliud ſemireſiſtens verberant, voce à ſono orta. *Vir*, *Baro*, *Herus*, *Herr*, *Er*, cognata eſſe apparet, quibus conſonat *Aeor*, ut ἀὼρ vel œnus vino.

Nec minus feliciter *Arimaſpi* explicantur, quam vocem monoculos ſignificaſſe idem *Herodotus* locuples autor teſtatur: nam *Arima* (inquit) Scythæ unum vocant, *Spu*, oculum; non quòd oculo altero gens careret, ſed quòd uno maximè in collimando uteretur. Porro *Arim* ſignificat unitatem, ſolitudinem, paucitatem, itaque *Eremus* Græcis ſolitudo, *Arm* Germanis pauper, *Arim* Scythis erat unum, *Erti* nunc eſt Georgianis. At *Spehen*, *ſpecere*, *ſpia*, *ſpier*, Germanis, Latinis, Italis, Gallis, uno verbo, Celtis, eſt videre. Inde jam manifeſtè *Arimaſpus*. Originaria ſignificatione *ſpehen* acrem quendam aſpectum ſignificat, tanquam penetrantis, nam *Sp* paſſim nobis eſt in actionibus penetrantibus & penetrandi inſtrumentis. *Herodotus* ſeſe cum principe Scytha converſatum memorat, & fortaſſe adiit Scytharum confinia, ut fuit ſanè magnus peregrinator: eoque plus (ut in pleriſque) fidei meretur. Cæterum quædam antiquorum Scythicorum nos fugere quis miretur in lingua genteque tam remota, nolim enim in *Xamolxis* Getæ nomine, aut Scythæ *Anacharſidis* vel ſimilium, conjecturas prodigere. Optarim autem Scythica vocabula colligi ab aliquo viro docto, ut Gallica, Phrygia, Ægyptiaca, aliaque hujuſmodi ex veterum ſcriptis quidam congeſſere. *Heſychius* jam Scythica nonnulla ſuppeditat.

Scythicorum nomine à Celtis ſejunctorum Turcico-Tartarica, Sarmatica & Fennica complector; etſi hæc tria multum inter ſe diſtent. *Turci* jam antiquis noſcebantur, Tartarorum nomen natum eſt, cum in orbis perniciem ductu *Chingis-Cani* erupere. Turcas ex regionibus veniſſe, quas qui nunc habitant *Usbecci* vocantur, id eſt ex Maſſagetis vel Scythis Perſiæ vicinis, ſatis apparet per ipſam gentis utriuſque linguam. Cognatam eſſe Turcicæ Tartaricam Præcopenſem conſtat, & *Calmuccos* etiam (quod recens nomen credo & a Ruſſis inditum) imò & *Mogallos* (quæ vetus appellatio) ſermone ad Turcas accedere proditur. Ipſi illi Orientaliores Tartari, Sinis imperantes, multa habent cognata Turcis vocabula, ex quibus nonnulla mihi R. P. *Bouvetus* ſuppeditavit. Ex Turcorum genere & *Comanos* fuiſſe, qui tunc cùm primùm Tartari ingruerent inter Tanaim & Danubium ſedes habebant, certis indiciis comperi. Eorum reliquiæ in Hungaria ſuperſunt (quo Tartarorum metu confugerant) ſed linguâ ni fallor amiſſâ.

Gens non minus latè per Aſiam Europamque fuſa, eſt fuitque dudum *Sarmatarum*. *Herodotus* Sauromatas ſtrictius accepit, ſed *Tacitus* Sarmatas

matas Germanis proximis opponit: itaque gentes eum intellexiſſe appareret, quæ poſtea *Slavonicæ* ſunt dictæ, ſub quibus comprehendimus Ruſſos, Polonos, Bohemos, Moravos, Bulgaros, Dalmatas, (hodiernos ſcilicet) Slabinoſque cæteros maris Hadriatici accolas, tum ad Balthicum gentes Vinidorum qui vulgo *Wendi*, (*Vandalis* Germanis non confundendi) *Jornandi Antes*, & quicunque ejus generis poſt migrationes Germanicarum gentium in loca vacua ſuccedentes quicquid à mari barbaro, (ſic vocabant veteres) ad Albim, imò ad Salam etiam Thuringicam protenditur, tenuêre. Scimus omnes Vinidos (quorum aliqui in Luneburgico tractu, plures in Luſatia Marchiaque ſuperſunt) facilè Moſcis nuper interpretum vicem præbuiſſe. Et *Sparwenfeldius* Suedus, vir inſignis & cùm aliis laudibus, tum Orientalium linguarum cognitione excellens, mihi affirmavit per literas, linguam quam in Moſcua didicerat intra Carnos & Carniolanos iter facienti valuiſſe. *Jornandes Winidas* populoſam gentem in iis regionibus ferè collocat, quæ nunc trans Viſtulam Polonica Republica continentur; dividitque in Antes & Slabinos. Sed ego *Antes* & *Wendos* vel Winidas ſola pronuntiatione differre arbitror, litera W (ut paſſim fit) nunc præpoſita nunc omiſſa.

Ad Sarmatas, vel ſi mavis, Slavos, etiam *Hunnos* refero & *Avares* quoque, qui tenuêre quæ nunc Hungariæ, olim Pannoniæ appellatione cenſebantur. Nam poſtquàm Gothi, Longobardi, Gepidæ, aliæque Germanorum gentes in Italiam, Rhætiam, Heduos, aliaque loca tranſgreſſæ, quicquid Danubio Alpibuſque interjacet, aut ſponte aut à novis advenis pulſæ, deſeruere; ſucceſſêre Slabini quorum pars ſerius ſuperveniens, Avares appellabantur, inde nunc quoque omnis ille tractus Slavonicis gentibus habitatur, niſi ubi *Hungari*, (alterius gens originis) interrupere. Sane in ipſa Hungaria, Raſcios, Servios, Croatos, & Ziculos & pleroſque Hungariæ ſuperioris incolas, Slavonici generis eſſe, ex lingua conſtat. Porrò, apud veteres, Hunni Avareſque in Pannonia, Magni *Caroli* ævo conjungebantur, & nunc Hunni Avarum, nunc Avares Hunnorum nomine continebantur; ſed jam ante campos ad Danaprum, neſcio quos *Hunnivar* dictos, *Jornandes* notavit: &, de gente *Hun* & *Var*, etiam *Simocatta* aliique ſcriptores Græci mentionem fecere.

Aliiſque etiam indiciis apparet Hunnorum gentem Slavonicam vel Sarmaticam fuiſſe; etſi quibuſdam Græcis Turcæ dicantur Hunnica gens, ſed latè ſumta voce, ut idem quod gentem Scythicam ſignificaret: Ita enim contigit ut barbari illi remotiores, à veteribus Scythæ, à mediis Hunni, item Turcæ, à recentioribus Tartari generali vocabulo appellarentur. Ex *Priſci* Rhetoris legatione conſtat, duas tantum Linguas in aula *Attilæ* uſitatas fuiſſe, Gothicam & Hunnicam. Gothicam eſſe Germanicam manifeſtum eſt, & vel Regum nomina demonſtrationi ſufficiunt. Hunnica autem, niſi ipſa fuiſſet Sarmatica, debuiſſet etiam tertia illic uſurpari, cùm *Attila* inter medias gentes Slavonicas tunc verſaretur. Adde

quòd

quòd *Coni* vel *Chuni* vocabulo equum Sarmatis ſignificari conſtat, ut proinde *Hunnorum* nomine nil niſi equites ſignificarentur: ſemperque in equis egiſſe, non minus quàm nunc Tartaros ſucceſſores, ex veterum narrationibus conſtat. *Jornandes* inferias *Attilæ* datas deſcribens, ingentis *Strawæ*, id eſt, ut ipſe explicat, commeſſationis meminit, porrò apparatum lautiorem, nunc quoque *Strawæ* nomine Sarmaticis gentibus venire, Cl. *Eccardus* profeſſor Helmſtadienſis indicavit; qui dudum hortatu meo antiquitatibus linguæ Germanicæ illuſtrandis non ſine ſucceſſu incumbit. Cazaros quoque ad Euxinum Pontum olim ſitos, Slavonici fuiſſe generis, indicia habeo.

Alia ingens Septentrionis natio *Finni* habendi ſunt, quos *Tacitus* Fennos nominat; miramque eorum feritatem, qualis hodiè Lapponum Sylveſtrium aut Samojedarum, deſcribit. Et ſanè Lapponum gentes originem cum Finnica communem habere dudum nos *Scheffferus* ex lingua docuit. Et jam *Jornandi Scridi Finni* dicuntur (à curſu, nam *ſchreiten* eſt paſſus facere) quos hodie Lappones appellamus. Sed & longius in orientem cognationes protendebant. Cujus manifeſtum indicium *Hungari* præbent cognatus Finnis populus, quos ab interiore Scythia, &, ut nunc loquimur, à regionibus Siberiæ propioribus venîſſe ex *Jornande* conſtat. Et *Rubruckius* a *Ludovico S.* ad Tartaros miſſus, didicit, antiquam Hungariam tunc dictam *Paſcatir*, quam credo eſſe quæ hodiè *Baskiriæ* nomine ſub Magni Ruſſorum Monarchæ ditione eſt. Porrò nulla lingua um Europæarum Hungariæ æquè ac Finnica accedit, quod *Comenius*, quantum ſciam, primus notavit. Sed & nuper *Fabricio* ex Suedia ad Perſas commerciorum cauſa miſſo, comes juvenis Finnus Cl. *Brennero* cognatus, cùm in itinere, non procul Volga jam ad Caſpium æquor accedente, pro jumentis ad vehicula conductis nummos incolis alicubi ſolveret, miratus eſt illis nomina numeralia pene eadem Finnicis eſſe; inde ad colloquium progreſſus, intellexit pleraque, intellectuſque eſt. Itaque arbitror, veterem magnam & continuam à Septentrionali Oceano ad Caſpium penè mare nationem, Slavis poſtea ſive Sarmatis intervenientibus, extrita parte, fuiſſe interruptam. Fortaſſe & *Eſtii* & *Libones* cæterique maris Baltici accolæ qui originis ſunt à Slavica diverſæ, ad Finnicam referri debent; quanquam id ægriùs agnoſcamus nos, qui harum linguarum ignari ſumus: Idem de *Samojedis* ſuſpicor. *Hungari* ex Scythiâ Aſiatica ſeriùs in Pannoniam venêre, partemque ejus planam implevêre, cùm Avares incolæ Magni *Caroli* armis fracti, tueri ſe non poſſent. Exinde Pannonia (detracta regione quam nunc ab Orientali ſita *Oeſtereich*, latinè Auſtriam dicimus & à *Carolo* Germaniæ vindicata) *Hungariæ* nomen ab occupatoribus noviſſimis accepit: incolæ ex Avaribus (id eſt Slavis) & Hungaris miſti manſere. Hungari ſcriptoribus Græcis inferioribus *Turcarum* nomine cenſebantur, Turcæ *Perſarum* Græci ipſi *Romanorum* appellatione cohoneſtabantur, ad quamdam veteris Imperii ſpeciem retinendam.

Hacte-

Hactenus de Scythis, nunc ad *Celtas* venio, qui quicquid penè Europæ à Scythis ad mediterraneum mare & Oceanum, & commune utrique Gaditanum fretum extenditur, implevêre. Olim Germanicarum Gentium partem uſque ad Tanaim habitâſſe conſtat, etſi à Winidis ſeu Antibus interrumperentur; & in media Taurica Cherſonneſo non ita pridem Germanorum reliquiæ ſuperfuêre, fortaſſis ne nunc quidem extinctæ. Poſtea Germani illic per migrationes fracti, omnia uſque ad Albim Slavis ceſſêre, recuperavere tamen pleraque tandem ad Balthicum mare & penè ad Viſtulam uſque. *Baſtarnæ* quoque trans Carpathios montes Germanis olim accenſebantur, ſed *Dacos* & *Getas* ad Sarmatas referre malim. *Illyrii* veteres & *Paones*, credo, olim Celtæ, id eſt Germani vel Semi-Germani erant. Slavonica verò lingua nullo jure *Illyrica* appellatur, etſi hodiè Slavi & Illyricum & omnia loca vicina teneant, nam ſeriùs immigrarunt. Gentes Alpinas *Livius* ſemi-Germanicas vocat. Et omnes illos Celtas ad Germanos refero quicunque à Rheno in Septentrionem atque Orientem extendebantur: Sed qui trans Rhenum nobis Celtæ, ad Gallos pertinebant, tametſi Belgarum origo magis Germanica cenſebatur. Antiquiora tamen ſpectanti generatim Gallos à Germanis, Germanos à Scythis ortos credibile eſt, ut jam diximus; etſi paulatim longo temporum migrationumque intervallo linguæ mutatæ ſint.

Veteris Gallicæ reliquiæ, *Pontano*, *Cambdeno* aliiſque collectæ nunquam magis quàm in *Aremorica* & *Wallica* ſpectantur. Hujus dictionariolum *Boxhornius* originibus Gallicis inſeruit, quod conſideranti mihi manifeſtè apparuit multum Wallicam ex Germanico traxiſſe. Si pleraque hodie parum agnoſcimus, mutationes crebras temporum, locorum, hominum migrantium ſpectare oportet. Inſulæ ex continenti vicino habitatores accepere: Veteres Britanni ex Gallis & Germanis orti ſunt: *Cymrai*, id eſt, Cambri vel Walli, ex *Cimoris* credo, ut Angli ex Saxonibus; ſucceſſores Britannorum, ex ſucceſſoribus Cimbrorum. Et quia minus mutantur linguæ in locis parum acceſſis, crediderim Cymræos veteribus Cimbris lingua propiores quàm hodiernis Germanis, *Hibernos* putem ex ipſa Britannia ortos, itaque lingua Hibernica refert nobis antiquiores Britannos, id eſt adhuc antiquiores Germanos Galloſque; proinde ex Hibernis antiquiſſimi Celtæ in lucem revocabuntur. In quo labore virum doctum apud Anglos laudabiliter verſatum intelligo.

Ex Celtis, id eſt Germanis Galliſque, Alpes Pyrenæoſque tranſgreſſis, Italiam & Hiſpaniam habitatores accepiſſe credibile eſt, longè ante illos qui memorantur *Livio* Gallorum poſteriorum adventus. Aborigines Italiæ intelligo, id eſt incolas Græcis, Lydis, Phrygibus, Phœnicibus aliisque mari advectis antiquiores. Nam antiquiſſimæ migrationes omnes terra factæ ſunt, ſeriùs & ægrè magna multitudo navigavit: quanquam *Tacito* contrarium exciderit. Græcorum deinde multæ in Italia maritimæ coloniæ conditæ ſunt: inde Lingua Latina ex Celticâ Græcaque miſtis

nata. Poſtea pars Italiæ citerior Galliæ Ciſalpinæ, ulterior magnæ Græciæ nomen tulit; in medio Latini & Tuſci cum vicinis plurimum utrinque trahebant. Hetruſcam antiquam non intelligimus, ac quæ ipſius in lapidibus nonnullis ſuperſunt, ne legimus quidem.

Hiſpanorum quoque antiquitates longinquæ minùs exploratæ ſunt. *Reineſius* in libello de Deo Endewellico aliquam lucem attulit. Veteris literaturæ Hiſpanicæ pauca rudera in nummis ſuperſunt quos collegit *Laſtanoſa* vir doctus libello lingua Hiſpanicâ edito: at Cl. *Baryus* à conſulatu apud Hiſpalim ad Bavaros nuper reverſus in opere quod editioni parat multum auxit illuſtravitque. Fruſtra hæ literæ ad Runas referuntur, nam ipſæ Runæ nil tantæ antiquitatis oſtendunt, & nummos illos cuſos appareret florente Romana Republica multo ante Gothorum adventum. De veterum incolarum origine non minùs impedita diſquiſitio eſt. Sanè pars magna Hiſpanorum *Celtiberi*, ex Celtis veneranr, ſeriùs opinor: nam antiquitus quidem credibile eſt ipſos Iberos ex Celtis natos. Fortaſſe tamen *Vaſcones* & cognatos illis populos excipere oportet: nam Vaſconum lingua ab omnibus Europæis mirè differt, nec dum aliqua alia reperta eſt, cui appropinquaret. An dicemus, Hiſpaniam ante Celtarum adventum ab Afrorum propagine habitatam, atque inde Vaſcones ſuperfuiſſe? An potius vetus aliqua gens ex anteriore migratione, (priuſquàm illi adventarunt qui Celtas id eſt Germanos Galloſque ſevêre) non Hiſpaniam tantùm ſed & Aquitaniam & omnem viciniam tenuit, nam fluminum communia vocabula favent. Tres Gallias, Aquitanicam, Celticam, Belgicam *Cæſar* diſtinxit: Ubi *Celtarum* nomen arctiſſimè ſumi apparet: & crediderim propriè Galliæ Celticæ habitatoribus conveniſſe, deinde tam latè acceptum à Græcis, hinc Maſſiliam, illinc Iſtrum adeuntibus, notata quadam vitæ linguæque ſimilitudine, ut omnem occidentem veteribus ignotum complecteretur. Nam olim Græci quos ignorabant populos, occidentales, Celtarum; ſeptentrionales, Scytharum; Orientales, Indorum; Meridionales, Æthiopum appellatione deſignabant; ulteriora ex propioribus denominantes. *Herodotus* certè ſatis oſtendit (quanquam & ipſe variet) peculiarem, neque adeo magnam nationem Scythas fuiſſe, quæ gentibus ejuſdem plagæ nomen fecit, quod nondum *Homeri* ævo Græcis innotuerat, non magis quàm Celtarum.

Germania ut Galliæ Italiæque antiquiſſimos habitatores, ita *Scandinaviæ* paulo poſteriores dedit: neque enim dubium arbitror, Germanicas gentes ex Cimbrica Cherſonneſo & Balthico litore primum in Inſulas quas nunc Danicas dicimus, deinde in Scandiam ipſam tranſgreſſas, & indigenis Finno-Lapponibus in remotiora pulſis, litoralia mitioreſque tractus inſediſſe. Sanè lingua Danorum, Suedorum, Norwegorum, manifeſtè ad Germanicam eſt referenda, non minùs quàm hodiè Italorum, Gallorum, Hiſpanorum Latini generis cenſeri debet: quanquam hi populi non ob originem ſed imperium linguam Romanam receperint, quod ſecus

cus eſt in Septentrionalium Germaniſmo. Nec mirum *Septentrionales Germanos*, citerioreſque, invicem non intelligi, cùm nec Auſtriæ aut Bavariæ ruſticus Weſtphalo aut Belgæ de rure homini facilè colloqui poſſit; *Otfridum* Carolini ævi ſcriptorem Germanum (ne quid de *Ulphila* longè antiquiore dicam) nemo noſtrûm hodiè ſine interprete intelligeret. Ita temporum æquè ac locorum intervallis primùm Dialecti, tandem & linguæ mutantur. Ubi verò ſermone in literas redacto, ut meditandi ſpatium detur, manifeſtæ in pleriſque communes origines effulgent; *dialecto* magis quàm *lingua* variatur. Cæterum de *lingua Germanica antiqua* inprimis præclarè meritus eſt *Franciſcus Junius* (cognominis Theologi filius) cujus lucubrationum pars Oxonii ſervatur. Hujus exemplo excitatus *Georgius Hickeſius* Anglicanæ Eccleſiæ Theologus, vir inſignis, Theſaurum Linguarum Septentrionalium (Teutonicarum ſcilicet) nobis dedit magno & utiliſſimo labore. Apud nos nuper viri egregii *Johannes Schilterus* J. C. primum Ienenſis, dein Argentoratenſis, & (meo hortatu) *Gerardus Meierus* Theologus Bremenſis vetera linguæ Germanicæ illuſtrare aggreſſi ſunt; ambo relictis præclaris (quanquam fortaſſe affectis tantùm) operibus morte intercepti.

Scio doctos quoſdam viros apud *Septentrionales Germanos*, nunc neſcio quam ſibi fingere diverſam à Germanis Gothorum gentem, nunc ipſam Germaniam pro Gothorum ſuorum Colonia habere: ſed Gothos negare Germanis, teſtimoniiſque veterum pariter ac rerum evidentiæ obſtrepere nemo poteſt, niſi Prætorium orbis Gothici autorem obſtinatione æquare velit, qui Gothos ad Sarmatas transferebat. Germanos autem ex Scandinavia proceſſiſſe faciliùs credi poſſet, ſi interiora ejus versùs glacialem Oceanum Germanicæ gentes habitarent. Sed omnia illic citra ultraque Boddicum Sinum *Finnolappones* tenent, natio à Suedis Norwagiſque tota lingua diſtans: itaque Finnos tanquam veros Aborigines magnæ illius peninſulæ concipio, quam ab exigua ſed proxima nobis parte Scaniâ (ut hodieque appellatur) vel Scandiâ vel Scandaviâ, veteres *Scandinaviam* appellavêre: nullæque illic radices ſunt Germaniſmi, qui tantùm oras radit. Itaque Germanos inde accerſens ſimilis illi foret, qui omnes Arabas, Syroſque pro poſteris *Abaſſinorum* haberet; aut qui multis abhinc ſeculis Londinum Angliæ miſſam à Boſtonia Americæ Coloniam crediturus eſſet. Suediam, *Suedilant*, hodieque apud Suedos ſignificare novalem terram, exuſtis ſylvis in agrum verſam, conſtat. Fuit enim *Sueden* urere etiam apud antiquos Germanos, unde reſtat *Siden* coquere, & *Sud* de meridionali ſeu calida plaga. Sed illa regio longè ante Romanos ſcriptores novalis facta eſt, cùm Svionum id eſt Suedonum florentiſſimam gentem jam *Tacitus* agnoſcat ipſe Suevos eouſque extendit, id eſt partem Germanorum.

Non tamen nego colonias ex ſeptentrionali in *citeriorem Germaniam*, ſed ſeriùs remiſſas. Sanè à Balthico mari Cimbri, Saxones, Heruli,

Vandali aliæque nationes venêre, & Herulorum principum majores in Scandinavia egiſſe nos *Procopius* docet. *Jornandes* inde & *Gothos* arceſſit: contrà *Cluverius*, Geographiæ veteris princeps autor, Gothorum ſedes ad Viſtulam locat, non ſpernendis rationibus: in eum *Georgius Sternhelmius* Suedus vir doctus (qui cum *Benedicto Skyttio* regni Senatore, ſed infelice, multum in Harmonia linguarum elaboraverat) libello edito acrius æquo inſurrexit, ſed argumentis hic non perinde valet. Ego *Jornandis* autoritatem non planè contemno, etſi non ſemper tutam fatear, præſertim in remotis, nec ſatis cohærentia narrare deprehendam. Secutus eſt *Ablabium*, & Senatoris, id eſt *Caſſiodori* libros de Gothicis deperditos. *Jornandes* ergo Gothus, ex Scandinavia Gothos arceſſit, etſi eos Getis, longè antiquioribus Ponti Euxini accolis, confundat. Ego non tantùm apud Suedos orientalem occidentalemque Gothiam, ſed & in Cimbrica Cherſonneſo *Gutiam* (ſic enim ferè Jutiam pronuntiamus) & ad Viſtulam olim notos Romanis Gothones, & Gothlandiam Inſulam conſidero. Itaque potuit Gothonum vel Guttonum appellatio communis aliquando utriuſque litoris Balthici habitatoribus fuiſſe, indeque datum huic ipſi mari nomen *Codani* (id eſt Gothici) Sinus. Et quamvis Germani tranſmarini primi ſeu vetuſtiſſimi à noſtris haud dubiè orti ſint, non tamen caret verisimilitudine poſtea juvenum acerrimorum globum ex Scandinavia rurſus egreſſum in ciſmarinis regnum Gothorum condidiſſe; & originem principum procerumque cum origine gentis confuſam à poſteris & Hiſtoricis, quaſi tota gens ex iiſdem locis exiiſſet, aut Scandinavia gentium vagina eſſet, quæ nunquam credo valde populoſa fuit. Favet ipſe *Jornandes* (c. 14.) qui nobis Gothos cum rege *Berig* tribus tantùm navibus advehit. Sanè in Gothorum, ut in Cimbrorum, Francorum, Saxonumque migrationibus, credendum eſt venientes à remotis locis, inſtar pilæ nivis creviſſe, obviis vi vel ſponte in expeditionem nomenque accedentibus. A Viſtula verſus Pontum Euxinum paulatim progreſſos Gothos *Cluverius* cum *Jornande* convenit. Sed illic quoque Baſtarnas alioſque dudum Germanos inveniſſe apparet.

Aſianorum migrationem in Suediam (memoratam gentis mythologis ſed ubique recentioribus) in tanta diſtantia, & commeandi nunc quoque difficultate, fabuloſam credo, fictamque tunc, ubi literis admiſſis didicêre Scandinavii quid *Aſia* eſſet. *Aſas* autem vel Heroës, cum *Odino* vel *Wodane* advectos, à Saxonibus in Cimbria adhuc agitantibus veniſſe apparet, apud quos ipſe *Wodan* regnavit, quantum ex vetuſtis Anglorum gentis annalibus (longè ſeptentrionalium ſcripta tranſcendentibus) intelligi poteſt. Itaque nunc Scandinavii ab his, nunc hi ab illis regnatores accepêre. *Wodanem* tanquam peregrinum corrupere Septentrionales in *Odinum*: paſſim enim literâ *W*, mutilant Germanicas voces. *Danos* (vicinis *Dænos*) *Jornandes* à *Cogenis* derivat, quos etſi in Scanzia collocet, poſſis extremos Jutas interpretari ad promontorium *Scagen*.

Inde

Inde egreſſos à *Dena fluvio*, nomen *Denorum* inveniſſe apparet, regionem verò nomen *Denemarcæ*. Nam is fluvius limitem ſeu marcam Cimbricæ Cherſoneſi facit, hodie Eidora dictus ab *Heggidora*, ut veteres memorant, ſeu munimenti porta, ſed idem apud Ravennatem Anonymum lib. 4. c. 17. dictus *Dina*; cujus vetus nomen Deninga vel *Toninga* ſervat, quæ *Donia* credo urbs apud *Ethelwerdum*. *Herulos* à Danis pulſos *Jornandes* tradit cum Saxonibus piraticam exercuiſſe in Romanos mari & ſæpe ſub eorum nomine latuiſſe credibile eſt. Virtutem Anonymus ille extollit, nec *Jornandes* Gothus, & ipſe Ravennas, laudes eorum parcè memorat.

De migrationibus Germanicarum gentium in Romani Imperii provincias non eſt cur multis agam, quando ex hiſtoria notæ ſunt, nec linguarum fulcro egent. Sunt tamen quæ hic notare operæ pretium erit, *Suevos* illos paucos qui nomen antiquum retinuerunt *Allemannis* miſtos conſtat. *Bojos* ex Bojohemo & Marcomannis in *Bojoariam* veniſſe putem, cùm Vinidarum gentes invaleſcerent: de Francis & Saxonibus paulo fuſiùs agere oportet. *Francos* inde à Troja, mox à Ponte Euxino quidam non recentes evocant, urbemque neſcio quam Sicambriam ipſis aſcribunt; tanquam in Pannonia aliquando habitaſſent; is enim mos per populos, ubi primum literas accipiunt, ut ſemiliterati ſcriptores mira comminiſcantur, partim aliorum populorum antiquas narrationes vel figmenta æmulantes, partim plebejas quaſdam traditiones ad ea referentes quæ in libris legunt. Unde Francis, Britannis, Scotis, Scandinaviis nata ſunt monſtra narratiuncularum, quas Germanico vocabulo *Sagas* (id eſt ſermones vel fabulas) vocant ſeptentrionales. Eruditi quidam Galli arripientes Gallorum coloniam antiquam in Germaniam deductam, hinc jam Francos derivant, ut Gallos Galliæ reddant, quod optantis eſt, non comprobata docentis, quis enim ipſis dixit Francos ex illa parte Germaniæ ortos, quam veteres Galli inſediſſe ſcribuntur. Ego Francorum initia à Balthico litore repetenda comperi, non minus quàm Vandalorum, Gothorum & Saxonum; non quòd inde venerint ut magna gens, ſed quia quidam globus virorum fortium erumpens, progreſſu in magnam gentem crevit. Nam *Marcomannici belli* occaſione cùm ſub *Marco Antonino* Italia ipſa periclitaretur, barbariem in ſpem prædæ erectam & intimis ſedibus excitam apparet: atque ex eo migrandi rabies duravit, donec exhauſtæ Germanorum ulteriores regiones Vinidis ceſſere, & citeriores in majora regna coaleſcentes pacatius cultæ ſunt. Porrò Franci mox in *Hermunduris* & *Cheruſcis* ſedes poſuêre inde ad Rhenum in Sigambrorum regionem vicinaſque progreſſi ſunt; totique jam à Mœno ad Batavos tractui nomen faciebant & mare Gallicum infeſtum habebant, tandemque ipſi in Galliam tranſiêre: cùm ecce *Saxonum* poſterior & adhuc dum acrior recentiore barbarie gens, à tergo ſupervenit.

Saxones in Cimbricæ Cherſonneſi faucibus primus *Ptolomæus* agnovit, nec procul inde *Anglos Tacitus* collocat, cujus tempore aut nondum natum erat Saxonum nomen aut finibus perexiguis continebatur. Cum deinde creviſſent, & *Chaucos Friſioſque* aſciviſſent, piratica celebres facti ſunt, exſcenſioneſque in Gallia & Britannia prædæ agendæ cauſa faciebant. Inde *Litus* utrumque *Saxonicum* in Notitia Imperii dictum eſt. Circa ea tempora Francos ab ipſis Batavia pulſos conſtat, eaque facta ſunt antequam Britannia Saxonibus ſedes præbuit. Iidem diſcedentibus Francis in Weſtphalia ſucceſſere. *Werinorum* deinde regna & *Thuringorum* à Francis partim, & partim à Saxonibus everſa ſunt, quæ vetuſtioribus nominibus *Cheruſcorum* & *Hermunduroruм* diceres. Ager Werinorum (ſi Friſiam fortaſſe excipias) Saxonibus ceſſit, iidem Thuringiæ partem obtinuere, inter Albim ſcilicet & Harzicos montes quæ diu *Northuringia* in diplomatibus dicta eſt. Pars quoque Saxonum cum vicinis olim Longobardis in Italiam migravit. Poſtremo ſub Imperatoribus Germanicis *Vinidorum* pleræque regiones inter Albim Wartamque & ultrà, partim coloniis Germanorum partim tranſgreſſis in mores noſtros linguamque incolis, in Saxonum nomen conceſſere, & potiſſimam partem ſuperioris Saxonum Circuli faciunt.

DISSERTATIO

DE ORIGINE GERMANORUM,

Seu Brevis Diſquiſitio, utros incolarum Germaniæ citerioris, aut Scandicæ ex alteris initio profectos veriſimiliùs ſit judicandum.

Ex variis Felleri monumentis ineditis depromta.

1. CUm ex ſermonibus Domini *Benzelii*, juvenis Suedi doctiſſimi ornatiſſimique, ab illuſtri *Sparvenfeldio* mihi commendati, intellexiſſem, multis eruditis ejus gentis perſuaſum eſſe, Germanos noſtros ex illis ultramarinis originem ducere, qui Scandicam peninſulam ab antiquis temporibus habitarunt, mihi verò contrarium veriſimilius videretur, putavi non malè me facturum, ſi quæ nunc quidem ſubitanea meditatione in mentem venerunt, in chartam conjicerem, ut veritas magis magiſque collatis argumentis erueretur. Nihil enim adhuc decretorium apud me conſtitutum habetur, nec demonſtrationibus ſed conjecturis hactenus agere poſſum. Et ipſas conjecturas nondum ſatis ordinavi ſuiſque momentis

mentis expendi, ut pronuntiare ſententiam auſim. Interim quò nunc inclinet animus, exponam.

2. Equidem egregiam Suedorum operam in eruendis antiquitatibus mirificè laudo, & agnoſco interdum falſas etiam vel incertas opiniones utiles eſſe hominibus ad præclara excitandis, uti ſanè ſpes agricolam alit, & ambitio fortitudinem ſtimulat, & *tria magna inania*, Lapidis philoſophici, motus perpetui, & quadraturæ circuli, tres inſignes ſcientias mirificè locupletarunt, ut adeo *Hugenii* conſilium propemodum probem, qui impoſſibilitatem Tetragoniſmi circularis, etiamſi haberi poſſet, malebat non demonſtrari. Et ne ſi poſſem quidem (quod non poſſum) omnia evertere, quæ ingenioſiſſimè commentus eſt, aut eruditè in honorem gentis ſuæ propugnavit latè patentis Vir doctrinæ magnique acuminis *Olaus Rudbeckius*, eam operam ſumendam putarem, ne ſcilicet ille laudatiſſimus popularium ejus ardor antiqua inveſtigandi monumenta reſtingueretur. Fas tamen puto & noſtros in partem venire laudis, & pari diligentia antiquitates ſuas vindicare. Mihi autem ultra partium ſtudia affectuſque attollenti animum, & patriam communem humani generis intuenti, contendere argumenta argumentis placet, æquali lucro, utra pars vicerit, dum veritatis cognitio augeatur. Atque hoc nunc quidem juſta cura agere non poſſum, ſed feſtinatas tantùm cogitationes chartis inſcribo, ut occaſionem præbeam altiori diſquiſitioni.

3. Ante omnia autem aſſumo ex Scripturæ Sacræ autoritate homines ex Aſia in Europam veniſſe. Nam ſi quis contemtis Sacris Scriptoribus gentes paſſim autochronas ſtatueret, is conſiderans quod res eſt magnam Orbis noſtri partem aquis merſam fuiſſe, facilè in eam poſſet venire ſententiam, cùm primi eminuerint altiſſimi montes, homines priùs in rupibus, quales ſunt Suedi & Norwagi, habitaſſe, ac deinde paulatim in planities noſtras, ubi incœpere Siccari, deſcendiſſe. Sed ſi Suedorum & Norwagorum majores ad habitandas Septentrionis rupes ex Oriente advenere, jam quæſtio tantùm eſt, utrum per Finnoniam & Lapponiam, an per Germaniam noſtram veniſſe, veriſimilius judicentur.

4. Sed & hoc monendum puto, cùm de Suedorum Norwagorumque majoribus quæro, non ideo à me intelligi primos Scandinaviæ habitatores, quin hos ab illis potiùs diſtinguendos videri. Fortaſſe enim ante Germanicarum Coloniarum adventum tractus illos tranſmarinos genuini magis Septentrionis filii Finnonico-Lapponicæ originis utcunque habitavere, donec, ut fieri ſolet, Germanicæ gentes jam cultiores nonnihil, ut inter barbaros & ex manſuetiore tractu venientes, mari & Germaniæ viciniora obtinuere, prioribus habitatoribus ad interiora montium ſylvarumque latibula compulſis. Præſentium ergo incolarum majores ab antiquiſſimis habitatoribus diſtinguendos puto, quamdiu nondum definita eſt controverſia, nec ſatis demonſtratum, nullos alterius generis homines, ante Germanici generis colonos illic habitaſſe.

5. Et

5. Et cùm *Germanos*, *Teutones*, *Suevos*, *Gothos*, *Vandalos*, *Suedones* vel *Suiones*, *Saxones*, *Francos*, *Alemannos*, *Anglos*, *Danos*, *Normannos* &c. ejuſdem generis eſſe populos ipſius indicio linguæ conſtet, quo nullum eſt certius cognationis gentium argumentum, rectè hos omnes eſſe dicimus Germanicæ vel Teutonicæ originis populos, antiquiſſimorum autorum ſecuti exemplum, *Taciti* inprimis, qui quicquid hujus eſt linguæ Germanicum vocat. Et quia *Germani ab Herminonibus autoreque horum Irmino dicti videntur* (ut alias à me oſtenſum eſt (*a*)) & hic ipſe à *Teutone* vel *Tuiſtone* jam ipſius *Taciti* ætate creditus eſt deſcendiſſe, putem non minori jure Teutonici nominis quàm Germanici appellationem latiſſimè porrigi. De *Gothico* verò nomine idem dicere non auſim, quaſi eo cunctæ Germanicæ gentes rectè comprehendantur, quamdiu ſcilicet demonſtratum non eſt cæteros Germanos ex ipſis fluxiſſe. Nam quod quidam Scytharum & Gothorum idem eſſe vocabulum arbitrantur, etſi abſurdi damnare nolim, tamen nec veriſimile agnoſcere poſſum. Interea de nominibus litigare cum quoquam nolim, quoties de re convenitur, & hæc tantùm affero, ne temerè videar Suedones ſub Germanico vel Teutonico nomine comprehendiſſe.

6. Sed nunc ad indicia venio, unde conjecturæ ſumi poſſe videntur *de ordine migrationis*, utrum ſcilicet Germanicæ gentes priùs ex noſtra Germania in Scandiam venerint an contra. Et Germaniam noſtram priùs quàm Scandiam à Germanis gentibus habitatam aliquis fortaſſe non injuria malit, primum quod credibilius eſt, aliis ſepoſitis, minorem partem eſſe ramum majoris, quàm radicem. Unica enim radix eſt, multi rami, & in dubio tutius eſt alicui rei aſcribere quod frequentius eſt, multiſque commune, quàm quod rarius eſt propriumque unici. Itaque minorem partem à majore fluxiſſe juſta præſumtione credetur, niſi illa radicalis eſſe & ſeminalis peculiaribus argumentis oſtendatur. Majorem autem multo partem eſſe Germanorum citeriorem, quàm Scandicam, puto negari non poſſe. Præſertim cùm olim *Jornande* teſte, & aliis quoque antiquis autoribus Germania Ciſmarina à Tanai ad Rhenum fuerit porrecta, & ad Meotidem paludem Pontumque Euxinum Germanicæ gentes diu habitarint.

7. Deinde ſi Scandia velut centrum eſſet & fons Germanici nominis, cùm ex centro in omne latus prodeant lineæ, conſentaneum foret, ut Germanicæ gentes non huc tantùm effunderentur, in Daniam ſcilicet & cisbalthicas regiones, ſed etiam nonnihil expanderent ſeſe in aliud latus, verſus Fennones ſcilicet & Ruſſos. Cùm tamen contrarium experiamur, & omnis lingua natioque Germanica cum ipſis Suedis & Norwagis abrumpatur.

8. Unde ex ſitu locorum veriſimilior apparet hypotheſis conjicientium, ut

(*a*) Vid. T. I. p. 233. T. II. p. 145. & Epiſt. ſeq. ad *Nicaſium*.

ut in magna inundatione eo uſque porriguntur aquæ, donec objectu collium vel aggerum coerceantur, ita Germanicas gentes poſt magnam Europæ partem impletam in ultimum uſque Septentrionem exundantes, tandem objectu Botnici Sinus & inacceſſarum rupium ſubſtitiſſe, & *Sueſdos non tam tempore primos quàm ſitu extremos Germanorum fuiſſe.*

9. Et hoc argumentum ab abrupto illic Germanico ſermone vel ideo in contrariam hypothetin valere debet, quod ejus defenſores Germanos omnes ex Fennonia per Sueciam veniſſe volunt. Unde mirum meritò videri debet, nullum in toto illo trans Botnicum tractu apud Finnones vicinoſque ſupereſſe Germanicæ linguæ nationiſve veſtigium, & velut reliquias tantæ migrationis. Equidem poſſibile eſſe fateor, ut quicquid illud eſt fuerit deletum, ſed non omne quod poſſibile veriſimiliter aſſumitur ſine probatione, & ſemper id potiùs credendum eſt, quod maximè fieri ſolet, & quàm minimum ſupponit mutationis.

10. Contra *Germanos*, cùm ab Oriente utique huc venerint, ex *Scythia potiùs & Ponti Euxini vicinia* ad Danubium Rhenumque *veniſſe*, vel ideo credibilius eſt, quod certis teſtimoniis veterum conſtat in illis regionibus olim habitaſſe Germanicas gentes. Quin etſi deeſſet antiquorum autoritas, tamen res ipſa quod dicimus comprobaret. Nam ante pauca adhuc cùm Genuenſes in Taurica dominarentur, illic habitabant Germani, & vix ante ſeculum quoque Germanicæ reliquiæ in eadem religione ſuperſtites memorantur.

11. Et licèt hodie fortaſſe nulla ampliùs ad Pontum Euxinum ſuperſint veſtigia Germanorum, non magis quàm in Finnonia, & rerum converſionibus nihil novum ſit ſtirpitus tandem evelli veteres colonos, multum tamen intereſt inter ea, quæ comprobantur non minùs quàm dicuntur, & ea quæ dicuntur tantùm; itemque inter migrationes ſedesque, quarum diu adhuc ſuperfuere indicia, & eas quarum nec extat memoria, nec reliquiæ aliquando extitiſſe memorantur.

12. Si ponamus etiam Germanos per Finnoniam & Sueciam in noſtras has oras tandem veniſſe, fatendum tamen utique erit ad Tanain & Mæotidem vicinaque loca ſedere debuiſſe, antequàm ad Fennones & Balthicum mare progrederentur, quoniam ſcilicet ex Oriente venêre, & ab Euphrate & Tigride fuere digreſſi. Sive enim Caſpium mare ab ortu obierint, ſive quod propius eſt per anguſtias inter utrumque mare, Caſpium ſcilicet & Euxinum, viam invenerint, credibilius eſt mitiora & mari utrique viciniora loca tenuiſſe, quàm remotiſſimis Scythiæ deſertis immerſos, per Samojedas & glacialis Oceani ripas, calcatis paludibus difficillimo itinere circumviſſe. Niſi quis ſcilicet quidvis ſine argumento & veri ſpecie aſſerere ſibi permiſſum putet.

13. Quod ſi ergo Germanicæ gentes priùs ad Tanaim & Euxinum Pontum, vicinaque in Scythia habitavere, quàm in Finnonia & Suecia, cuivis jam æſtimandum relinquo, utrum factu credituque ſit facilius,

» à Tanai ad Danubium Albimque & Rhenum rectiſſimo apertiſſimoque, » quin etiam commodiſſimo uſitatiſſimoque itinere ventum fuiſſe, quàm » omne genus Germanicum mirificis anfractibus per Sarmatiam ad Fin- » nones, atque inde vel per Lapponas, vel per Botnicum mare ad Sue- » cos, atque hinc demum in Germaniam noſtram fuiſſe traductum. Ut » neſciam an quicquam ab omni ſpecie veri alienius fingi poſſit. «

14. Sanè hodieque, ubi multa faciliora ſunt quàm olim itinera, ex centum exteris, qui de citerioribus oris in Scandinaviam venêre, (exceptis quos naves per Oceanum adducunt) vix unum putem acceſſiſſe eo itinere, quo totum Germanicum genus veniſſe volunt ſententiæ adverſæ Patroni. Cùm pleroſque omnes id potius iter facere conſtet, quod nos veriſimilius judicamus.

15. Ac ſpero quidem ſaltem ipſos Suedos circumitioni Sinus Botnici in deſignandis majorum ſuorum noſtrorumque hoſpitiis renunciaturos. Quantæ certè ſint in remotis illis gentibus viarum difficultates, vel doctiſſimi *Bilbergii* nuperum ad extrema regni Suediæ, juſſu ſapientiſſimi Regis, obſervationum cœleſtium cauſa ſuſceptum iter oſtendit.

16. Rejecto ergo Germanorum per Lappones tranſitu ſupereſt, ut Germani ex Scythia & Euxino Ponto venientes, per Finnoniam tranſmiſſo Botnico ſinu tranſierint in Suediam, atque inde per Daniam & Balthicum mare ad Albim Viadrumque, ac porrò demum ad Danubium ſint profecti. Quod ſanè iter maximum ac difficillimum mirificè ab omni veri ſpecie alienum eſſe nemo non videt, cùm à Tanai ad Danubium nullo negotio, ſolo Boryſthene & Tyra tranſmiſſis perveniri poſſit.

17. Fateor tamen iter hoc utcunque anfractuoſum facilè concocturos, qui *Ulyſſis hodœporicon* ferre poſſint, *quod nobis doctiſſimus Rudbeckius dedit, magno quidem doctrinæ apparatu, & acumine non minore, ſed nulla veri ſpecie*; ut injuriam me facere putarem celeberrimo Viro, ſi quid in eo ultra elegantem ingenii luſum ſibi propoſuiſſe crederem.

18. Utique ſine exemplo eſt à Tanai ad Danubium tendi per Ruſſiam, Finnoniam, Sueciam, Daniam & Germaniam denique Daniæ ac Danubio interjectum, tanto terrarum ſpatio, tot peragratis gentibus, itinere toties flexo, tot fluminibus maribuſque tranſmiſſis. Sed à Tanai ad Danubium iri per Boryſthenem & Tyram, ita planum uſitatumque eſt, ut nihil poſſit magis. Et exempla habemus plerarumque gentium Scythicarum quæ in Romanum Imperium irruperunt; ut olim Gothi, Alani & Hunni, poſtea Slabini, Bulgari, Avares, Hungari, Cumani, Tartari. Nec facilè iter reperietur magis gentium migrationibus tritum.

19. Immò à Tanai ad Danubium unam ſolidam continuamque olim habitaſſe gentem magno inter alia indicio docere videntur cognata non horum tantùm duorum, ſed etiam interjectorum magnorum fluviorum nomina, ab una eademque utique gente impoſita. Quis enim non videt conſonare *Tanaim*, *Danaprum*, *Danaſtrum*, *Danubium*? ut *Jornandi* Gotho appel-

appellantur. *Danaper* autem eſt qui vulgo *Dnieper*, veteribus Boryſthenes, & Danaſter eſt qui olim Tyras, hodie *Dnieſter*, cui credibile eſt etiam *Iſtri* nomen aſſonare etſi Danubio tributum. Sæpe enim gentes eædem diverſis fluminibus eadem nomina impoſuere, & ſic plures apud Cheruſcos *Bodæ*, apud Hermunduros *Mildæ*, apud Ripuarios *Moſæ*, apud Pannonios Dacoſve *Muræ*, *Moravæ* aut Mariſii. Nec dubium eſt propria vocabula aliquando appellativa fuiſſe, ut nunc quoque *Elba*, *Scandis*, appellativa fluvii vox eſt, propria nobis. Idem de *Dona* dicendum, quatuor magnis fluviis ab habitatoribus attributa, quos vel inde porrectos fuiſſe apparet à Tanai ad Sueviam, in qua hodie *Doneſching* (fortè Doneſpring) ad Danubii fontes villa.

20. Certè *Dacos* & *Getas* (quos fuiſſe eoſdem vel cognatos cum Gothis veriſimile arbitror) ut ſitu vicinos, ita cognatione junctos fuiſſe referunt. *Baſtarnas* quoque Germanicam nationem vel Gothicam fuiſſe à veteribus indicatur. *Rhætos* Alpinaſque gentes Semigermanas *Livius* dixit. *Gothos* ab Hunnis pulſos ſub *Valente* Auguſto in Romanum Imperium irrumpentes à Ponto Euxino veniſſe diſertè habetur. Continuabantur ergo Germaniæ nationes à Tanai ad Rhenum etiam *Jornandis* Gothi teſtimonio.

21. Ex his jam ſatis intelligitur (quando parata erat continuataque connexio Danubianorum Germanorum cum antiquiſſimis gentis ſedibus in Scythia, quæ ipſas Scandicas tempore anteibant) fruſtra per Fennos & Svionas circumduci origines Germanorum, ut ad illum ipſum Danubium redeatur, cui jam tum tam propè aſſidebant, quaſi flumine ad fontes uſque ipſos redeunte. Quod ſi Danubiani ex Scythia & Ponti littoribus, non circumflexo incredibiliter per Scandiam, ſed recto itinere & ſolito ſunt petendi. Jam puto neminem tam obſtinatum fore, ut cæteros Germanos ad Albim, Viſurgim, Rhenum, ex Scandia unicè arceſſendos arbitretur.

22. Unde nunc ultrò conficitur, quod initio dicebamus multò quàm contrarium eſſe *veriſimilius*, *primos Germanos Scandinavios colonos eſſe citeriorum*, ut Angli Saxonum, Britones veterum Gallorum, Iſlandi Norwagorum, & Inſulani vel Peninſulani plerique continentium terrarum, quas habitatas rerum etiam ordo confirmat, & exempla quotidie oſtendunt.

23. Nec quicquam facilius eſt & convenientius mori populorum, quàm Germanos ex Cimbrica Cherſonneſo in Inſulas Danicas & Scandiam ſeſe infudiſſe breviſſimo trajectu; cùm longiore etiam navigatione poſtea ad Eſtios Livonoſque penetrarint.

24. Sanè propriam & magnam nationem per extremum Europæ Septentrionem diffuſam, à glaciali Oceano ad Balthicum mare pertinuiſſe multa indicant, quæ Fennones & reliquam vicini maris oram, tum Lappones, Samojedoſque, quin & trans Ruſſiam Permios & his vicinos fortaſſe complexa eſt. Sanè Lappones Fennis cognatos *Schefferus* oſtendit multis argumentis, neque Eſtios & Curonas prorſus hinc alienos arbitror,

& nuperæ Moſcorum ad Sinas Legationis comites notarunt, apud Permios voces Livonorum ruſticis uſurpatas. Simile aliquid de Groenlandis quibuſdam accepi. Porrò etſi Hunni versùs Caſpium mare habitarint, cùm Perſas non minùs quàm Romanos infeſtaſſe ſcribantur, Fennis tamen cognatos nominis indicio quidam judicant; de Hungaris res certior eſt, quos *Jornandes* Siberiæ vel Sabiris vicinos facit, dum murinarum illis pellium commercia tribuit, quas Sabellinas appellamus. Hungaricam autem linguam in multis Fennonicæ conſentire jam *Comenius* in Didacticis & *Sternielmius* in argentei Codicis præfatione notarunt.

25. Linguæ ergo indicio diſcimus unam magnam nationem variè in populos diſtinctam, pene à Siberia & Obio fluvio toti mari Cronio vel albo velut prætextam, ad Norwagicum uſque vel Deucaledonium Oceanum ſeſe extendiſſe, eoſque antiquiſſimos fuiſſe, & genuinos Septentrionis habitatores credi par eſt, & Scandinaviam quoque ante Germanos tenuiſſe veriſimile arbitror. Niſi putemus (quod equidem refutare non poſſum) Germanicas gentes eodem ferè tempore quo Fennos, à diverſa parte in Scandinaviam ſe penetraſſe, aut antea etiam adveniſſe, cùm nondum Finnonicæ nationes trans Botnicum Sinum uſque ad Lapponiam Occidentalem eſſent progreſſæ.

26. Cæterum continua cognatarum Nationum Fennici vel arctoi generis interrupta labefactataque ſeries ſedeſque turbatæ fuere, cùm in Occidente Germani Scandinaviam irruperunt, & in Oriente Sarmatæ *Ruſſorum* nomine interiora Moſchici Imperii, inter Finnones & antiquos *Jornandis* Hunugaros poſita coloniis implevere. Num quoties extrema à cognatis nationibus ab antiquo occupantur, media à diverſa gente tenentur, conſentaneum eſt hanc interfuſam priorum contribules pepuliſſe.

27. Quod ſi quis tamen Finnonicas Colonias, Germanicis antiquiores in Suedia fuiſſe neget, & Suedos primos loci habitatores omnino velit, de quo §. 4. & 25. nonnihil dictum eſt, hunc velim de argumentis cogitare quibus ſententiam firmet. Equidem favere videtur ipſum nomen *Suedia*, quod terram novalem exciſis exuſtiſque arboribus culturæ aptam redditam ſignificare accepi, ſed fortaſſe antiqui illi habitatores ſylveſtres fuere, quales hodieque Lappones & alios feros populos eſſe videmus, qui non agricultura ſed venatu piſcatuque victitant, ut ſupervenientes demum Germani novalem fecerint terram.

28. Multum ad quæſtionem hanc accuratius definiendam facerent *etyma locorum, fluviorum* maximè & *montium*, quorum nomina ſunt *nominibus villarum antiquiora.* Quod ſi enim multorum locorum nomina etymologiam manifeſtam ex lingua Suedica vel etiam *Iſlandica* (quæ *antiqua Scandica eſt*) non recipiunt, valde verendum eſt, ne alterius linguæ populi in Suedia habitarint.

29. Sed ea inquiſitione harum rerum periſtoribus delegata, *nobis illud veriſimillimum reddidiſſe ſufficeret, Germanicum omne genus minimè ex Scythia per*

per Finnoniæ Suediæque circuitus in has oras fuiſſe delatum, ſed potiùs à Tanai ad Danubium atque inde porrò rectâ via progreſſum, inde ſeſe in Scandinaviam ex Saxonia infudiſſe. Quod tamen antiquiſſimis temporibus contigiſſe oportet, quandoquidem jam Suedones vel Sueones *Taciti* ævo Germanis accenſebantur.

30. Cæterùm hæc quæ contra doctorum quorundam apud Suedos virorum ſententiam diximus, nolim accipi, tanquam ex animo in Suedos iniquo profecta; nam meritiſſimæ gentis ornamentis libens faveo, & gloriam Hyperborei nominis *Sternielmio* & *Rudbeckio*, emiſſasque Gothorum colonias *Jornandi Grotio*que non illibenter concedam, tametſi viris doctis cavendum cenſeam, ne dum quicquid uſpiam inclytum eſt, levibus & pene *Goropianis argumentis* ad ſuæ gentis decus trahunt, etiam veris fidem demant.

LETTRE A M. NICAISE

SUR L'ORIGINE DES GERMAINS,

du 28. Mai 1697.

Tirée de l'Otium Hanoveranum Felleri.

JE ſuis ravi non-ſeulement que M. d'*Avranches* approuve ma conjecture ſur l'étymologie de *Germani*, mais encore qu'en montant plus haut, il donne juſtement dans mon ſens. Car j'ai deja écrit à deux ou trois amis il y a quelques années, que je crois non-ſeulement que les *Germains* viennent des *Herminons* ou *Hermins*, mais encore que ces peuples ont apparemment leur nom d'un ancien Prince ou Héros nommé *Irmin*, ce qui eſt la même choſe qu'*Arminius* ou *Herman*; l'*Arminius* contemporain d'*Auguſte* ayant le même nom avec le plus ancien *Irmin*. Car *ſul* ou *ſeul* eſt colonne en Allemand. Cette colonne (mais ſans l'Idole) ſe montre encore dans l'égliſe cathédrale de Hildesheim. *Meibomius* en fit autrefois un livre exprès. On dit que la figure de l'Idole repréſentoit un Dieu de guerre, & en effet *Heer* eſt armée, ou chez les anciens Teutons *Hari*, d'où vient (comme je le crois) *clameur de haro*, car *ban* eſt l'appel (*citatio*), ce qui ne veut dire autre choſe, que la convocation ou proclamation generale pour ſe trouver à l'armée, dont vôtre *arrière-ban* a eté fait par corruption. Or *heer*, dis-je, eſt l'armée ou *hari*: *afue* Mars, *webr* arma, *werre* guerre; *Ariman* dans les vieux titres, homme de guerre, ou *de genere militari*. Cela n'empêche point le rapport d'*Irmin* à *Hermes* (*Mercure*) que nôtre illuſtre Prélat a remarqué; ſeule-

ment il y a lieu de croire que chez les Germains, *Mars* & *Mercure* étoient confondus; ces peuples n'eſtimant que les armes. Comme encore *Wodan* ou *Odin* des Saxons répond ſans doute le plus à *Mercure*, cependant c'étoit encore un grand guerrier, quoique cru magicien en même tems. Lorſque M. *Eggeling* à Brême publia ſon étymologie des Germains tirée *à Germanis Fratribus*, je lui envoyai la mienne des *Herminons*, & de l'ancien Héros *Irmin*, dont ma lettre parloit fort au long. Je la communiquai auſſi à un ami, qui fait un journal en langue Allemande. J'ajouterai encore ce que je remarquai dès-lors, que ce Prince *Irmin* ou *Hermin* paroit être marqué par *Tacite*, puiſqu'il dit aſſez clairement, que les *Ingevons*, *Herminons*, & *Iſtævons*, ont eu leur nom de trois fils de *Mannus*. Il ſemble que les *Hermunduri* ont gardé particuliérement ce nom, & que peut-être la terminaiſon *duri* ne ſera autre choſe qu'une corruption d'*Hermanner*, comme *Winnen* & *Winden*, *ban* & *band* (banni, bandit) ſont la même choſe &c.

EPISTOLA AD AMICUM,

DE ORIGINIBUS NATIONUM TRANSYLVANIÆ;

Ex Otio Hanoverano depromta.

MUltum tibi debeo, tum quòd præclaras tuas in Beierianum Theologiæ compendium notas dono mittis, tum & quòd *Origines nationum Tranſylvaniæ* a Domino *Valentino Franco a Frankenſtein*, viro, ut apparet, egregio, ſcriptas mecum communicas, quæ poſſunt eos errore ſuo liberare, qui neſcio quas longinquas vel a *Carolo M.*, vel ab anterioribus etiam temporibus Saxonum Daciæ Origines fingunt. Sanè *Carolum* eouſque penetraſſe non apparet. Saxones quoſdam in regiones tranſrhenanas ab eo tranſlatos, quos *Ludovicus Pius* reſtituit, memorant ſcriptores, non tacituri colonias tam longinquas, cùm & Saxones in exercitu *Caroli* contra Hunnos non prætermittantur. Equidem Gothi, & Gepidæ & Longobardi, & alii Germani populi in Pannonia ſedere, ut taceam, veriſimile videri, jam antea antiquos *Dacos*, cognatos Getis, (ſi *Straboni*, aliiſque credimus) Gothicam fuiſſe, ſeu Germanicam gentem. Sed quicquid illic fuit Germanum, id dudum abolitum eſſe putandum eſt gentium migrationibus, & aſſentiendum demonſtranti auctori, Germanos hoſpites a Regibus Hungariæ jam Chriſtianis privilegiis datis fuiſſe allectos, urbeſque affluxu mercatorum, & opificum, & quorumdam etiam militarium virorum oppleviſſe, ut in Pruſſia, & Livonia, eo tamen diſcrimine, quod in has regiones per vim irrupêre, in Hungariam verò venêre invitati.

Optan-

Optandum, ut diplomata aliqua obtineri poſſint, quibus iſta magis illuſtrentur præter id, quod dedit *Toppeltinus in Originibus Tranſylvaniæ*, (quem ad manus habeo) p. 16. ſq. *Regis Andreæ* conceſſum Saxonicæ nationi immunitatis *privilegium*. In quo gaudeo Dn. *Francum* correxiſſe errorem, & ſubſtituiſſe *vocati* pro *donati* magno utique diſcrimine. Illa enim vox novos hoſpites eſſe declarat, hæc quaſi priſtinos incolas repræſentat. Honoriſque ipſorum intereſt Saxonum, ut non quaſi ſervi prius libertate donati, ſed promiſſa libertatis ingenitæ conſervatione *vocati* credantur. Noſſe operæ pretium foret, utrum originali privilegio Regis ſit appenſum, vel additum monogramma, tum & qui teſtes diplomati, ut ſolet, acceſſerint. Hæc enim omnia præterit *Toppeltinus*, quæ ſi opera viri præclari poterimus impetrare, plurimum adjiciet beneficio ſuo.

Equidem diploma *Andreæ* Regis non Saxones, ſed Teutonicos nominat, & *Hermannus* ille, a quo *Hermanſtadt*, Noribergenſis fuiſſe dicitur, & alioqui conſtat perſæpe ab Italis, Gallis, aliiſque exteris omnes omnino Germanos dici Saxones, poſtquam Francorum appellatio Gallis magis tribui cœpit, & *inſigne rutæ* ab Hermanſtadienſibus ſerius haud dubiè aſcitum videtur appellationi, opinionique populari ſervire. Interea nolim negare, Tranſylvaniæ Germanos peculiariter ad Saxones referri debere, præſertim ſi favet dialectus, de qua accuratius inquiri par erit, an Weſtphalicæ, vel Saxonicæ inferiori ſic ſatis conſentiat. Itaque ſpecimina quædam habere optem, ut a plebejis hominibus pronunciantur, indicemque *vocabulorum provincialium*, quæ etſi Germanica tamen omnibus Germanis nota non ſunt. Hinc enim meliùs judicabimus de origine & dialecto.

Sed & de cæteris Tranſylvaniæ habitatoribus quædam ampliùs ſcire optem. *Scyculos* ab Hungaris diſtinguit Dominus Autor, ſed *Toppeltinus* ait, ejuſdem eſſe originis cum cæteris Hungaris. Linguâ rem optimè definierit, utrum nempe ſit ſincerè Hungarica, an multum peregrini habeat admiſtum, ſive Sarmaticum, vel Slavonicum, (quod nunc pro eodem accipio, lingua Slavonica latiſſimè ſumta) ſive etiam ab alia Scythica gente. De *Walachis*, vel *Blachis*, omnes conſentiunt, linguam plurimum habere Latini. Semper mihi ſuſpicio fuit, poſſe in aliquibus Daciæ angulis aliquas ſupereſſe reliquias *linguæ Cumanæ*. Nam Cumanos ſæculo XIII. Rex Hungarorum recepit, habitationemque iis conceſſit, etſi poſtea, cùm bellum Tartaricum ingrueret, pro maxima parte fuerint deleti. *Cumania* autem videtur ſeſe ab Hungaricis ditionibus ad Pontum Euxinum porrexiſſe.

Cùm dicit Dominus Autor in Wallachia, & Moldavia linguam Ruthenicam cum Latina, in Bulgaria verò, & Myſia cum *Illyrica* eſſe confuſam, velim ego noſſe, quid hic ſignificet Illyrica. Vulgo ſic ipſam appellant Slavonicam; ſed aliud ab ipſo intelligi puto, cùm aliàs a Ruthenica non ſatis diſtingueretur, quæ & ipſa eſt Slavonici generis.

De

De *Cingaris*; quorum aliquæ in Dacia habitationes, dignum itidem altiùs inquiri. Celeb. *Wagenſeilius* in nupera appendice Noribergenſium memorabilium Cingaros a Judæis ubique Germania pullis ingenioſe ſatis derivat, & linguam revocat ad Hebræam. Sed Autor, qui dicit, eos ubique una uti lingua fundamentali, etſi dialectis diverſa, videtur plura, & certiora ſuppeditare poſſe. *Toppeltinus* eos vult Græcorum ferè religionem ſequi, & aliquam baptiſmi nomine cæremoniam peragere; certè nihil affert, quod ſapiat Judaiſmum.

Poſtremò mirum mihi videtur, quod *Toppeltinus* refert, Saxonas Tranſylvanos ſe quidem vocare *Detſchen*, cæteros verò Germanos *Mueſer*. Ipſe vult *Detſchen* eſſe a Dacis, *Mueſer* a *Monſieur* Gallico. Sed fortaſſe *Detſchen* nihil aliud quàm *Deutſchen*, quid verò *Mueſer*? nam gallicum *Monſieur* longiſſimè relegandum puto. Cùm idem *Toppeltinus* dicat; *Germanicam Linguam malè intelligimus, intelligi etiam ab ipſis vix poſſumus*, addatque, ſe multa vocabula Gallica, Italica, Hiſpanica, Anglica, Turcica, & Tartarica in ſuorum ſermone notaſſe, optandum foret dictionariolum Germanicæ Tranſylvanorum plebeiorum linguæ haberi, preceſque, aut alia ſpecimina adjungi, non ad noſtrum ſermonem accommodata, ſed genuina.

Cùm in privilegio Regis *Andreæ* mentio fiat *Blachorum* & *Biſſenorum*, & de Blachis, quid ſint conſtet, quæritur quid nationis ſint Biſſeni, quorum ſylva Teutonicis a Rege confertur.

EPISTOLA AD JAC. CAROL. SPENERUM,

DE NOTITIA GERMANIÆ ANTIQUÆ.

Ex Speneri notitiâ Germaniæ antiquæ Halæ ann. 1717. *editâ.*

OPus tuum cum multâ voluptate percurri, partem maximè, quæ comprobationes continet. Apparent ex eo non vulgaris doctrina & diligentia: nonnulla fatendum eſt in hoc argumento valdè problematica eſſe.

Ingenioſa eſt conjectura illa, quâ Foſos cum *Cluverio* trans Albim locas. Sed mihi videtur ne Cheruſcos quidem uſque ad Albim pertigiſſe, & regionem circà Luneburgum, Dannebergam, & antiquam Marchiam penè uſque ad Magdeburgum, fuiſſe Bardorum vel Longobardorum. Et licet Cheruſci uſque ad Albim pertigiſſe ponerentur, non tamen commodè dici poſſe ex *Tacito* Foſos conterminam Cheruſcis gentem, ſi Albi, præſertim ubi tam magnus eſt, dividebantur. Denique non apparet, quomodo trans Albim tacti illi fuerint ruinâ Cheruſcorum a Cattis profecta; cùm dubitari non poſſe videatur, bellum inter Cheruſcos & Cat-

Cattos cis Albim geſtum fuiſſe. Itaque mihi veriſimilius videtur, Foſos non alios fuiſſe, quàm accolas Fuſæ amnis. Poëtæ & Panegyricorum auctores non ſatis exactè ſitus locorum obſervant. Illud :

Ingentes Albim liquere Cheruſci ,

non magis accuratum eſt, quàm iſtud alterum :

. . . . . *Mediumque ingreſſa per Albim ,*
Gallica Francorum montes armenta pererrant.

Auctor Tabulæ Hydrographicæ Germaniæ eſt Dn. *Phil. Henr. Zolmannus*, filius Conſiliarii intimi Saxo-Cizenſis.

Quod ſupereſt, vale & fave. *Dabam Hanoveræ 3. Octob. 1715.*

EPISTOLA AD AMICUM,

DE TITANIS ET GIGANTIBUS EX SCYTHIA ORIUNDIS.

Ex Otio Hanoverano Felleri.

FAcio ecce copiam epiſtolæ, quam doctus in Gallia vir *Abbas de Charmoye* ſcripſit, ut ſcopum exponeret operis ſui *de origine nationum* aliquando edendi, de quo pergratum mihi erit judicium tuum. Cæterum aliis paſſim epiſtolam communicari nolim, ne autore forſan invito edatur. Ego laudandum ſtudium cenſeo ex mythologiis eruendi veritatem hiſtoricam, quamquam ob licentiam, quam ſibi ſumſere Poëtæ, id mihi videatur ſæpe perdifficile. Semper tamen credidi, *bello Titanum*, *aut* etiam *Gigantum* cum Diis indicari vel Scytharum, vel Celtarum irruptiones in Aſiam, & Græciam iis ſubjectam regibus, qui inter Deos ſunt relati. *Promethea*, qui inter Titanes habetur, Scytham fuiſſe indicat alligatio ad Caucaſum juſſu *Jovis*, quo nil aliud deſignari putem, quàm excluſionem Scythicorum populorum excubiis ad Caſpias portas collocatis. Sed neſcio, an talia ideo ſtatim ad Celtas pertineant, qui tunc fortaſſe in Scythia ampliùs non erant. *Callimachi* locus, *Gallos propaginem Titanum* vocantis, poëtico luſui propior videtur, quàm hiſtoricæ auctoritati: Nempe Galli templum Delphicum oppugnantes Titanum audaciam in Deos renovare videbantur. Veteres Celtarum nomine Germanos, Galloſque comprehendebant, ideo Iſtrum dicebant oriri in Celtis. Galatas, & Celtas vel (ut pronunciari deberet) Keltas, idem vocabulum eſſe putem. Itaque quæ horum honori dicuntur, etiam ad nos pertinent. Sed nolim honorem nationum quæri figmentis, qualia *Rudbeckius* pro Suedis ſuis ingenioſè quidem, & doctè, ſed tamen ſæpius vanè concinnat. Interim ignoſcendum eſt viris doctis nonnihil patriæ amori indulgentibus, ſaltem ne abſterreamus eos ab indaginibus, neve prorſus contemnamus, quæ minus

certa ſunt. Fieri enim poteſt, ut reperiantur aliquando, quæ conjecturas juvent. Ego quidem non dubito, ſi Turcis, & Tartaris eruditio daretur, exorituros ex ipſis, qui Hyperboreos ad majores ſuos non minore, quàm *Rudbeckius* jure referant. Interim non inutiles ſunt conjecturæ, nam ita quædam non ſpernenda eruuntur, alia etiam minùs certa, tamen non malè annotantur in ulterioris examinis gratiam, firmanda aliquando, aut rejicienda creſcente paulatim luce. Equidem ſi totius generis humani per orbem diſperſi originem, ex inſanæ Babyloniorum ſubſtructionis auctoribus petamus, *lineam Coloniarum* per Scythiam ad Iſtrum, & Celtas ducendam putem, nec dubito ex Germania in Galliam, & Italiam primos habitatores veniſſe: Sed & *quicquid in Scandinavia Germanicæ originis eſt, coloniam Germanorum puto*, anteriores habitatores Finno-Lappones ad rupium interiora pellentium. Arbitror etiam, ut Germania Anglos *Britanniæ* dedit, ita olim ei & priores incolas pro bona parte dediſſe. Interea non nego, poſterioribus temporibus ex Gallia, & Scandinavia in Germaniam colonos rediiſſe. Cæterum connectere populos remotiores cum Moſaicis originibus non facilè puto, unde & *Bochartus* pleraque de propioribus Palæſtinæ gentibus intellexit, quæ aliis ad longinqua referuntur. Difficultas aliqua mihi in Cananitis eſſe videtur, quibus, credo, ferè eadem erat cum Hebræis lingua, quomodo ergo hi ex *Semo*, illi ex *Chamo*? cum populi linguæ cognatæ non primis tantùm, ſed etiam propioribus originibus convenire debere videantur. Sed hæc omnia judicio tuo ſubmitto &c. 6. *April.* 1699.

VITA

Digitized by Google

VITA
B. ERNESTI AUGUSTI
ELECTORIS BRUNSVICENSIS PRIMI;

Ex Germanico ſermone in Latinum verſa.

POSTEAQUAM Deo, ſapientiſſimo rerum humanarum gubernatori, placuit, e conſpectu noſtro in ſui conſpectum longè beatiſſimum transferre Patriæ Patrem Dominumque noſtrum ſapientiſſimum, indulgentiſſimum, in cujus virtute, quoad vixit, pariter noſmet maximo cum felicitatis noſtræ ſenſu acquievimus: conſentaneum eſt in his exſequiis, ut laudes Principis noſtri ad poſteritatem prodantur, ſimulque habeant futuri Principes, quod imitentur exemplum, nobis denique, ad gratam recordationem excitandam, vitæ illius ſumma, velut in tabula proponatur.

Natales debuit Princeps Sereniſſimus, *Erneſtus Auguſtus*, Dux Brunſvicenſis ac Luneburgenſis, S. R. I. Princeps Elector, Epiſcopus Oſnabrugenſis &c. beatiorem nunc vitam vivens Dominus noſter deſideratiſſimus, natales igitur debuit ſuos venerandæ antiquitatis ac nobilitatis prorſus eximiæ Ducum Brunſvicenſium ac Luneburgenſium Domui. Eſt ea profectò inter paucas per omnem Europam clariſſima, quippe cujus potentia & opes, etiamſi horum ſeptem ſeculorum memoriam repetamus, magna ſanè deprehenditur; cùm quidem minùs etiam ſplenduerunt, quæ nunc primas tenent, Principum Familiæ. Huic rei fidem faciunt neque auctores parum idonei, in quorum teſtimonio alias acquieſcere cogimur, neque opiniones ex vano hauſtæ, vel optata potiùs, neque inſtrumentum privatum ac teſtimonia domeſtica, nec denique conjecturæ vix hoc nomine dignæ; ſed faciunt fidem auctoritates ejuſmodi, quæ tantæ potentiæ tamque antiquæ Principibus deeſſe non poterant. Itaque eorum tum genealogia, tum res geſtæ coævorum ſingulis Scriptorum fide & auctoritate, firmatæ reperiuntur; ut, quæ parum perhibeant inſtrumenta noſtra publica, nimiæ antiquitatis expertia, ea com-

mune quaſi tabularium, hiſtoriæ veræ præſidium prodat, nihilque nobis privatim reliqui faciat.

Satis conſtat, jam ante hos ſeptingentos annos in Italia vixiſſe *Azonem*, Marchionem, ex omnium, quotquot in Italia, immò tota prope Europa gentes commemorantur, antiquiſſima *Eſteorum* gente. Is fuit magna ex parte Ligurum ac Longobardorum dominus, inde a mari Adriatico ad Genuæ uſque fines. Hujus natu maximus filius, *Guelfus* avunculi ſui, e Principibus Germaniæ, Guelfica itidem ſtirpe oriundi, terras Bavaricas & Suevicas ſanè magnas hereditate accepit: quo facto ducis Bavarorum dignitatem cepit, cumque in Germaniam commigraſſet, quæ ſibi adhuc in Italia terræ paruerant, eas fratribus e noverca ſuis conceſſit, certa tamen lege ac conditione, quæ ſibi jus quoddam adhuc ſuum vindicaret. Illos auctores generis ſui agnoſcunt *Eſtei Principes* in Italia, bonum factum! adhuc florentiſſimi, unde progeniti ſunt fortiſſimi clariſſimique Ferrariæ, Modenæ, Rhegiique Duces.

Guelfus autem Dux, qui potentia & opibus ſuis univerſam Germaniam Italiamque complexus eſſet, filio ſuo cognomini, natu maximo clariſſimam nec non potentiſſimam Principem *Mathildem* uxorem impetravit: cùm alter ejuſdem filius, *Henricus*, *Niger* cognomine, ultimi Saxonum Ducis e gente Billungorum filiam *Vulfhildam* in matrimonium accepiſſet. Ita illo matrimonio ſpes nata eſt, terrarum Mathildicarum aliquando potiundarum, quæ mox vim ac robur exitu accepit: hoc Bavariæ Saxoniæque jungendæ facultatem dedit. Nam, qui hoc matrimonio editus erat filius, *Henricus Guelfus*, cùm *Lotharii* Imperatoris gener factus eſſet; Brunſvicenſes, Luneburgenſes ac Northemenſes terras cum Saxoniæ, Angriæ & Veſtphaliæ Ducatibus conjunxit. Hæ omnes terræ *Henrico* illius filio, cognomine *Leoni*, hereditate paterna partim, partim materna venerunt, auctæque ſunt, quod laudi ei ceſſit, tum aliis modis, tum Soravorum populis victis & religionem Chriſtianam doctis, quod beneficium eidem maximè debebatur, finibuſque eorum occupatis: quas ejus opes etſi tandem invidia & æmulatio fregit, magna tamen earum pars, propriarum quidem terrarum, quin illius poſteris ſalva maneret, impediri non potuit. Eundem illum Patrem venerantur duo Imperatores, totidemque Imperatrices, aliique deinceps fortiſſimi & fama ſua Orientem non minùs quàm Occidentem complexi Duces Brunſvico-Luneburgenſes, in his *Erneſtus Auguſtus* ille noſter, cum Fratre fortiſſimo, cujus vitæ Deus proſpiciat! qui ſplendorem ſuæ Domus, impetrata Electorali dignitate, mirificè auxerunt.

His ergo tantis natalibus uſus Elector noſter a nobis nunc heu! planè diſtractus, dubium videri poteſt, digniorne illis, an ipſo iidem illi fuerint. Natus eſt in arce Herzbergenſi, anno poſt Chriſtum natum CIↃIↃCXXIX. d. XX. Novembris gemellus quidem cum ſorore editus, *Dorothea Magdalena*, ante anni decurſum d. XII. Nov. CIↃIↃCXXX. rebus humanis iterum

rum exemta. Patrem habuit *Georgium* Ducem Brunſvicenſem, ac Luneburgenſem, de cujus virtutibus ac rebus geſtis nonnulla dicendi locus videtur. Fortes intelligentur enim ſic maximè, creari fortibus, & ad virtutem erecta ingenia propagatione communicari. Fratres ille ſex habuit, ſed modò unum ex his ſe juniorem. Natu majores quatuor, *Erneſtus*, *Chriſtianus*, *Auguſtus*, & *Fridericus*, omnes deinceps ducatui Zellenſi præfuerunt. Cum his ille *Georgius* fraternam concordiam, ſi quis unquam, coluit, ut & admirationi eſſet & exemplo, nec illis modò, ſed noſtris etiam temporibus. Accepto per literarum ſtudia ingenii cultu cùm peregrinationes inſtituiſſet, bellicis interfuiſſet etiam expeditionibus, in aulis denique Imperatoria aliiſque negotia publica feliciter tractaſſet, a Fratribus ſuis, qui cœlibatum perſequebantur, ad matrimonium ineundum impelli ſe paſſus eſt, id quod nec ſine prole fuit. Cùm res Germaniæ perturbatiores eſſent, tum ille Circuli, Domuſque ſuæ negotia fortiter ſuſcepit, hoſtibus magno ad *Oldendorpium* prœlio fuſis, aliaſque ſæpe numero victis, ut in paucis Defenſor partium Evangelicarum exiſtimaretur. Idem ille, ſuſcepto Præfecti Circulo Saxonico inferiori munere functus eſt egregiè, Viſurgi ab exterorum copiis liberata, Oſnabruga, Mindeno, Hildeſia captis, Luneburgo urbe iterum in poteſtatem redacta. Itaque, Familia Calenbergo-Guelferbytana extincta, etſi Fratribus adhuc utebatur natu majoribus, quorum unus modo imperium capeſſiverat; tamen his conſentientibus Calenbergico Ducatu & Gottingenſi potitus eſt. Ita cùm Principis pii, fortis, ſapientis, denique etiam felicis laudibus & meritis abundaſſet, tandem d. XI. Apr. CIↃIↃCXLI. Hildeſiæ obiit.

Matre uſus eſt *Anna Eleonora* Principe natalibus ſuis digniſſima, oriunda quippe e Landgrafiorum Haſſiæ Gente illuſtriſſima.

Avum paternæ originis habuit *Guilielmum*, Ducem Brunſvicenſem ac Luneburgenſem.

Avia gaviſus eſt *Dorothea*, e Dania Principe regia.

Proavo nomen fuit *Erneſto*, Brunſvicenſi Duci ac Luneburgenſi.

Proavia ei *Sophia* fuit, e gente Ducum Mecklenburgicorum.

Abavum habuit *Henricum*, cui in matrimonio fuit *Margaretha* Princeps Electoralis Saxonica.

Maternæ originis avo uſus eſt *Ludovico* Landgrafio Haſſiæ.

Avia *Magdalena* Principe e Domo Electorali Brandenburgica.

Proavum veneratur *Georgium* Landgrafium Haſſiæ, cui fuit in matrimonio *Magdalena* e Comitum Lippenſium gente oriunda.

Abavum habuit *Philippum* Landgrafium Haſſiæ.

Abaviam *Chriſtinam*, Principem Saxoniæ.

Atque hi fuerunt majores Sereniſſimi Electoris noſtri, quorum ſeriem altiùs multo repetere poteramus, niſi nota ſatis auguſtæ gentis antiquitas talem operam ſupervacuam faceret. Ac fuit ille quidem Fratrum ſuorum

natu minimus; ſed tamen vel parvulus indolem oſtendit ejuſmodi, quæ magnam ſui ſpem concitaret. Patre orbatus eſt adhuc puer; ſed tamen ita jam ex eo profecerat, ut ab eo inter adminiſtrandæ reipublicæ graviſſimas curas, ſenſu religionis vero & integro imbutum animum teneret; inde veri honoris ſtudium, integritatem, fraudis & verſutiæ odium, præclarè factorum æmulationem, & omnia ſemina virtutum earum acceperat, quarum in omni ejus vita expreſſa veſtigia maximè extabant. In quo etiam uſus eſt magiſtra matre pia, ſi qua unquam, & ſapiente, cui, ut & Electori, hæc inſederat opinio, ut, cùm ſpes patriæ futura filiis ſuis niteretur, eorum educationi maximè conſultum vellent.

Igitur nondum quinquennis Princeps noſter, id quod ante item factum erat in Fratribus ejus, comitibus inſtructus eſt, peritiſſimis, prudentiſſimis, a quorum exemplo proficere poſſet, in vita piè, atque ita, tranſigenda, uti filium Defenſoris religionis evangelicæ ſtrenui decebat, in omnibus porrò virtutibus principali loco dignis, in comparanda denique eruditione moribuſque formandis. In quibus omnibus egregiè ille profecit, ut eximia dignitas oris, habituſque corporis comites haberent doctrinam & ſuavitatem, quæ caperet omnes atque exhilararet. Nec unquam deſiit literarum ſtudiis favere, immò impenſe favit, cùm ita ſua ipſius experientia edoctus eſſet de illorum utilitate, ut in legendis bonis libris per omnem vitam ſuam ſubinde verſaretur, non facilè huic negotio ſubtrahens tempus, quod a publicis negotiis reliquum fieret.

Cùm autem maximè noſter parenti ſuo ſpem de ſe jucundiſſimam certiſſimamque concitaret, placuit Deo hunc Principem incomparabilem, qui in eo tum erat, ut Brunſvicenſes terras hoſtium manibus penitus eriperet, ex hac vita evocare: quo, etſi præmia morum pietati, laborum patientiæ, periculorum pro Patria & Religione vera ſuſceptorum moleſtiis, attribuebantur, magnus tamen dolor infligebatur ſuis, civibuſque omnibus, cura etiam permagna imponebatur fœdere ſibi junctis, totique Germaniæ, qua Evangelicam doctrinam colebat. Nec enim adhuc erat Principum quis, exercitui ſuo ipſe Dux, totiuſque cauſæ Proteſtantium moderator, & defenſor; ſiquidem, quæ huic, & univerſo imperio prodeſſent, multa neglecta ſunt; ipſi autem Domui Electorali vulnus inſanabile inflictum eſt.

Accidit is caſus d. 11. April. cIↃIↃCXLI. anno ætatis, quem agebat Princeps noſter duodecimo, cùm quidem Fratres ejus duo natu majores peregrinatione inſtituta, e Belgio in Angliam tranſvecturi, domum revocarentur. Horum natu maximus *Chriſtianus Ludovicus* ducatus Calembergicum & Gottingenſem in locum Parentis demortui regere cœpit: reliqui duo ætate proximè inferiores *Georgius Guilielmus*, cujus vitæ Deus faveat! & *Joannes Fridericus*, qui magnum ſui deſiderium reliquit, in peregrinas terras abierant, *Erneſtus Auguſtus* autem noſter natu minimus, ut ſolatio matri eſſet (quæ interea unam filiam ſuam *Sophiam Amaliam*

menſe

menſe Octobri CIↃIↃCXLIII. Principi Danico, Archiepiſcopo tunc Bremenſi, deinde Regi *Friderico III.* collocaverat) terras peregrinas inviſere minimè ratus, in litterarum ſtudia porrò incumbere ſtatuit, annosque hujus ſæculi 44. & 45. in Academia Marburgenſi conſumſit, in qua Rectoris Magnificentiſſimi munus oblatum ſibi, ut indulgentiam in hanc Academiam declararet, accepit; nec modò hanc ob cauſſam, ſed quod etiam egregiæ animi & ingenii dotes in eo conſpiciebantur, & dignitas quædam ſingularis tum externa, tum, quod tantis eſſet natalibus ortus, ab omnibus maxima admiratione cultus eſt. Et profectò ille cum omnibus Fratribus ſuis tum peregrinando, tum exercitibus ducendis in Germania pariter atque exteris terris, tum domi in Principibus Germaniæ longè digniſſimis qua indolem generoſam, qua ſplendorem generis, qua ingenium, qua integritatem, qua liberalitatem naturæ, qua ſuavitatem, qua denique fortitudinem, numerati ſunt.

Anno CIↃIↃCXLV. cum ætate Electorem proximè antecedens Fráter, *Joann. Fridericus* Dux peregrinationem primam abſolviſſet, paulloque ante, quàm in *Chriſtiani Ludovici* Ducis verba juraretur ab Ordinibus & Civibus, Hanoveram ſe contuliſſet, tum *Erneſtus Auguſtus* noſter primum & ipſe terras exteras, Belgio, Anglia, Francia luſtranda, inviſit, annoque hujus ſeculi ſexto & quadrageſimo præcipitante Pariſiis fuit, indeque non modo Franciæ partes pleraſque adiit, ſed etiam non ſine periculo in Hiſpaniam uſque tecto nomine ſuo penetravit: hinc petita Italia & ad Siciliam uſque peragrata Maltham adiit, tandemque ſoſpes ad ſuos redux factus eſt.

Interea Capitulum Archiepiſcopatus Magdeburgenſis *Erneſtum Auguſtum* noſtrum Coadjutorem cum promiſſione ſucceſſionis conſtituit: quod ei meritò contigit, quippe qui jam menſe Septembri anno 1638, Patris cura inter Canonicos præbendatos Eccleſiæ Cathedralis per reſignationem in favorem acceperat, adeoque ex gremio eligi poterat. Quod cùm ita factum eſſet, menſe Decembri anno CIↃIↃCXLIX. convenit in urbe Zellenſi inter oratores Capituli & Coadjutorem, quo facto decretum Electionis Magdeburgi d. xx. Nov. CIↃIↃCXLVI. conſignatum Electori noſtro traditum eſt.

Jam fuit illa quidem ſpes Præſulatus Magdeburgici irrita, nec promiſſis illis fuit ſatisfactum; ceterum tamen habuit ea res hoc boni, ut Epiſcopatu Oſnabrugenſi ornaretur. Eſt enim anno CIↃIↃCXLVIII. in pacificatione Oſnabrugenſi tandem hoc conſtitutum, idque multis graviſſimis de cauſſis, ut Epiſcopatus hicce alternativo jure Principibus Brunſvicenſibus reſervaretur, primuſque a morte ejus, qui tunc eſſet, Epiſcopi, illum *Erneſtus Auguſtus* regeret.

Cùm autem non diu poſt pacem Weſtphalicam *Fridericus* dux Zellenſis, noſtri Patruus unus adhuc ſuperſtes d. x. Dec. CIↃIↃCXLVIII. obiiſſet, & in ejus locum *B. Chriſtianus Ludovicus*, ducatibus Zellenſi & Grubenhagenſi

hagenſi præeſſe cœpiſſet, traditis ducatibus Calembergenſi & Gottingenſi *Georgio Guilielmo* Fratri ætate ſe proximè inferiori; tum *Erneſtus Auguſtus* Hanoveræ plerumque cum eo fuit, amorque ille mutuus iſque planè ſingularis, ut neque domi, neque foris niſi una, eſſent, fecerat; Italia etiam aliquoties inviſa. Interdum tamen idem ille noſter Reginam Daniæ ſolus inviſit.

Anno CIↃIↃCLIII. menſe Octobri, *Chriſtiano Ludovico*, nuptias celebranti idem illud par Fratrum adfuit, annis proximè ſequentibus peregrinando iterum conſumtis. Per illud tempus accidit, ut, cùm *Erneſtus Auguſtus* veris tempore anno CIↃIↃCLVII. Venetiis relictis Vindobonam peteret, dum Innum flumen trajiceret, febri acuta oppreſſus Vindobonam deportaretur. Eo tempore maximum vitæ diſcrimen adiit, ab ipſis Medicis morbo mortem præſagiente relictus, tandem tamen ſervatus præſenti auxilio divino, & corporis robore naturali. In quo ille morbo *Georgii Guilielmi* plus quàm fraterni amoris documentum vidit, quippe qui, nuntio de Fratris morbo ancipiti accepto, incredibili celeritate dies noctesque ſine requie, nec cibo ſumto nec potu Venetiis, curru publico uſus, Vindobonam advolavit, ut adeſſe fratri laboranti poſſet, quocum poſtea domum rediit.

Cùm autem hæc ducum Brunſvicenſium familia nondum prole aucta eſſet, viſum eſt, *Erneſto Auguſto* matrimonium ineundum eſſe. Itaque *Sophiam* Ille Principem Bavariæ *Friderici V.* Electoris Palatini filiam ſibi junxit, quam nunc viduatam meritò atque ex animo dolemus. Sunt autem illæ nuptiæ exeunte Septembri anno CIↃIↃCLVIII. Heidelbergæ celebratæ, novoſque conjuges d. IX. Nov. Hanovera primum vidit, qua in urbe fauſtiſſimis ominibus excepti ad annum uſque hujus ſeculi primum & ſexageſimum perpetuò manſerunt.

Anno CIↃIↃCLIX. d. VI. Maii Mater Noſtri Herzbergæ obiit, exuviæque ejus Zellæ in ſepulchro principali marito olim ſuo appoſitæ ſunt, ibique exequiis Elector Noſter una cum Fratribus ſuis d. XXXI. Aug. ſummam pietatem declarantes, interfuerunt.

Anno CIↃIↃCLX. d. XXVIII. Maii ſuſcepit Noſter e Conjuge ſua Filium primogenitum *Georgium Ludovicum*, quem nunc Dominum Noſtrum Indulgentiſſimum veneramur, Deum Optimum Maximum precati, ut hunc acerbum caſum levare vita longæva, regimine felici omniſque generis felicitate principali, velit. Anno proximè ſequente d. III. Octobr. iterum ei natus eſt Hanoveræ Filius *Fridericus Auguſtus*, quem vivum intueri nobis non ampliùs contingit.

Jam cùm die XXI. Nov. CIↃIↃCLXI. *Franciſcus Guilielmus* Cardinalis è gente *Wartembergorum* in urbe Ratisbonenſi, Epiſcopali ſede ſua, ex hac vita deceſſiſſet, nec eſſet ampliùs etiam Epiſcopatui Oſnabrugenſi Præſul; Elector noſter e pacis legibus Epiſcopum Principemque in illis terris ſe gerere cœpit, prouti convenerat, ipſe autem Oſnabrugam

prius

prius non venit, quàm inthroniſatio in Eccleſia Cathedrali fieret, die xx. Septembr. cIↃIↃCLXII. Ibi tum Hanovera cum omni aula in Oſnabrugenſes terras conceſſit, Iburgo ſede Electorali capta.

Cùm igitur imperium noſter capeſſere cœpiſſet, eum ſe geſſit, ut expectationi omnium, quæ ante fuerat, ſatisfaceret. Admirabantur novi cives in Principe ſuo propriam quandam oris dignitatem miſtam cum comitate ſingulari, quæ verecundiam pariter omnibus atque amorem injiceret; multo magis autem morum gravitatem & indulgentiam adverſus ſummos & infimos nemo non celebrabat gratuſque ſuſpiciebat. Ita factum eſt, ut mire confiderent ei omnes mireque ſibi omnes de tali Principe gratularentur, ut vix videatur unquam fuiſſe Princeps, qui naſcendi lege imperium acciperet, magiſque a ſuis amaretur, omnique modo coleretur.

Strenuus porrò præfuit Reipublicæ noſter, ordineſque provinciarum tum ipſe aliquoties omni modo juvit, tum viciſſim ab ipſis adjutus eſt. Inſtituta publica ad ſecuritatem Reipublicæ & utilitatem referebantur, diſciplina ſervabatur, quæ in fraudem legum fieri ſolita erant, abolebantur, jus ſuum cuique reddebatur. Inprimis autem effecit verecundia ſui ſuæque gentis, quam injecerat exteris Principibus, Principem ſe gerendo laudabilem, ſuiſque civibus proſpicientem, ut neque fines ſuos hoſtes invaderent, neque licenter ſuo arbitrio tranſirent, aut alia incommoda, temporibus, quæ ſequebantur, difficillimis, infligerent, cavitque ab his omnibus juvante Deo per ſex & triginta annorum ſpatium, quod imperio ſuo impleverat, imo rempublicam omnem ita in melius vertit, ut Epiſcopatus Oſnabrugenſis vix dici poſſit expertus eſſe Principem tam perennem ſibique felicem.

Imperio ſuſcepto Sereniſſimus Elector noſter aliquot annos pacatos habuit; verum, quæ poſt ſecuta ſunt tempora, ejuſmodi erant, ut quaſi theatrum ingenio & fortitudini eſſent. Hæ autem noſtri virtutes comitem habebant animum ſane placidum, ut eam ob rem non parum contulerit ad diſcordiam periculoſam, quæ mox in ſua ipſius Domo orta erat, ſedandam, & ad gratiam Fratrum revocandam, qua poſthæc inprimis opus fuit, cùm tempora celeriter conſequerentur ejuſmodi, quæ periculorum nihil minùs quàm expertia erant: agebatur autem ſecuritas univerſæ Domus & incrementum ſplendor ejus capere poterat.

Cùm enim *Chriſtianus Ludovicus*, Dux Brunſvicenſis ac Luneburgenſis die xv. Martii cIↃIↃCLXV. rebus humanis exemtus eſſet, iſque caſus diſcordiæ locum feciſſet inter *Georgium Guilielmum* & *Joannem Fridericum* illius Fratres Duces Sereniſſimos, de optione & exæquatione terrarum; *Johannes* autem *Fridericus* qui Zellæ fuerat, quo tempore Frater ex hac vita deceſſerat, ibi & in toto Principatu Zellenſi ſacramentum exegiſſet, cui Frater natu major reclamabat; quo conſilio copiæ utrimque paratæ, auxilia expetita, & omnia ita inſtituta erant, ut inteſtinum bellum me-

tuendum esse videretur; Tum verò noster ille unà cum *Augusto* Duce Guelferbytano intercessit, primumque Brunsvigæ, post, cùm Electores Colonienſis & Brandenburgenſis, Sueciæ denique rex, qua Dux Bremenſis, & ipſi arbitros ſe gerere cœpiſſent, Hildeſiæ, cùm diu multumque eſſet ea res agitata, compoſita eſt ita, ut tandem ſub initium menſis Septembris ei negotio ad perfectionem nihil deeſſet: in quo etſi Franciæ Adminiſtri aliique aliorum Principum, & ipſi interceſſerunt; noſtri tamen fraterna conſilia efficaciſſima fuiſſe credibile eſt.

Ea re auctoritas noſtri incrementa utique cepit, quo nomine inde ab hoc tempore in ſocietatem negotiorum publicorum, tum Europæorum, tum Germanicorum inprimis, ordinandorum venit, unde ipſi ſuiſque magna utilitas manabat.

Menſe Octobri, cùm conveniſſet inter Duces Brunſvicenſes Hildeſiæ de ſucceſſione imperii, Legatus Regis Angliæ Iburgum venit, propter bellum, quod illi regi cum Belgis intercederet, ut mandata Regis ſui curaret. Noſter autem in eo verſatus eſt, ut impediret, ne bellum, quod inter Ordines Belgicos, & Epiſcopum Monaſterienſem, qui fœdere ſibi junxerat Regem Angliæ, ortum eſſet, latiùs ſerperet, inque fines Imperii, aut ſuas terras propagaretur. Itaque etiam ei conſentaneum viſum eſt ſecuritatis cauſſa cum tota Aula ſua in Metropolin Oſnabrugam concedere, ſibique ea in urbe ædes, ſuis ſumtibus magnificas exſtruendas curavit.

Cùm porrò Elector Palatinus eo tempore graviſſimas controverſias cum Duce Lotharingico viciniſque aliis Principibus haberet, noſter illum, ut Conjugis ſuæ Fratrem auxilii ſui expertem eſſe noluit, prætereaque effecit, ut iſtæ controverſiæ dirimerentur.

Interea *Georgius Fridericus* Comes, poſt Princeps, Waldeccenſis una cum Legato Batavo Ordinum ſuorum nomine cum noſtro ejuſque Fratre Duce Zellenſi menſe Decembri Nienburgi fœdus quoddam fecit, ex quo illi noſtri copias auxerunt. Menſe Aprili anni ſequentis Cliviæ, interventu Principum quorundam, nec excluſa Domo Brunſvicenſi, materia diſcordiarum ſublata eſt.

His ita ſedatis civitas Bremenſis ſeditionem movere viſa eſt, quæ, ne erumperet legationibus & conditionibus propoſitis tentatum eſt, quarum pars fuit Legatus noſtri, quibus tandem effectum, ut conveniret inter Ducem Suecicum & civitatem die XV. Novembr. CIↃIↃCLXVI. atque ita paci in illis terris conſultum eſt.

Sed alibi mox bellum exarſit. Cùm enim Franci anno CIↃIↃCLXVII. expugnatis multis urbibus munitiſſimis in Belgium Hiſpanicum invaſiſſent, Noſter æquè ac Electores & Principes alii, ablegavit, qui conventui Colonienſi intereſſent, qui omnes in eo conſenſerunt, ut ad Imperatorem Franciæ & Hiſpaniarum Reges legatos mittendos cenſerent, noſterque ſibi paſſus eſt imponi, ut pacis revocandæ gratia legationem Hiſpa-

Hiſpanienſem curaret; Hagæ Comitum etiam unà cum *Georgio Guilielmo* fœdus cum Daniæ Rege, Electore Brandenburgico & Ordinibus Belgicis ad otium & concordiam conſervandam & revocandam d. xv. Octobr. clɔlɔclxvii. faciendum curavit; poſtea autem, ut fœderi accederet, quod à tribus Principibus ejuſdem nomen ſortitum eſt, &, ut pacem quæ conveniſſet Aquiſgrani inter Franciæ & Hiſpaniarum Reges menſe Maio clɔlɔclxviii. ratam haberet, ab Anglis & Belgis invitatus eſt, quod tamen eventu caruit.

Eodem tempore noſtro cum fratribus ſuis placuit copias tranſmittere in Candiam adverſus hoſtem Chriſtiani nominis infeſtiſſimum. Ibi tum noſter, non modò ut gloriæ ſuæ conſuleret, ſed inprimis etiam Chriſtiano nomini ſubſidium ut pararet, animumque candidum Reipublicæ Venetorum, cui ſe debere putabat, præſtaret, ſeriò rem egit, ſatiſque magnum numerum copiarum Luneburgenſium Duce *Joſia*, Comite Waldeccenſi, non ſolùm in Candiam trajicere voluit, ſed ad expugnationem etiam urbis uſque, cum Reipublicæ & Chriſtiani nominis bono, intereſſe negotiis bellicis ad menſem Septembrem anno clɔlɔclxix, juſſit. Id exemplum excitavit & alios Principes Imperii, Electores etiam, qui ſuas copias Duce Luneburgico crediderunt.

Interea noſter ſuſcepit è conjuge ſua duos Filios & unam Filiam, Principes, quippe d. xiii. Dec. clɔlɔclxvi. Oſnabrugæ cum Fratre gemello, vitæ experte, in lucem editus eſt *Maximilianus Guilielmus*, anno autem clɔlɔcxlviii. d. ii. Octobr. *Sophia Carolina*, quæ nunc quidem Electori Brandenburgico collocata eſt, rebus humanis intereſſe cœpit; ſequenti denique anno menſis Octobris die tertio natus eſt *Carolus Philippus*, qui, cum omnibus carus eſſet, fortitudinis maximè nomine, juvenis adhuc in Albania defenſor Chriſtiani nominis occubuit.

Anno clɔlɔclxx. controverſia mota eſt cum Epiſcopo Monaſterienſi de poſſidenda urbe Hoechſter, ſiquidem Abbas Corbeienſis hoc ſibi jus competere, noſter autem in fide ſua eandem illam urbem eſſe, dixerunt; & armis utrimque uti velle videbantur. Ea de cauſſa Fratres noſtri & cognati Principes hieme anno clɔlɔclxxi. Hamelam convenerunt, ut communibus conſiliis ei rei mederentur; dum Principum vicinorum aliorumque interventu factum eſſet, ut compoſitionis ſpes oriretur; quo facto Bilefeldæ interim nonnullæ conditiones acceptæ ſunt, tandemque Coloniæ compromiſſo locus factus eſt.

Cùm præterea periculum imminens Imperio toti & viciniæ inprimis magis magiſque timendum eſſet, nec ſatis conſultum Domui Brunſvicenſi, nec eadem ſatis dignum videretur, antiquiſſimam urbem Brunſvigam indomitam gloriari, quippe quæ hoſtibus aliquando præſidio eſſe poſſet; viſum eſt in eo elaborandum eſſe, ut illa urbs ſubigeretur. Nec verò in dubium vocari poterat jus Ducum Brunſvicenſium in hanc urbem, aut municipales civitates Brunſviga dignitate ſuperabat. Itaque

univerſi Principes Brunſvicenſes eo conſilio veris tempore Burgwedelæ convenerunt, decretumque eſt id, quod ſibi domuique ſuæ maximè glorioſum eſſet. Nec ei decreto effectus defuit. Brunſviga enim, cùm a die XIX. Maii ad diem XII. Junii oppugnata eſſet, in ditionem redacta eſt, Principes Brunſvicenſes ſuos agnoſcens, poſteaquam aliquot ſecula immorigera fuerat, immo interdum cum hoſtibus Ducum Brunſvicenſium fecerat, eos adjuvando, cum magno illorum incommodo, oppugnata etiam aliquoties, ſed irrito conatu.

Sub finem hujus anni exarſerant controverſiæ inter Electorem Colonienſem & civitatem, ut vis hoſtilis conſecutura videretur; timendumque erat, ne periculum belli, quod Belgis è Francia tunc imminebat, ea re in Germaniam arceſſeretur. Erat enim in urbe præſidium Belgicum, & exercitus Francicus Archiepiſcopatum occuparat. Sed noſter ille unà cum *Johanne Friderico* Duce, Electore Moguntino, aliiſque, ſupra quam ſperari poterat, rem eo deduxit, ut nihil inde periculi timendum eſſet. Ita tunc illa tempeſtas disjecta eſt.

Jam antea noſter conciliator fuerat nuptiarum inter Electoratus Palatini hæredem Principem, poſt Electorem *Carolum* & *Guilielmam Erneſtinam* Principem Regiam Daniæ. Itaque cùm nuptiæ celebrandæ eſſent, noſter cum conjuge ſua, Brunſviga non diu capta, Harburgum adiit, indeque Altenavium petiit, quo Regina Daniæ Vidua cum ſponſa Filia Principe venerat. Eam igitur noſter Heidelbergam cum conjuge ſua deduxit, qui ex eadem illa, vix dum advena d. XIX. Sept. CIↃIↃCLXXI. *Chriſtianum* Filium ſuſcepit. Inde itinere in Italiam facto, proximo vere cum conjuge Oſnabrugam rediit.

Cùm igitur bellum illud exortum eſſet ineunte anno CIↃIↃCLXXII. in quo Franci unà cum Anglis, junctis ſibi Epiſcoporum, Colonienſis, & Monaſterienſis copiis, Belgium fœderatum quaſi inundarant; Princeps noſter inito cum Fratribus ſuis ad aquas acidulas Pyrmontanas colloquio, conſilia cepit publicè ſalutaria, quibus exſequendis factum eſt, ut ab incurſionibus & pervagationibus liberæ eſſent terræ Brunſvicenſes. Cùm enim exercitus Cæſareus, cui præerat *Montecuculus* legatus, ſub initium anni CIↃIↃCLXXIII. Epiſcopatum Paderbornenſem cum vicinis civitatibus Weſtphalicis occupaſſet, Ille Noſter ſua Domuſque ſuæ auctoritate effecit, ut Oſnabrugenſis Epiſcopatus ſimilem fortunam parum experiretur: quod idem factum eſt tum, cùm *Turennius* Mareſchallus menſe Octobri anni CIↃIↃCLXXII. ipſaque hieme anni CIↃIↃCLXXIII. imperium Romano-Germanicum invaſiſſet, ad Viſurgim etiam progreſſus, qua re Weſtphalia ex parte, inprimis quæ Brandenburgico Electori ibi parent terræ, ipſa belli ſedes factæ ſunt.

Jam quidem Princeps ille noſter, ne hoc fieret, legatis variè miſſis, prohibere tentarat, cui ejus conſilio non ita multo poſt ſatisfactum eſt, Circulo illo Weſtphalico è pace, quæ menſe Junio ann. CIↃIↃCLXXIII. con-

convenerat, a belli moleſtiis liberato, ut etiam ſpes eſſet, fore, ut in conditiones pacis, quotquot bello confligerent Principes, coirent. Ea autem tum irrita fuit, ſiquidem Franci porrò in ipſa viſcera Imperii ſævierunt. Quamobrem Imperator Romanus ſeriò magis negotium belli aggreſſus eſt, Regique Hiſpanorum viſum fuit Octobri menſe anno CIↃIↃCLXXIII. Francis bellum inferre.

Interea cœptum eſt de pace agi menſe Junio ejuſdem anni, interventu quidem Anglicorum pariter ac Suecicorum legatorum, quo etiam noſter ille miſerat, qui cum legatis Moguntinis, Neoburgenſibus, Haſſiacis, tum ibi, tum alibi conſilia de pace agitarent, donec menſe Maio anni CIↃIↃCLXXIV. omnia illa conſilia abjicerentur.

Menſe Septembri anni CIↃIↃCLXXIV. natus eſt noſtro Principi Filius Junior *Erneſtus Auguſtus*, Dux Brunſvicenſis ac Luneburgenſis.

Eodem anno Electoratus Palatinus aliique Principatus imperii hoſtili vi ac crudelitate ita affligebantur, ut noſtro videretur, ne ſalus Germaniæ peſſum daretur, ipſaque ejus libertas & dignitas, ut igitur videretur noſtro neceſſario coeundum eſſe fœdere cum Imperatore Romano Hiſpaniarum Rege & Belgii fœderati ſummis Ordinibus, & adſtipulandum iiſdem conditionibus, quæ jam ab *Georgio Guilielmo* & *Rudolpho Auguſto*, Ducibus Sereniſſimis Hagæ Comitum ſolemni formula ſancitæ fuerant.

Adhuc quidem Elector noſter prudentiſſimum ſe Principem geſſerat, ſed ab eo tempore non minus excellentem ducem bellicum ſe præbuit. Cùm enim Imperii Ordines bellum Franciæ inferendum ſtatuiſſent, ille ſuis copiis, quæ adverſus hunc Germanici nominis hoſtem ducerentur, ipſe præfuit, adſcitis etiam Zellenſibus & Guelferbytanis copiis, quibus noſtri Frater & ipſe præfuit, eæque copiæ ad Coloniam Agrippinam menſe Junio Rhenum tranſierunt, in Germania inferiori, ut a principio viſum fuerat, bellum geſturæ; ſed rejecto hoc conſilio conſultius exiſtimatum eſt, ſi peculiari expeditione ad Rhenum, quem Medium dicunt, hoſtis turbaretur, Trevirique urbs oppugnaretur, quæ biennio abhinc hoſtilis ditionis fuerat; partim ut Domino vero poteſtas fieret redeundi in ſedem ſuam, partim verò etiam, ut Lotharingicas terras appropinquarent. Itaque par illud Fratrum Sereniſſimorum cum exercitu prope viginti millium, maximam partem ſuorum, ad finem menſis Julii Treviros, cui urbi præſidium erat ſex millium, oppugnare cœperunt. Id conſilium potiundorum Trevirorum irritum reddere *Crequus* Mareſchallus Francicus cum ſatis magno robore exercitus Francici tentavit, haud procul à ponte Kunzico, quo Saara fluvius tranſitur, caſtris opportunè collocatis. Ea re nunciata Ducibus noſtris, conſilia extemplo inita ſunt ipſis calendis Auguſtis, quæ eo pertinebant, ut ſine mora in hoſtes impetus fieret, omnia alia ſentientibus pleriſque, qui cum illis erant, ducibus bellicis.

Cùm enim Principes illi noſtri exiſtimarent, non ſine periculo oppugnationem porrò inſtitui poſſe, imminentibus copiis hoſtilibus, quæ ſingulis diebus augeri poſſent, præſertim cùm præſidium ſatis ſumum urbi expugnandæ ineſſet; abſtinere autem ſe a conſilio expugnationis, hoſtibus vix conſpectis, ignominioſum ſibi putarent; hoc tamen ſecuti, quod ipſos fugere adeo perſpicaces non poterat, ut, ſi hoſtes nimium ſibi confidentes, nec impetum noſtrorum veriti opprimerentur, nullam autem tempus conſiſtendi, aut arcendorum auxiliorum relinqueretur, ut, inquam, ſpem victoriæ non vanam adeſſe crederent: non magis illi prudens quàm ſalubre conſilium illud ceperunt, idque perquam celeriter ſapientia ſua fortique animo nixi executi ſunt.

Cùm primùm igitur Saaram flumen tranſmittent noſtri, tanta quidem celeritate, ut perterrito hoſti & tempus deeſſet, & animus & conſilium arcendorum noſtrorum; ita in eum impetus factus eſt, ut, licet vincere ſuetus, à copiis noſtris collectitiis, quod non putarat, funderetur. Interea præfectus Præſidii Trevirenſis cum magna parte ſuorum impetum in noſtros, quorum ſex millia ad urbem remanſerant, ſed irrito conatu, fecit, in qua ille expeditione in foſſam unà cum equo ſuo præcipitatus periit. Exercitus autem hoſtilis, ut de prælio paucis dicam, ita fuſus eſt, ut propemodum omnes ejus duces vel capti eſſent vel interfecti, militum pauciſſimi fuga ſalutem invenerint, tormentis, impedimentis, ſignis omnibus omnino in prælio relictis; ut præliorum & expeditionum, quæ in toto illo bello ſuſceptæ ſunt maxima & feliciſſima dici debeat. Ceterùm *Crequus* Mareſchallus Treviros Aſylum petiit, cujus urbis oppugnatio intentis viribus continuabatur, dum ejuſdem menſis die xxv. expugnata eſſet, in qua cum reliquis captivis noſtri *Crequum* etiam illum acceperunt.

In hac expeditione filius Electoris noſtri deſideratiſſimi natu maximus, quem nunc Dominum noſtrum veneramur, primum caſtra ſecutus eſt, nunquam ille parentem ſuum non ſecutus, quippe ceteris etiam ejuſdem expeditionibus ſemper interfuit.

Ita rebus feliciter geſtis, quamvis cuperet noſter, ut perſequi victoriam ſuam, inque hoſtium fines ingredi ſibi liceret, fieri tamen nihil minus potuit, tum, quia exercitus Cæſareus commorari trans Rhenum ſuperiorem non potuerat, tum quia utrique noſtrorum Principum neceſſitas impoſita erat cum pleriſque ſuorum Patriæ celeriter repetendæ, ne a ſe negligerentur, quæ propter bellum inteſtinum in vicinia coortum partim ad ſuam ipſorum, partim ad vicinorum Principum ſalutem ac felicitatem pertinerent.

Anno ſequenti tamen iterum Germaniam inferiorem noſter ille adiit, & amore boni publici militum numerum, quem ex pacto ſiſtere oportebat, aliquot legionibus auxit, indeque cum hac manu ſua ad finem belli uſque omnibus ſingulorum annorum expeditionibus una

cum

Digitized by Google

cum Principe Arauſionenſi, cui nunc Regi Britannia paret, interfuit.

Menſe Julio anni ejuſdem pars fuit oppugnationis Maſtrichtenſis, multumque præſtitit qua illa urbs Maaſa fluvio alluitur. Verùm cùm in diverſas partes abirent, conſiliarii artifices, plurimiſque morbis exercitus infeſtaretur, militum numero ea re valde diminuto, abſtinere ſe a conſilio expugnandæ urbis viſum eſt, præſertim cùm ad finem menſis Auguſti appropinquarent, qui laborantibus in urbe ſubſidio eſſent. Ceterum hoc boni tamen habuit hæc oppugnatio, quod arci Philippinæ ſatis conſulere hoſtis non poſſet, quippe quæ urbs munitiſſima ſequenti menſe ab legato Imperatoris duce Lotharingico recepta eſt.

Jam, etſi noſter nihil paſſus eſt in ſe deſiderari, quod inſtituere potuiſſet ad hoſtem atterendum, quin potius neque ſibi, neque filiis ſuis, nedum militibus, tum in hac, tum in ſequentibus expeditionibus pepercerit, ſumtibus etiam, ſupra quam debuerat, factis, ſecutus quippe publicum magis bonum, quàm ſuum: evenit tamen difficultatibus, quas ſuperare non licet, quotieſcunque a plurimorum ducum arbitrio pendent res bellicæ inſtituendæ, ut adverſus hoſtem omnibus rebus inſtructum parum feliciter nec ſatis celeriter pugnaretur.

Anno CIↃIↃCLXXVII. interfuit noſter unà cum ſuis militibus oppugnationi urbis munitæ, quæ a Rege Carolo (*Charleroy*) nomen habet, in qua relinquenda auctore noſtro ceteri duces exercitus hoc ſequebantur, ut prælio hoſtem peterent: ſed id conſilium poſtea parum ratum viſum eſt. Proxima æſtate eaque ultima, quæ hoc bello gerendo conſumebatur, anno CIↃIↃCLXXVIII. hoſtis ab exercitu fœderatorum, in quo noſter, uti alias, ipſe præfuit ſuis, ad fanum *S. Dionyſii*, non procul ab urbe Bergenſi in provincia Hennegavio, menſe Auguſto, ita prœlio affligebatur, ut niſi nuntius allatus eſſet de conditionibus pacis Franciam inter & Belgium, multum inde lucri expectandum fuiſſet. Erant enim Elector Brandenburgicus, Duces Brunſvicenſes aliique Fœderati, nunc quidem a tergo planè liberi, poterantque omnes ſuas vires Franciæ opponere; præterea videbantur Angli in eo eſſe, ut bello intereſſe vellent, qua re mutata rerum facies tota fuiſſet, ſi modo adhuc ſuſtinere ſe Fœderati nec pacem nimis celeriter arceſſere voluiſſent.

Cùm anno CIↃIↃCLXXV. Noviomagi, mediantibus Anglis, de pace facienda in univerſum deliberaretur, noſter etiam per Legatum ſuum ei negotio præſto fuit. Præterea videbatur utilius eſſe Reipublicæ, ſi conjunctis viribus bellum continuaretur potiùs quàm pax inter ſingulos fieret, quod timendum erat. Itaque noſter ille per ſuos eam rem inprimis urgere ſæpius inſtituit. Verùm prævalebat pacis cupiditas, qua plerique incenſi erant, unde noſtro acquieſcere placuit.

Paullo poſt, quàm inter Franciam & reliquos Principes de pacis conditionibus convenerat, turbæ ſe quædam anno CIↃIↃCLXXIX. moverunt, quæ ad urbem Hamburgum pertinerent. Ibi tum noſter etiam de copiis

ſuis

ſuis quaſdam appropinquare vicinas regiones juſſit, effecitque una cum aliis, ut Novembri menſe ejuſdem anni Pinnebergæ res componeretur, excluſo turbarum omni metu.

Ita rebus pacatis placuit Deo, noſtrum novis principalibus muneribus ornare, *Joanne Friderico*, Fratre noſtri, cùm in Italiam profectus, Auguſtæ Vindelicorum decubuiſſet, ex morbo paucorum dierum d. XVIII. Decembr. anno CIↃIↃCLXX.X. mortuo. Exuviæ Beati principali comitatu inde arceſſebantur, & omnis generis honores iis Hanoveræ d. XXI. April. CIↃIↃCLXXX. ſolemni pompa funebri tributi ſunt, quo ipſe paullo ante cum tota aula noſter venerat, a quo tempore ſedem ibi perpetuam habuit, ſibique d. XII. Octobr. ſacramentum dici juſſit.

Vix dum ſuſcepto hoc novo regimine turbæ iterum eæque permagnæ timendæ erant. Rex enim Franciæ pace illa non diu compoſita, *Reuniones*, quas dixit, inſtituit, contra quas pugnabant Ordines Imperii. Itaque utrimque placitum eſt, ut Legati Francofurtum ad Mœnum convenirent, noſtroque, Imperii nomine, mandata commiſſa erant, quibus ut ſatisfieret, legatus ejus anno CIↃIↃCLXXXI. eo ſe contulit. Franciæ autem Rex, cùm interea perrexiſſet eadem via, quam ingreſſus erat, Argentoratenſi urbe etiam Septembri menſe capta; noſter animum libertatis ſtudioſum in illo conventu oſtendit, cenſuitque inhibendum eſſe expeditionibus iſtis, gravaminum diſcuſſionem inſtituendam, quæque eo pertinerent curioſe comparanda; exiſtimare enim ſe parum honorificum, tum apud eos, qui nunc viverent, tum apud poſteros, fore, immò religioni ducendum eſſe, ſi Ordines tot Imperii ſine ope deſerti proderentur, & peregrino imperio inſererentur. Itaque ſublato tandem Novembri menſe anno CIↃIↃCLXXXII. illo conventu, reliquæ deliberationes Ratisbonæ inſtaurandæ viſæ ſunt.

Anno CIↃIↃCLXXXI. ſub initium æſtatis hoſpitio exceptam noſter ſororem ſuam Reginam Daniæ viduam, cum filio *Georgio* Principe Regio, ad acidulas Pyrmontanas tendentem proſecutus eſt; ubi Elector Brandenburgicus & *Georgius Guilielmus* unà fuerunt. Sed & Electrix Palatina eodem venerat, & reduce Regina Hanoveram, quo & Electrix Saxonica venerat, utraque Electrix, unà cum Principe Regio Hanoveram convenerunt.

Anno CIↃIↃCLXXXI. & ſequenti imminebat his terris a contagione metus, quæ ex Oriente Vindobonam indeque per Bohemiam & Saxoniam ſuperiorem tandem ad Hercyniam ſylvam manarat. Sed juvante Deo curaque diligentiſſimè adhibita ibidem illa peſtilentia ſubſtitit.

Menſe Junio anni CIↃIↃCLXXXII. Imperatorem Romanum inter & Ordines Imperii ad confirmandam revocandamque concordiam & ſecuritatem Laxenburgicus tractatus, qui dicitur, factus eſt. Ibi tum noſter, ut ex pace Weſtphalica & Noviomagenſi pacata omnia manerent, d. XIV. Januar. CIↃIↃCLXXXIII. Vindobonæ cum Imperatore tranſegit, ita ut in

ſe

Digitized by Google

ſe ſuſciperet, quod commodum Imperio eſſet, decem millia ſuorum militum ſiſtere; eodemque anno cum Circulis & Ordinibus Imperii, qui jam Laxenburgico Tractatui acceſſerant, conſilia iniit defendendæ rei communis.

Hoc & ſequenti anno multa mala tum ex vicinia, tum aliunde eaque graviſſima imminere videbantur. Quare Duces Brunſvicenſes exercitum ſeptem & viginti millium alere cogebantur, e quibus noſtro quinque millia equitum, peditum autem decem millia ſacramento addicti erant. Neque enim ſolum Turcæ bellum ad Vindobonam uſque propagarant, quo magna pars exercitus Imperialis ipſorumque Ordinum abierat, unde nec reditus mox, durante illo bello dabatur; ſed timendum etiam erat periculum e Francia & Septentrione, cui a noſtro ceteriſque in hoc tractu Principibus obviam eundum erat, nec tamen per abſentiam copiarum obviam iri poterat; ut in ſummum res adducta diſcrimen, præſertim dum Vindobona oppugnaretur, omniumque rerum everſio metuenda videretur.

His talibus temporibus noſter ille dubium videri poteſt, conſtantem ne & imperterritum animum magis, an ingenium divinum omnibus probarit, ſi quidem neque promiſſorum illecebris, neque minarum denunciationibus a recto tramite averti nullo modo potuit. Itaque noſtro inprimis debebatur, quod animo ceteri non planè ceciderunt, nec diſcordia nata eſt, ſed quod amiſſa conjunctis viribus recuperata ſunt, quibus tandem temporibus noſter ſupervixit.

Itaque per Legatos ſuos, quos intereſſe voluit Conventui Sociorum Hagæ Comitum inſtituto, anno CIↃIↃCLXXXIV. generoſa conſilia ſuaſit, minimeque probavit inducias in viginti annos Conventui probatas, nec Ratisbonæ rejectas, quippe hoſtibus interea omnia, uti tenebant, relinquebant. Sed quando, animis diſtractis, quæ e republica eſſent, non planè obtineri poterant; in eo tamen, cur acquieſceret, habebat noſter, quod nec omnes tamen provinciæ a Francis Reunione ſua petitæ, & alia, quæ dignitati imperii adverſarentur, minùs facta, immò prohibita ſunt.

Eodem circiter tempore contigit noſtro *Sophiam Carolinam* Principem Filiam ſuam Electoratus Brandenburgici tunc Heredi, nunc Principi, collocare; quæ nuptiæ d. XXVIII. Septembr. a. CIↃIↃCLXXXIV. Herrenhuſæ celebratæ ſunt.

Inſequentis anni menſe Majo diem obiit *Carolus*, Elector Palatinus, qui noſtrum Electorem pariter ac Brandenburgicum, Landgrafium item Haſſiæ Caſſellanum, voluerat exequi, quæ teſtamento ſuo caviſſet. Nec defuit officio noſter, ſed & hoc nomine & conjugis ſuæ, inprimis cùm Franciæ Rex, Principis Orleanenſis nomine, quæ Electricis demortuæ ſoror fuerat, hereditatem ſibi quandam, tanquam illa legitima

heres fuiſſet, venire voluiſſet; hoc igitur duplici nomine legatos Heidelbergam miſit, ac diligentiſſimè curavit, ut in Eccleſiaſticis & Politicis omnia ritè ordinarentur.

Induciis cum Francorum Rege factis, copiarum ſuarum partem adverſus Turcas ſtipendia facere conſtituit, miſitque quinque millia in Hungariam, quæ Imperatori auxilio eſſent. His pariter ac ceteris auxiliis Domus Brunſvicenſis præfuit Princeps tunc juventutis noſtræ, nunc Dominus noſter. Hæc decem millia, unà cum mille equitibus, quibus jam ante Frater hujus noſtri Electoris ibi præfuerat, æſtate illa munitam urbem Neuheuſel expugnarunt, eique prœlio interfuerunt, quod ad Granum oppidum hoſtibus pernicioſum erat.

Immò ſequentibus mox annis univerſum nomen Chriſtianum fortiter juvit idem ille noſter miſſis in Moream prope ſex millibus ſuorum, qui Venetis ſubſidio eſſent adverſus Turcas. Et fuerunt magno illis adjumento in expugnandis urbibus pariter ac victoriis reportandis. Ibi tum *Maximilianus Guilielmus*, tertius tunc Filius Princeps Brunſvicenſis, tribunus militum interfuit, commutato mox hoc dignitatis gradu, cum alio, qui eſt in eodem genere, gradus proximè ſuperior, ſed in Venetorum exercitu, nec, niſi aliquot elapſis annis, eo ſe abdicavit.

Auguſto menſe anno CIↃIↃCLXXXVI. novis turbis locum fecit Hamburgum, quas quidem, ut opprimeret noſter aliiſque periculis caveret, ipſe in viciniam conceſſit, adſumto ſatis magno militum ſuorum numero, in quo non modò fratrem, ſed alios quoque Principes adjutores habuit; ut tandem ſub initium menſis Octobris omnia componerentur.

Sequenti anno ſubinde in eo elaboravit noſter, ut controverſiæ, quæ inter Daniæ Regem & Holſatorum Ducem Gottorpienſem agitarentur, itidem diſſolverentur.

Ac ſtatim ſubſecutum eſt hoc ipſum bellum, qui finis noſtro bellandi fuit. Franco-Galli enim *Philippi* arce oppugnata ſub finem æſtatis anno CIↃIↃCLXXXVIII. ad Danubium uſque & in Franconiam arma ſua contulerant. Cùm igitur periculum oſtenderetur amittendi utriuſque circuli, qui dicitur, Rhenani, idque permagnum; animi autem & virium vix ſatis eſſet ad idem periculum amoliendum, omnibus propemodum opibus in Hungariam & Belgium translatis: noſter rogantibus, Electore Trevirenſi & Haſſorum Landgratio Caſſellano non modò in locum præſidiorum Haſſiacorum, quæ ex oppidis ſuis ad confluentes ſeſe contulerant, ſuos milites ſuccedere juſſit, ſed effecit etiam, ut Magdeburgi quàm primùm colloquendi facultas ſibi fieret cum Electoribus Saxonico & Brandenburgico, Haſſorum denique Landgratio Caſſellano, qui omnes conſilia ceperunt ejuſmodi, quæ ad arcendum impetum hoſtilem pertinerent. Ex his noſter adſumtis octo millibus, ad Rhenum, qui medius dicitur, contendit, quod idem factum eſt a

cete-

ceterorum illorum Principum copiis, qua re factum eſt, ut, etiamſi Arci Philippinæ aliiſque oppidis Palatinis auxilium ferri non poſſet, hoſtes tamen arcerentur, ulterius progreſſuri, confluenteſque & Francofurtum obtinerentur.

Hieme conſecuta, noſter relicta ſuorum ad Rhenum dimidia parte, reliquos ſubſequi ſe in patriam voluit, eorumque numerum ad octo millium adauxit. Jam verò terris ſuis & Reipublicæ Germanicæ proficuum videbatur eſſe, ſi turbæ Daniam inter & Holſaticam Domum Gottorpienſem ortæ ſedarentur. Itaque noſter veris tempore anno CIↃIↃCLXXXIX. ſatis magnam ſuorum manum Albi admovit, quod itidem factum ab Suecorum Rege, & *Georgio Guilielmo* Duce; Deoque favente tantum profectum eſt, ut per conditiones Altonavienſes, quæ noſtro ex parte debentur, Holſatorum Dux Gottorpienſis reſtitueretur.

Ita duplici beneficio patria communis Germania a noſtro affecta eſt. Ejus enim Filius natu major præfuit octo millibus militum Brunſvicenſium utriuſque Domus, per oppugnationem urbis Moguntinæ. Ipſe autem octo millia ſuorum conditionibus Altonavienſibus perlatis, ex fœdere cum Hiſpaniarum Rege facto in Brabantiam duxit, ſiquidem verè profecti erant.

Cùm verò interea exercitus hoſtilis, trajecto Rheno in Sueviam irrupiſſet, periculumque Circulo Bavarico immineret, in eo denique jam eſſet, ut ab oppugnatione ſe abſtinerent: Electores Saxonicus & Bavaricus, Legatus denique Imperatoris, Lotharingiæ Dux litteris & nuntiis e caſtris Magontiaco imminentibus, ad noſtrum miſſis, impensè rogaverunt Legato alio Imperatoris ipſius adjuti, ut revocatis ſuis militibus, quàm celerrimè poſſet, Magontiacum eos petere vellet; in quo noſter ſtatim petentibus ſatisfecit, nec ipſe eam expeditionem detrectans, cui cùm intereſſe cœpiſſet, factum eſt, ut urbs illa ipſis calendis Septembribus ſeſe dederet.

Ita rerum facie mutata illæ noſtri copiæ, quæ in Brabantiam contendere cœperant, ut & ceteræ ejuſdem copiæ, quæ ab initio oppugnationi interfuerunt, duce Principe ſuo eodem perrexerunt, aliquot in ipſo itinere dimiſſis legionibus, quæ Electori Brandenburgico, in oppugnanda urbe Bonnenſi occupato, auxilio eſſent, tum ad finem uſque oppugnatio perducta eſſet, hoc eſt, ad diem ſecundam menſis Octobris. Enimverò jam ante aliquot annos inſignibus noſtri meritis in univerſam patriam deſtinata erat Electoralis dignitas, cujus rei mentio iterum ab Electoribus injecta nec Imperatori diſplicebat. Cùm igitur Auguſtæ Vindelicorum anno CIↃIↃLXXXIX. ſub finem æſtatis Electorum conventus ob eligendum Regem Romanum futurus eſſet; ita quidem, ut & Imperator & plerique Electorum ipſimet eo ſe collaturi eſſent: nec noſter abeſſe ratus, per legatos hoc opus ita inſtituit, ut ſuffragan-

tibus pleriſque Electoribus Imperatori novus Elector probaretur. Quamquam tum quidem res planè perfecta non fuit. Fieri enim non poterat, ut, coronatione Regis die xxv. Januarii cIↃIↃCLXXXX. facta, diutius commorarentur.

Eodem anno magna clades illata eſt Domui Electoris Noſtri ereptis e vita duobus ejus Filiis altero & quarto loco natis, quorum hic primo, ille autem ultimo anno in exercitu Imperatoris nomen Chriſtianum defendentes occubuerunt. Et *Carolus* quidem *Philippus* in Albania haud procul a Priſtina ipſis calendis Januariis adverſus Tartaros pugnans cecidit: *Fridericus Auguſtus* autem in Tranſſylvanis ad Fanum Sancti Georgii die xxx. Dec. anguſtias viarum obtenturus interfectus eſt.

Ejus anni menſe Maio Princeps Filius natu maximus cum aliquot adhuc legionibus in Belgium Hiſpanicum contendit, eaque æſtate undecim millibus copiarum paternarum præfuit. Autumno autem illæ ipſæ reduces factæ ſunt, ſiquidem conditionibus ſatisfactum erat, nec Hiſpanorum Rex novas requiſiverat.

Anno cIↃIↃCLXXXXII. ineunte vere noſter quinque millia ſuorum in Hungariam, ut Imperatori adverſus Turcas auxilio eſſent, miſit, ubi porrò etiam de chriſtiano nomine deque ſuo Principe bene meriti ſunt. Præterea *Maximilianus Guilielmus* Princeps, Imperatorius dux bellicus in Italia, ad Rhenum, & in Hungaria ſtipendia fecit, ut nunc quidem proximus a duce bellico, qui propriè dicitur, mereat, cujus exemplum *Chriſtianus*, Princeps, nuper, finitis in Belgio expeditionibus, ſecutus eſt.

Exeunte Junio ejuſdem anni convenit noſtrum inter & Magnæ Britanniæ Regem, ſummoſque Belgii Fœderati Ordines, Hagæ quidem Comitum, de mittendis a noſtro adverſus Franco-Gallos in Belgium Hiſpanorum octo millibus.

Interea cœpit inſtaurari conatus potiundæ dignitatis Electoralis, felici nunc quidem eventu; quippe Imperator eodem anno ſignificaverat diſertis verbis, & Electores cuncti, idoneis cautis ducti, & ſuperiori conſilio Auguſtano nixi, tum per literas, tum per legatos idem Imperatorem rogaverant. Itaque Ratisbonæ menſe Octobri concluſum Collegii Electoralis per majora, ut vocant, Electoratum nonum ſanxit, menſeque Decembri Inveſtitura ſuper eodem ab Imperatore Electori noſtro, ejuſque poſteris per legatos Vindobonæ impetrata eſt: qua illum dignitate omnes Reges exterique Principes, quibus cum Imperio res in bello non fuerat, nec a noſtro animus ullo pacto alienus, dignissimum habuerunt, Electoriſque nomine inſignivere. Atque etiam idem noſter menſe Decembre ann. cIↃIↃCLXXXXII. illi Fœderi Socius acceſſit, quod primum inter Imperatorem & Ordines Belgicos d. XII. Maii

Maii ann. clɔlɔcLxxxix. inſtitutum erat, ſociorum deinde aliorum eorumque potentiſſimorum acceſſione auctam.

Cùm anno ſequenti noſtri pariter atque Fratris fines per abſentiam copiarum utriuſque in Hungariam & adverſus Franco-Gallos miſſarum, non ſatis tuti eſſent, & præſidiis firmati, impediri non potuit, quin Ratzeburgum urbs oppugnatione acerrima infeſtaretur. Interim tamen exteri vicinique Principes caverunt, ne revocarentur illæ copiæ, quippe quòd cum Reipublicæ magno detrimento conjunctum fuiſſet, effeceruntque auctoritate ſua, ut illæ turbæ domeſticæ ſedarentur.

Quotquot illo Fœdere juncti erant Principes, iis verò anno clɔlɔc-Lxxxxv. in Congreſſu Hagæ Comitum, menſe Auguſto habito, viſum eſt, eaſdem conditiones porrò ſervari; in quo nec abnuit noſter.

Cum e fratre demortuo neptes a noſtro filiarum loco haberentur, pergratum ei fuit, ita volente Deo, ipſoque Imperatore conciliante, *Rainaldum* Principem, Modenenſem & Regienſem Ducem ſibi in matrimonium dari voluiſſe *Carolinam Felicitatem*, Principem, Filiam natu maximam *B. Johannis Friderici* Ducis Brunſvicenſis. Ipſæ nuptiæ per Procuratorem Sponſi Principis d. xviii. Novembr. Hanoveræ celebratæ ſunt: quo conjugio Brunſvicenſis & Eſteenſis Domus, ſeparata inde a ſeptem ſeculis, ejuſdem tamen paternæ originis, iterum copulata eſt.

Præter eas copias, quas in Belgio alebat noſter, idem anno clɔlɔc-Lxxxxvi. quatuor millia ſuorum in patriæ communis commodum ad Rhenum contendere juſſit, quamquam hi ipſi, cupiente Rege Britannorum, nec Imperatore diſſentiente, in Belgium arceſſiti ſunt, quo quidem opportuno maximè tempore venerunt, ſiquidem hoſtis in eo erat, ut Namurcum urbem ab obſidione liberaret; nec tamen potuit impedire, quominus hæc munitiſſima urbs expugnaretur.

Proximè ſuperiori adhuc anno præter illas copias adhuc ſex millia ſuorum ad Rhenum miſit, cùm ibi videretur periculum maximè imminere. Poſteaquàm autem Franci cum robore exercitus ſui in Belgium conceſſerant, iterum rogatus eſt noſter, ut ſuos eodem ſe conferre juberet, cui voluntati ſuorum ſatisfecit, eaque re effectum eſt, ut poſt expugnatam urbem Atham nihil ab hoſtibus memorabile gereretur: qui fuit idem belli finis.

Non difficilis, opinor, ad omnia reſponſio eſt. Primò agnoſcit ipſe Gallus (nam Rex loquitur) labi ſe facilè potuiſſe rerum Saxonicarum ignorantia, & credibile eſt, non Saxonem aliquem legatum adfuiſſe, ſed alium quemdam Saxonibus amicum interveniſſe apud Regem. Quanquam contingat aliquando Principes uti titulis inſolitis. Extant *Ottonum* ſingulares tabulæ, quibus ſe vocant Reges Francorum, & Longobardorum, immò Saxonum. Fuit Dux Brunſvicenſis, qui ſe principem Palatinatus Saxoniæ ſubinde ſcripſit. Itaque fieri poteſt, ut aliquando Duces Saxoniæ ſeſe Burggravios, & Altenburgenſes nominaverint, etſi fortè nihil tale extet hodie in ipſorum ſcriniis. Ad ſecundum multo facilior reſponſio eſt Gallos, & Saxones toto Orbe diverſos non eſſe, & licet contigui non ſint, poſſe tamen alterum cum alterius amicis, aut hoſtibus negotium habere: Sæpe etiam abundare tabulas fœderum, & ultra quàm neceſſe eſt, providere, & non rarò formulas ex aliis pactionibus in eas transferri quæ ſcribuntur, ſive ex more & ſtylo, ſive magis benevolentiæ teſtandæ cauſa, & honoris gratia, quàm uſus. Et facilè crediderim ſimul fœdus cum *Sigiſmundo* Auſtriaco viciniore Gallis pepegiſſe Regem, atque hoc conciliante Saxones in eaſdem leges tractos. Et jam tum novum non erat Principes Germaniæ Gallis, vel Anglis auxiliis eſſe: poterant Saxones, quod Bohemi fecerant jam ſeculo ante tertio. *Feneſtrangiorum* familia non ita ignota eſt, ac doctiſſimo *Pfannero* videtur. Notavi jam *Carolo V.* apud Gallos regnante *Borcardum*, vel *Brochardum de Feneſtrangis*, vel *Feneſtrangiis* (nam variatur) Equitem Lotharingum primarium magno loco apud Regem fuiſſe, & cum eo negotia feciſſe. *Joannem de Feneſtrangis* liberum fortaſſis ſub imperio Germanico terrarum Dominum honoris cauſa fœderi incluſum putem, cujus credo Proxeneta fuit, quanquam nec ratio alia defuit. Quidni enim Saxonici auxilia in Alſatiam, aut vicinam ei Lotharingiam venire poſſent? Quartò, tantum abeſt fœdus abhorrere a conditione temporum, ut potiùs egregiè conveniat cum facie rerum, quam hiſtoria nobis oſtendit: ſcilicet Rex Galliæ in *Renati* Lotharingi (ſe Regem ferentis) gratiam eo anno 1494. Metenſes obſidebat, unde literæ Regis Nameſii datæ: filium Delphinum, Imperatoris, & *Sigiſmundi* Auſtriaci voluntate in Alſatiam, & Suntgoviam miſerat contra Helvetios, & Baſileenſes, diſturbandique Concilii gratia. Germania ſcilicet in partes ſciſſa erat, aliis Pontifici Romano, aliis Concilio Baſileenſi magis addictis. Schiſmatis

finiendi rationes quærebantur, annitentibus Imperatore, & *Sigiſmundo* Auſtriaco, cui multa cum Rege neceſſitudo, & cum Helvetiis Concilii propugnatoribus ſimultates; Ita quoque opinor viſum Duces Saxoniæ utiliter adjungi, & *Sigiſmundi* mentio eſt in tabulis. Eodem anno induciæ inter Anglos, & Gallos pactæ, in annos quinque, conſentientibus rurſus Fabulis noſtris, quæ faciunt ſpem pacis. Denique nihil ſic video, quod non ad decus, dignitatemque Saxonum pertineat, nihil quod non gratias pro editione mereatur, nihil quod refutari intereat a *Pfannero*, nihil quod fixiſſe Gallum operæ pretium eſſet. Itaque ſuppoſitionem illis hoc loco improperanti meritò opponas *Caſſianum* illud: cui bono? Si tales nobis gratias referunt, quos beneficio diſtinctos crederes, quid facient, quibus ingrata eduntur? Egregione ad Rempublicam laborem ne mœrendam incitamento? nos aliter longè animati ſumus ſi nobis V. C. præſtat, qualia Saxonibus ego, poterit non ſimplices gratias expectare. Tantum intereſt, cui benefacias, aut potiùs, quis ſit beneficii interpres.

Proceſſit deinde etiam ad operis inſcriptionem reprehendendam, neque hic paulo minùs rem ſuam agat. Inſcriptio fateor, a me eſt, & ſi quid in ea peccatum eſt, peccatum eſt meum. Sed poteram tamen permiſſa cuique judicandi libertate naturali, ſilentio tranſire, cenſuram paulo affirmatiorem, quàm ſolet inter χάριτας præſertim in ipſo notitia aditu. Nationis literatæ vitium, quo ſibi moleſti, aliis contempti fiunt, emendare noſtri ſimilium eſt, agamus potiùs inter nos moderatè, ſuaviter, & ſi placet, amicè, ego ſi alia haberem contra ipſum, non reprehenderem decretoriè, ſed proponerem dubitanter, & quaſi quaſi gaudens refutari. Et ſciat Vir doctiſſimus, quantum diſplicet illi inſcriptio, tantum aliis probari. Vir non minùs egregius, idemque in re tabularia verſatiſſimus ſcripſit, non potuiſſe dari operi titulum ſignificatiorem, & ut ait, magis ſpecificum. Tantum homines judiciis variamus, ſed videamus quid culpet, egoque tot annos pene ab adoleſcentia cum ſummorum adminiſtrorum applauſu in jure gentium colligendo verſatus, nunc age a Cl. *Pfannero* diſcam, quid jus gentium ſit, nam & diſcendo ſeneſcere nos debere dicebat ille, nihil eſt quod faciam libentius, aut crebrius, ſuetus ſemper ultra tendere meditando. Peccatum in eo dicit, quod in Codice juris gentium diplomatico inſerantur pactiones inter duos, pluresve ejuſdem gentis: Hæc qui ad jus gentium referat, novi juris ſe conditorem ferre. Si peccatum tam grande, ſcilicet faterer, veniam facilè ſperarem ab hoſte erudito. Immo vellem ſæpe hic peccari, neque ullorum magis mihi ſuperfluæ videntur cenſuræ, quàm qui egregia alieno loco ab auctore data queruntur: veluti ſi quis piſcatum invitatus, etiam carnes in prandio apponi indignaretur. Si mihi in mentem veniret addere tomis ſequentibus magnorum Epiſcopatuum, nobiliumve quarundam Abbatiarum fundationes. Imperatorum, Regum, aliorumque virorum magnorum

gnorum epiſtolas, cognata juri gentium habentes, ego mihi titulo libri manus ligatas non putarem, ſcilicet digna hæc viſa, quæ non perirent, & per occaſionem adjecta, quando nondum quiſquam inter eruditos finium regundorum manus publico ſuffragio ſuſcepit, nec tam grave eſt librorum quàm agrorum terminos movere; præſertim cùm de collectione agitur, ubi (ut in digreſſionibus) materiarum explicatio interturbatur, & quæ cuique diſplicent, impunè tranſiliuntur. Sed nunc quidem non admodum opus habeo hac defenſione. Tela prævisa faciliùs vitantur, & huic certè objectioni dudum ipſe occurri in præfatione, jus gentium non verſari inter plures gentes, ſi id plerumque fiat, & a potiſſimo ſumta denominatio ſit: Sed ſufficit inter eos eſſe, qui perſonam juris gentium habeant, id eſt qui partem capiunt de ſumma poteſtate. Ita fiet, ut populorum etiam leges fundamentales huc referam, nec jura in Regno ſuccedendi è potius excluſit, nec alius quiſquam omiſit, niſi qui mutilare hanc doctrinam voluiſſet nobili parte. Nec refert hoc loco, an illi, qui fortè de ſceptro contendunt, ex eadem ſint natione, an diverſarum gentium, aucta enim, vel imminuta regnandi jura non in uno populo, ſed latè fusè per plures gentes conſuetudine; ego ad jus gentium refero. Addit, plura dici poſſe, immò debere, ſi contentioſitas abſit: Audiam libenter, & grato animo accipiam, ut docear; ſed ea deprecor, in quibus tempus ſine profectu teratur, quæ neutrum decens. Ego potius ab inſigni viro auxilia locupletandi operis mei expecto, nec tantùm publicè profiteor beneficium, ſed & fortaſſe privatim in viam, per quæ virum egregium non pœniteat publicæ rei, aut mihi profuiſſe.

DE NUMMIS GRATIANI AUGG. AUG. CUM GLORIA NOVI SÆCULI.

DISSERTATIO.

I. *Inſtituti ratio.* II. & III. *De diverſis nummis* Gratiani. IV. *Seculum novum non cadit in annos* Gratiani. V. *De condenda hiſtoriarum ſcientia.* VI. & VII. *De Inſcriptionum, nummorum, diplomatum & codicum auctoritate.* VIII. *De notione ſeculi.* IX. & X. *De ludis Philipporum ſecularibus.* XI. *De omiſſis ludis ſecularibus.* XII. *Novum ſeculum non ſemper annum novi centenarii primum denotat.* XIII. *De nummis a* Valentio *deſcriptis, in quorum averſa parte,* ſeculum novum *extat.* XIV. *Quid ſit* gloria novi ſeculi *in nummo Gratiani?* XV. XVI. & XVII. *De interpretatione verborum* D. N. GRATIANUS Augg. Aug. XVIII. *De loco officinæ, in quo nummi percuſſi ſunt.* XIX. *Suam de nummis* Gratiani *ſententiam exponit.*

I. NOvum Seculum inivimus, quod Prutenici Regni erectione, velut ſingulari charactere, primo ſtatim menſe fata ſignarunt, durabili ſanè ornamento futuri temporis, non ut aliis proſpera pace belloque geſta, tranſitorio, aut homines magis quàm res novante. Itaque non abſurdè veteris, ſed raræ tamen nummorum Epigraphes, in mentem viris doctis venit: GLORIA NOVI SECULI, qua ſolus, quod conſtet, uſus eſt aliquoties *Gratianus* Auguſtus; etſi alio, ut adparet, ſenſu verborum & minùs concinno, quàm quo nos uſurpamus. Neque enim, ſi ad Chronologiam exigas, ullius ſub ipſo ſeculi initium adparet. Itaque nihil ultra voluiſſe credibile eſt, quàm felicem temporum reparationem. Quia tamen nuper vir egregiè doctus in Gallia iiſdem verbis, incrementa Domus Borboniæ celebrans, in alia omnia ivit,

&

Digitized by Google

& ex nummo hiſtoriam receptam in dubium vocavit, tamquam alius quærendus eſſet *Gratianus*, quàm qui hactenus legitur, Diſſertatione in eam rem conſcripta, cujus ſummam novum Dombenſe Diarium Eruditorum exhibuit; ideo rem breviter, qua licet, diſcutere placet.

II. Auctor ergo, cujus nomen, etſi inſigni doctrina & dogmate ſingulari agnoſci poſſe videatur, proditum non eſt; duos *Gratiani* nummos adfert, qui magnis in hiſtoria dubitationibus materiam præbeant & ſtudioſorum hominum curam mereantur. In priore hæc inſcriptio dicitur eſſe iconis: D. N. GRATIANUS. AUG. G. AUG. in averſa parte conſpicitur figura ſtantis & armati, qui dextra tenet labarum, in quo Chriſti monogramma, læva ſcutum; circumſcriptio eſt: GLORIA NOVI SECULI. Infra modò TCON, modò CONT. Tales nummos extare in theſauro Regis Chriſtianiſſimi, in Collegio Jeſuitarum Pariſino, in muſeo *Fulcaldi* apud Cadomum Neuſtriæ Provinciæ publicæ rei inſpectoris, quem eruditæ curioſitatis virum eſſe accepimus. His diſſertationis auctori memoratis adjicio, ſimiles nummos extare in Gazophylacio Regis Pruſſorum, deſcribente Cl. *Begero*, & in Schwartzburgico vix Regiis ſecundo, quod Celſiſſimus Comes collegit, qui Arnſtadii Thuringorum aulæ ſedem habet; unde trium diverſorum nonnihil typos mihi miſit V. Cl. *Andr. Morellus*, qui inter eruditionis nummariæ principes meritò habetur. Unum etiam reperi in Muſeo egregio Rmi. & Ampliſſimi Viri *Gerardi Molani*, Abbatis Luccenſis. Præterea paſſim ſimiles video ab Auctoribus deſcribi. Tales *Velſerus* Auguſtæ Vindelicorum repertos ait; & *Triſtanus* quoque & in Conſtantinopoli Chriſtiana *Ducangius* & in Selectis ſuis *Oiſelius* exhibent.

III. Alterius nummi, quem adfert Clariſſ. Diſſertator eadem icon & inſcriptio, ſed in tergo GLORIA ROMANORUM figuraque militis captivum ſternentis, & præterea litteræ ita diſſeminatæ $\begin{matrix} F & E & L \\ R & T & E \end{matrix}$ quod Auctori videtur eſſe Felicium Reparatio Temporum, vel, ut malim, Felix: ita enim diſertè legitur in nummis *Conſtantii* adhuc Cæſaris cum eadem figura militis & captivi, & in nummis *Conſtantis* Auguſti ejus fratris, cum Phœnice. Hunc nummum, quem alibi memoratum non invenio, extare, ait noſter in Collegio eodem Pariſino.

IV. Utrumque Auctor doctiſſimus indubitatæ quidem genuitatis eſſe adſeverat, ſed in *Gratianum*, qualis nobis ex Hiſtoriarum Scriptoribus cognitus eſt, non quadrare. *Gloriam novi ſeculi* ſignificare Principem, qui primo ſeculi anno decus quæſierit ſibi & Romanæ rei, & verba iconis eum oſtendere, quem Generum *Auguſtus* aliquis ob inſignem victoriam ab Imperii Romani hoſtibus reportatam legerit. Id enim in altero nummo indicare captivum & gloriam Romanorum. Porrò nihil horum *Gratiano Valentiniani* filio accommodari poſſe, puerum enim

nullo triumphi merito Auguſtum appellatum a patre ; & quamvis *Conſtantii* filiam poſthumam in matrimonio habuerit , conſentaneum tamen eſſe , ut ſe potiùs Filium , quod majus eſt , in nummis ferret , quàm Generum *Auguſti* præſertim dudum extincti , quindecimo circiter ante matrimonium anno. Sed nec Seculi novi initium aliquod cadere in annos *Gratiani* , nam annum 1101. Urbis conditæ , qui ſit 348. æræ Chriſtianæ , penè vigeſimum eſſe ante *Gratianum* Auguſtum & ſeptimum vel octavum ante natum , ſcilicet ſi hiſtoricos ſequamur (id enim tanquam ſibi cavens addit) : Et annum æræ Chriſtianæ quadringenteſimum primum , qui ſeculi quinti initium facit , ferè decimum ſeptimum eſſe ab eo , quem hiſtorici noſtri *Gratiano* emortualem adſcribunt : Præterea ſi ad æram Chriſtianam reſpiceretur , conſequuturum eſſe , ut per Galliam , totumque Occidentem in uſu hæc fuerit centum & viginti circiter annis ante inventorem *Dionyſium* Exiguum , qui Romæ eam excogitaſſe communi opinione habeatur ; nam *Gratiani* nummos præter unicum *Siſciæ* cuſum , quæ nunc eſt Siſſek Croatiæ , omnes ex Gallicis officinis prodiiſſe ; & nominatim illos ab auctore productos , ubi TCON & CONT ſignificent : *Tributum civitatum omnium Narbonenſium.*

V. Hæc adparet proficiſci ex paradoxis ſuſpicionibus Viri de re litteraria meritiſſimi , cujus ideò nomini parcendum cenſemus , quum ſciamus , eas a multis in peſſimam partem accipi ; quaſi pleroſque veteres , certè profanos ſcriptores ἀθέους reos faciat & inaudita cenſura Senatu litterario movere velle videatur , malo ad ſacros etiam auctores perventuro in pari , ut adverſarii putant , cauſſa. Mihi verò in melius omnia , qua licet , trahenti audacior dubitatio , vel , quod malim , dubitandi ſimulatio , tamquam jactum in medium eridos pomum , non tantùm excuſabilis , ſed etiam utilis videtur , ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥτε βροτοῖσι. Poterit enim excitare viros doctrina & judicio præditos ad condendam , quæ nondum extat , Hiſtoriæ ſcientiam , quam ita accipio , ut ipſa ejus principia muniantur demonſtrationibus , quas fert natura rei , quales vulgo moralis certitudinis eſſe dicuntur : oſtendendo ex iis , quæ nunc extant , ea quæ olim extitere : ſive ipſa ſuperſint monumenta vetuſtatis , ut ſaxa & metalla verbis figuriſve inſcripta , ſigilla item , membranæ , chartæ cœvæ rebus geſtis ; ſive ſint per imitationem repetitam ad nos delata , ut in Codicibus ſæpè tranſcriptis , in ſcripturis , quas adpellant tranſſumtas , in linguarum denique & narrationum per manus traditarum propagatione contingit ; ubi veritatis notas & gradus fidei hiſtoricæ definire magna mea opinione pars Artis Criticæ foret.

VI. Non autem veterum nummis tantùm , ſed & Inſcriptionibus auctoritas ſumma eſt : & utrius auxilii major eſſet uſus , aliquando amico certamine inter ſe contendebant inſignes & noſtro tempore principes in utroque genere Viri *Ezechiel Spanhemius* & *Marquardus Gudius* ; Quæ

oc caſio

occaſio librum de uſu & præſtantia Numiſmatum peperit, quo *Spanhemius* ſibi immortalitatem peperit, & cui debet hæc doctrina, quod nunc tantopere floret. Ex his duumviris ille pari doctrinæ & dexteritatis laude florens poſt multa ſæpe in republica bene geſta, nunc quoque a Rege ſuo ex Legatione Gallica ad Regem Magnæ Britanniæ miſſus, in mediis negotiis Grotiano exemplo de litteris melioribus bene mereri pergit. Hic Ducis Holſatiæ, deinde Daniæ quoque Regis Conſiliarius ac legatus nimia edendi mora, magna parte gloriæ ſe magno fructu ſeculum privavit. Etſi bona parte conſervatas, tandem aliquando prodituras ſperemus poſthumas ejus curas in antiquas inſcriptiones, quas non tantùm coram ſingulari ſpectantis diligentia emendatas, ſed & acerrimi ingenii vi & ditiſſimæ eruditionis præſidiis illuſtratas publico uſui parabat. Sed ut revertar ad propoſitum, vix Nummi Inſcriptionibus aut inſcriptiones Nummis palmam præripuerint. Major eſt Numiſmatum multitudo, contra inſcriptio una ſæpe plus multis nummis habet, quum integra in iis fœdera & chronicos canones perſcriptos extare conſtet. Utrumque tamen genus utilitate Scripturæ & Codicum vincitur, quibus plena artium præcepta & Hiſtoriarum ampliſſima ſpatia comprehendi poſſunt, dum ſaxis & metallis non niſi fragmenta ægrè coagmentanda neque corpori componendo ſuffectura continentur. Itaque optarim non tantùm diplomatum, ſed & codicum fulciri fidem: & ut in re diplomatica verſati ſunt eminentes doctrina Viri *Joannes Mabillonius*, & qui nonnihil præiverant *Henſchenius* ac *Papebrochius*; ita Hiſtoriam dari Criticam uberrimam Manuſcriptorum Codicum & deductorum ex illis editorum typis auctorum, prout quiſque aut prodiit ab exemplaribus, aut eſt auctus emendatuſve. Sunt enim, quæ paucis codicibus, ſunt, quæ non niſi uni debentur. Certè ſeculo XII. confictos non eſſe, qui habentur veteres, innumeris quidem argumentis evinci poteſt, neque ea res noſtræ hic eſt diſputationis; non indignum tamen memoratu puto in Auguſta Bibliotheca Guelferbytana extare magnum numerum Codicum, quos a Cœnobii Weiſſenburgenſis Abbate eodemque Epiſcopo Spirenſi redemtos *Johannes Philippus*, Moguntinus Elector, doctrina & ſapientia inſignis, donaverat *Henrico Julio Blumio*, Hanoverano, Conſiliario primum ſuo intimo, deinde in Bohemico Adpellationum Tribunali Cæſareo; unde Sereniſſimus Dux *Antonius Ulricus* Auguſtæ Bibliothecæ ſuæ quæſivit. Plerique ſcripti ſunt temporibus Carolingiorum, & ne dubites, extat in uno Catalogus ipſe antiquus Bibliothecæ Monaſterii, addito nomine Abbatis, uti hi ipſi bona ex parte recenſentur, qui nuper Guelferbytum fuere translati: quorum aſſerta antiquitate ſimul & alii multi per ipſos extra controverſiam ponuntur. Sed non eſt, quod ei rei nunc immoremur, præſtat dubitationi occurrere doctiſſimi viri.

VII.

VII. Equidem verum ſemper vero conſonat, & pauculas difficultates aliquando ex errore monetariorum aut ſculptorum natas conſentienti tot codicum fidei nemo prudens prætulerit. Itaque auctoritate aliquot numiſmatum oppugnare, quæ magno conſenſu ex Faſtis & *Ammiano* & *Ambroſio* & *Hieronymo* & *Marcellino* Comite, *Idacio*, *Proſpero*, *Zoſimo*, *Socrate*, *Sozomeno*, *Theodoreto*, ipſiſque Conſtitutionum Imperatoriarum Codicibus, Theodoſiano & Juſtinianeo, eruuntur, novumque Principem creare aut veterem movere loco, neſcio an cadere ſerio in quemquam poſſit. Nec verò ad correctionem aut lapſum monetarii confugere neceſſe eſt, quum interpretatio dudum ſit in promptu, quæ Hiſtoriæ receptæ ſatis conſentit.

VIII. Primum autem admitti neque poteſt, neque debet, quod adſumitur novi ſeculi gloriam in nummis *Gratiani* neceſſariò ſic accipiendam, ut non niſi in primum ſeculi ſeu centenariæ periodi annum cadere ſecundùm celebrem aliquam Epocham poſſit. Seculum videtur origine ſua ſeries, genuſve eſſe, ſed maximè animantium, in quibus ſequela naturalis, id eſt generatio eſt. Unde ſecula ferarum *Lucretius* dixit. Et muliebre patrio de ſemine ſeclum, i. e. ſexus idem. Deinde crediderim paulatim non ampliùs viventia, ſed vitas ſignificaſſe. Seculum enim naturale vita hominis longiſſima, ut explicat *Cenſorinus* bonus auctor libro de die natali; Civile velut per averſionem, ut loquuntur JCti, certo numero annorum definiebatur. Uti naturalis pubertas generandi facultate, civilis in maſculo quatuordecim, in fœmina duodecim annis lege circumſcribitur. Itaque veterum ſententia fuit, qua die urbes atque civitates conſtituerentur, de his, qui ea die nati eſſent, illum qui diutiſſimè vixiſſet; die mortis ſuæ primi ſeculi modulum finire, ex quo nova deinde ſimilis computatio eſſet inſtituenda; ſed quia hæc intervalla plerumque ignorarentur, portenta miſſa divinitus admonere. Quod commentum eſſe puto eorum, qui rationem primæ ludorum ſecularium inſtitutionis reddere volebant, quæ contigiſſe pleriſque videtur *P. Valerio Poblicola* & *T. Lucretio* Coſſ. anno circiter 245. ab urbe condita. Nam peſtilentia, quæ urbem depopulabatur, hanc novam religionem injecerat, ut *Valerius Maximus* habet l. 2. c. 4. & *Zoſimus* lib. 1. *Varro*que apud *Cenſorinum* addit, quum multa portenta fierent, & murus ac turris, quæ eſt inter portam Collinam & Eſquilinam, de cœlo eſſent tacta, & ideò Decemviri libros Sibyllinos adiſſent, renunciaſſe, uti Diti patri & Proſerpinæ ludi in Campo Martio fierent & hoſtiæ furvæ immolarentur, idque centeſimo quoque anno fieret. Hæc *Varro*. Tamquam Dii per hæc portenta indicarent, alterum ſeculum Romanæ urbis (id eſt, alteram viam longiſſimam) hoc anno exire. Equidem placuit, ut poſtea haberetur ratio civilis intervalli centenarii loco naturalis. Itaque *Valerius Antias* & *Lucius Piſo* annalium ſcriptor

&

Digitized by Google

& *Feſtus Pompeius*, & *Terentius Varro* Seculum hoc ſpatio clauſere, ſed non ea conſtans ſententia fuit. Equidem non ineptè quidam ſentiunt ſecundos ludos ſeculares celebratos fuiſſe anno U. C. 305. centeſimo anno poſt conditum a *Servio Tullio* luſtrum: tertios anno U. C. 505. aut circiter. Nam unum ſeculum intercidiſſe notat etiam *Auguſtinus* de Civit. Dei lib. 3. c. 8. & *Cenſorinus* ludos tertios refert ad *Claudium Pulchrum* & L. *Junium Pullum* Coſſ. Quartos *Antias*, *Varro*, *Livius* apud *Cenſorinum* adſcribunt anno U. C. 605. L. *Marcio* & *M. Manilio* Coſſ. etſi alii diſſentiant. Sed poſtea quum jam præteriiſſet annus 705. *Auguſtus* Cæſar ludos prætermiſſos revocavit fide habita Quindecimviris, qui quum ſeculum id eſt vitam 110. annis circumſcribi dicerent, computo quodam ſuo novo effecerant, ut annus Urbis Conditæ 737. ſecularis crederetur. Itaque *Onuphrius Panvinius* potiùs Quindecimvirorum auctoritatem & edicta *Auguſti*, quam ſcriptores ſibi ſequendos putans vult primos ludos ſeculares anno Urbis Conditæ 297. ſecundos anno 407. tertios anno 517. quartos anno 627. quintos anno 736. (ſed qui ex *Varronis* calculo ferè eſſet 737.) *Octaviani Auguſti* auctoritate editos centeſimo decimo non finito, ut ante fiebat, ſed inchoante. Unde *Horatio* in Carmine ſeculari tunc ſcripto ſeculum eſt:

Ortus undenos deciet per annos
Orbis.

vel ex Sibyllinis, quæ creduntur, Carminibus apud *Phlegontem Trallianum* de mirabilibus & longævis, ac *Zoſimum*:

Ἀλλ' ὁπότ' ἂν μάκιστος ἴκῃ χρόνος ἀνθρωπείοις
Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ἐλίσσων.
Bis quinque ac denis revolutis protinus annis
Quæ ſunt humanæ longiſſima tempora vitæ.

Etſi quidam carmina Sibyllina a Quindecimviris corrupta ſuſpicentur, centum ac decem annis loco centum annorum poſitis. Non autem ab ipſis prorſus conficta fuiſſe colligo, tum quod Codices vetuſtate penè corruptos tranſcribi curaſſe *Auguſtus* memoriæ proditur a *Dione*, tum quod Carmen, de quo hic agitur, ſic deſinit:

Ταῦτά τοι ἐν φρεσὶν ἦσιν ἀεὶ μεμνημένος εἶναι,
Καί σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ, καὶ πᾶσα Λατίνη
Ἀεὶν ὑπὸ σκήπτροισιν ὑπαυχένιον ζυγὸν ἴξει.
Omnia, quæ memori ſemper tu condito mente,
Sic omnis Italûm tellus, omniſque Latina
Perpetuo ſubmiſſa jugo tua ſceptra timebit.

Ex quibus conjicio ſcripta hæc Sibyllina Carmina quum nondum Ro-

mani *Philippum* & *Antiochum* viciſſent, alioquì ipſis, credo, carminum auctor potiùs Orbis quàm Italiæ Imperium perpetuum ſpopondiſſet; neque illa aut Judæis aut Judaizantibus eſſe tribuenda, ut alia, quæ *Iſaacus Voſſius* ad hujuſmodi auctores refert, res ipſa clamat. Interea agnoſcendum eſt, quidquid demum Quindecimviri judicaverint, centenarium quaſi ſacrum habitum. Itaque *Plato* volebat animas centum annis expiari; *Jupiter* apud *Homerum* legitur centum fimbriis circumveſtitus; Gigantes ejus hoſtes centimani, quæque alia *Julianus* collegit in Epiſt. ad *Serapionem*. Unde Hecatombe quoque, etſi quidam non a centum victimis, ſed a centum urbibus Peloponneſi dictum hoc ſacrificium velint. Nam & de *Pythagoræ* Hecatombe (quam diis obtuliſſe dicitur, reperto Theoremate, quod baſin trianguli lateribus æquipotentem docet,) ſcrupulus mihi injectus eſt, quod alias proditum legi, quum ſacrificandi neceſſitas ipſi impoſita eſſet, neque animal occidere vellet, bovem ex argilla feciſſe. Verùm hæc ſufficere poſſunt, ut intelligatur ſeculi adpellationem non neceſſariò centum annis definiri. Nam diſcutere omnia & litem inter *Onuphrium* cum XVviris ſentientem, ceteroſque ſcriptores judicio ſecare, non eſt noſtrum, ſed neque idem intervallum poſt *Auguſtum* Cæſarem ſervatum eſt. Sanè quum ludos ſeculares ſub Imperatoribus nummi indicent, certiores ſunt anni, quibus editi fuere. Et poterit conſuli *Occo*, quem ſupplevit *Biragus*. In Auguſti nummis, ubi ludi ſeculares memorantur, diverſæ occurrunt figuræ, modò muliebris ſpecies cum petaſo & caduceo alatis, modò, ut in nummo Illuſtriſſimi *Daviæ*, qui nunc apud Cæſarem Legationem Pontificis nomine obit, & his aliiſque ſtudiis egregius eſt, ſalius ſacerdos ſtans, dextra ancile, ſiniſtra caduceum tenens; an quòd temporis fugacitas caduceo oſtenditur, an quòd *Mercurii* virga orcum placat? Nam *Plutoni* primum ſacra ludis ſecularibus facta fuerant. *Claudius* Cæſar optimum putavit ludos ſeculares inpoſterum adligari centeſimo cuique urbis anno, & ab octingenteſimo, qui in ipſius tempora inciderat, cœpit. Sed ita ſucceſſoribus ſuis novam variandi occaſionem dedit. *Domitianus* nulla ratione habita Claudianorum ad *Auguſti* ludos reſpexit, etſi ne ſic quidem centenario vel centum & decem annorum ſtato intervallo adcuratè ſervato. Ludos enim ipſe fecit anno U. C. 841. Cujus rei rationem *Tacitus* ſcripſit proditam a ſe, in libris, quibus res *Domitiani* compoſuit, quum ipſe Quindecimvir interfuiſſet. Sed illi libri periere. *Antoninum Pium* ſententiam *Claudii* rurſus ſequutum ſtatuit *Taffinus* lib. de anno ſeculari, obſervans ex *Aurelio Victore* *Andreæ Schotti* nongenteſimum urbis annum ab eo magnificè celebratum. Sed quum nummi ſcriptoreſque ſileant, neque ipſe *Aurelius Victor* ludos ſeculares nominet, crediderim ego *Antoninum Pium*, modeſtum principem, mediam viam ingreſſum, & neque turbare legem D. *Auguſti*,

Digitized by Google

guſti, quam *Domitianus* revocaverat, neque expectationi populi deeſſe voluiſſe. Itaque inter cetera magnificentiæ documenta ludos fuiſſe, ſed non illo ritu, qui ſecularibus debebatur; a populo tamen eo nomine adpellatos, atque illuc prorſus referendam (ſi genuina eſt) Inſcriptionem, quam ut in agro Caſinate repertam habet *Herwartus*, Bavariæ Cancellarius, Vir doctiſſimus in Chronologia ſua. Ibi enim legitur *Sextus* quidam *Vitellius*, qui vixerit annos 98. dieſque præterea exegerit 18. natus anno, quo ſeptimi ſeculares ludi celebrati ſunt, extinctus, quo octavi. Quod ut explicetur, octavi non poſſunt haberi Severiani, qui 116. annis diſtant a Domitianeis. Credibile eſt ergo, Antoninianos fuiſſe intellectos, ſed pro ſextis, nempe Claudianis, ſeptimos fuiſſe dictos, ignorantia ejus, qui inſcriptionem fecit, & parum hiſtoriæ curioſus, eos qui ſeculo circiter atavos antecederent, ſeptimos credidit. Porrò ſeculares celebritates aliqua ratione ultra annum, productas credibile eſt, ut adeo & qui annum nonageſimum nonum ætatis ingreſſus erat, utriuſque ſeculi celebritati intereſſe potuerit. Ex his intelligi arbitror, Antoninianos ambiguos eſſe & magis opinione hominum & externa pompa, quam interiore ceremonia ſeculares videri. At indubitati ſunt ſub *Severo* Cæſare ludi ſeculares, nummiſque & ſcriptoribus memorantur. Etſi autem pluſquàm centum & ſedecim annis diſtarent a Domitianeis, *Herodianus* tamen inde ait abfuiſſe trium intervallo ætatum, id eſt, generationum, ſeu ſeculo; nam γενεὰν *Herodotus* facit ſeculi trientem lib. 2. Frequens ludorum ſecularium mentio eſt in nummis *Severi*, *Caracallæ*, *Getæ*. Celebrati ſunt anno U. C. 957. *Fabio Cilone* & *Annio Libone* Coſſ. qui fuit Chriſti 204. Porrò *Auguſtus* ſuos ediderat anno U. C. 737. a quibus annus 757. bis abeſt annis centum & decem. Unde manifeſtum eſt, *Severum* Quindecimvirorum ſententiam & edicta accuratè ſervaſſe, neglecta *Domitiani* exorbitatione.

IX. Sed mox *Philippi* duo exemplum *Claudii* & *Antonini Pii* magis probantes, vel potius intervalli majoris memoriam non immeritò celebraturi, millenario anno Urbis ludos ſeculares fecere. Unde in nummis IMP. M. JUL. PHILIPPUS AUG. MILLIARIUM SÆCULUM circum columnam, in qua COS. III. item COS. III. in Corona SÆCULARES AUGG. item Cippus, in quo COS. III. Alibi Lupa cum Romulo & Remo, capra Amalthea, Hippopotamus, cervus ſtans longævitate celebris, Hyæna, vel Panthera aut Leo gradiens, Ibex vel Alce, Elephas cum puero rectore, credo, quòd ea animalia in ſpectaculis exhiberentur. Virgo globum manu ferens cum inſidente phœnice: SÆCULUM NOVUM cum templo ſex, octo vel decem columnarum, in cujus medio ſedens figura Dei. Alicubi & templum quatuor columnarum, in quo arca, circum quam quinque figuræ ſacrificantes; vel apud Ill. Virum *Ez. Spanhemium* ſeptem figuræ ante aram. Ludi

autem facti ſunt decem, ipſis nummis diſtinguentibus, credo pro numero ſeculorum peractorum. Itaque magnam anni partem occupaſſe arbitror, & ſimul in annum millenarium ſeu ultimum ſeculi præcedentis & primum novi incidiſſe, ita ut annus ejuſdem Conſulatus & ſecularis eſſet & ſeculi novi partem faceret. Nam ex *Varronis* calculo annum Urbis conditæ inchoabat 21. die Aprilis. Quamquam multa hic diſcutienda eſſent, ſi locus & tempus paterentur.

X. Plerique ludos Philipporum ſeculares fuiſſe penultimos arbitrantur, uti poſtremos fuiſſe conſtat, quos *Honorius* fecit; ſed *Onuphrius*, lib. de ludis ſecularibus, ſcribit viſum ſibi Venetiis nummum, ubi GALLIENUS. AUG. & in averſa parte SÆCULARES. AUG. cum figura cervi. Mirum (ſi genuinus fuit) rem hiſtoricis præteritam, niſi huc referenda Decennia; quæ nova ſpecie pomparum, novo ludorum genere celebrata *Trebellius Pollio* narrat, quos potuit ipſe vaniſſimus Princeps, neſcio quo computandi momento, interpretari ſeculares, licet in annum U. C. 1016. incidiſſent, qui eſt Chriſti 263.

XI. *Zoſimus* memorat, *Conſtantino* & *Licinio* III. Coſſ. populum ludos ſeculares fruſtra expectaſſe, quod tunc inde a Severianis præteriiſſent anni centum & decem. Et quum centeſimus poſt milleſimum Urbis annus adveniſſet *Rufino* & *Euſebio*, & poſt *Philippo* & *Salea* Coſſ. *Aurelius Victor*, qui tunc vixit, queritur, nullis eum ſolemnibus frequentatum exceſſiſſe, adeo, inquit, indies cura minima (an? minuitur) Romanæ Urbis. Tandem *Honorius* anno U. C. 1157. Chriſti 404 ducentis annis a Severianis, ludos ſeculares qualeſcunque fieri permiſit, quod laudavit *Claudianus* in de ſexto Conſulatu *Honorii*, at *Prudentius* contra *Symmachum* ſcribens culpavit. Iſque horum ludorum finis fuit, Urbe ipſa non multo poſt capta, ac poſtremò ab Imperatoribus prorſus deſerta.

XII. Ex his intelligitur, non poſſe ſtare Viri docti ſententiam, cujus Diſſertatio nobis hujus diſquiſitionis occaſionem præbuit, qui ſeculum annis centum unicè adſtrinxit, quum Quindecimviri & qui eos ſunt ſequuti, quos inter eſt *Onuphrius*, magis centum & decem probarint, ac ne hi quidem numeri accuratè ſemper ſint obſervati. Nunc oſtendemus, nec novum ſeculum ſemper ita acceptum, ut adligaretur ad annum novi centenarii primum, ejuſque non alios quàm ipſos nummos teſtes inducemus; quorum aliqui ſub *Deciis* & paulo poſt percuſſi ſunt. Hos omnes Diſſertator eruditus anno U. C. 1001. cuſos ſeſe oſtenſurum promittit; quod tamen, quomodo ſtare poſſit, non video. Nam etſi quis contendat, *Philippos* fuiſſe trucidatos illo ipſo anno 1001. quo novum ſeculum in nummis oſtendunt, & eo ipſo adhuc anno *Decium* factum Imperatorem ejuſque conjugem Etruſcillam (in cujus nummo itidem novi ſeculi mentio eſt) Auguſtam, certè effici non poteſt,

vel

Digitized by Google

vel *Gallus* & *Voluſianus* eodem ipſo anno auſpicati principatum dicantur, quorum tamen nummi novum ſeculum itidem habent; quam *Decium* ultra biennium regnaſſe conſtet. Sanè poſt duos *Philippos* poſtremum Conſules *Fulvius Æmilianus*, & *Vettius Aquilinus* Conſulatum inivere, poſtea *Decius* & *Gratus*, inde *Decius* & *Q. Etruſcus* Cæſar ejus filius. *Decio* autem ſub exitum anni occiſo tum demum *Gallus* cum filio *Voluſiano* ſucceſſit in imperio & conſulatu.

XIII. Sed ad hos ipſos nummos veniamus, ex quibus duo deſcribuntur a *Joanne Vaillantio*, egregio noſtri temporis numiſmatographo. In uno eſt C. VALENS. HOSTIL. MES. QUINTUS CÆSAR (qui unus ex *Decii* filiis fuit) in altero HERENNIA ETRUSCILLA AUG. In utriuſque averſa parte: SÆCULUM NOVUM: & figura Dei ſedentis in templo, quod octo Columnæ ſuſtentant. Hanc fuiſſe uxorem *Decii* non videtur dubitandum, nam & nummus repertus, cujus eadem facies *Decium* & *Herenniam Etruſcillam* Auguſtam præferebat. Equidem *Onuphrius* alium protulit, in quo ab una parte *Hoſtilius* Etruſcus Auguſtus, ab altera *Herennia Etruſcilla*. Itaque *Hoſtilium Decii* generum putat, *Etruſcillam* filiam; ſed unde & *Hoſtilio* nomen Etruſci, ſi extraneus fuit? Alii malunt *Hoſtilium* filium *Decii* cum ſorore in nummo intelligi: ſed quid ſi occiſo patre & Auguſti nomen geſſerit & matrem in eodem nummo honorarit. *Zoſimus* ſanè alterum ex *Decii* filiis patri ſuperſtitem vult, & a *Treboniano* Gallo adoptatum, qui quum *Voluſianum* filium Auguſtum faceret, potuit & nurus fratrem ferre, ſi rectè conjiciunt, qui filiam *Decii Voluſiano* nuptam credunt. Denique tres Galli nummos exhibet *Biragus*, ubi ſeculi novi mentio, inſcriptos: IMP. C. C. VIB. TREBONIANUS GALLUS. In altera parte eſt SÆCULUM NOVUM, figura, quæ ante, niſi quod templum modò ſex, modò octo columnis ſuſtinetur. Unus eſt in muſeo Ill. *Daviæ*, alium exhibet *Vaillantius*, tertium in muſeo habebat *Biragus* ipſe; quemadmodum & idem habebat nummum ejuſdem figuræ ſub epigrapha novi ſeculi; ſed ubi iconi adſcriptum: IMP. C. C. VIB. VOLUSIANUS AUG. Ex quibus omnibus adparet, Imperatores aliquot annis, primum novi millenarii annum ſequentibus, adhuc novum ſeculum celebraſſe.

XIV. Quid ſit GLORIA NOVI SÆCULI in nummo *Gratiani* (neque enim uſpiam legitur) variant interpretes. Diſſertator noſter ſententiam ſatis dixit: neſcio quem *Gratianum* Auguſtum voluiſſe primum novi cujuſdam ſeculi annum inſigniri metallo ad poſteritatem: Sed tamen neque *Gratianum* ſuum, neque Epocham ſeculi ſatis deſignat, ſaltem in Excerptis ſuæ diſſertationis, quæ extare permiſit. Sed quum *Gratianum* diverſum ab eo fateatur, quem hactenus novit litteratus orbis, ipſe ſatis in ſe ipſum dixiſſe videri poteſt. *Triſtanus* & *Begerus* viri

docti Labari argumento, quod Chriſti nomen contractis litteris ſignat, Gloriam novi ſeculi *Gratiano* intellectum, putant eſſe Chriſtianam religionem jam ſine controverſia triumphantem. Quod uti præfractè rejicere non auſim, ita optarem tamen, peculiari aliquo argumento ex geſtis ſub *Gratiano* rebus adjuvari. Labarum certè iiſdem litteris inſcriptum paſſim aliis triumphis, aliis cauſſis adhiberi conſtat. Ut in *Valentiniani*, *Valentis*, *Maximi* nummis, quos exhibet ipſe Cl. *Begerus*, ut alios taceam, ubi legitur, Reſtitutio Reipublicæ; Gloria Romanorum; Victoria Augg. aliaque id genus. Neque verò admodum neceſſe eſt proprietatem verborum rigidius exigere, præſertim a *Gratiani* ævo. Poteſt Gloria novi ſeculi eſſe nova & melior facies rerum ex inſigni aliquo eventu vel parta vel ſperata. Paſſim ſeculum pro tempore aut temporis habitu accipi conſtat. Ut quum genium ſeculi dicimus; cum *Tacito* corrumpere & corrumpi ſeculum vocatur, quod hodie dicunt *la mode*. Et ſæculum aureum legitur in *Hadriani* nummo, ubi figura ſtolata ſtans in circulo ſiniſtra globum fert, cui aquila inſiſtit vel phœnix. An quiſquam ibi centenariam periodum quæret? Quid ſeculum frugiferum, vel fœcundum? quod toties legitur in nummis, veluti *Commodi*, *Pertinacis*, *Albini*, *Poſthumi*; ut annonæ proventus & rerum vitæ neceſſariarum abundantia memoraretur. Hæc de ſeculo aut novo ſeculo, ex nummis utcunque libata, ſufficere hoc loco poſſunt, plura dabunt, qui argumentum profeſſa diligentia tractavere, ut *Taſſinus* olim in libro de anno ſeculari edito, qui Lûdos ſeculares poſt *Onuphrium* digeſſit & multi nuper, qui quæſtionem de vero ſeculi noſtri initio tamquam gravem exagitavere.

XV. Nunc tollendus eſt ſcrupulus alter, quem Nummi noſtri erudito Diſſertatori injecere, is eſt in ipſa iconis *Gratiani* inſcriptione, quam ita habere diximus: D. N. GRATIANUS. AUGG. AUG. Diſſertator ita legit: AUG. G. AUG. Sed punctum inter AUG & G nuſpiam reperiſſe memini; vereorque, ut in iis extet nummis, quos ipſe vidit. Etſi alicubi apud Auctores intervallum aliquod interjectum a Chalcographo favere tantulum videatur. Ipſe ita explicat, ut *Gratianus* dicatur Auguſti Gener Auguſtus, ut *Tiberius* Divi Auguſti Filius Auguſtus. Et quia alicubi in altera facie Gloria Romanorum legitur, figuraque adjecta eſt militis captivum trahentis, concludit, paulo promtius opinor, quàm res feret, *Gratianum* illum, quiſquis eſt, filiam Auguſti & nomen victoria parta meruiſſe. Ego quidem fateor paſſim negligi diſtinctiones & puncta, ſed faciliùs ſuppleremus hoc loco, ſi alias gener aliquis Auguſti haberetur in nummis. Neque ideo tamen eſſet nobis a cognito hactenus *Gratiano* recedendum. Nam ſi extaret diſtinctio, vel ſi gener diſertè diceretur, veriſimillimum foret dicere *Gratianum* ducta filia *Conſtantii* poſthuma *Flavia Maxima Conſtantia* gene-

rum

rum defuncti licet Auguſti ſeſe in nummo libenter tuliſſe, quod glorioſum duceret Conſtantianæ familiæ per matrimonium innecti. Nam ut *Ammianus Marcellinus* ait lib. 21. cap. 15. *Conſtantius Fauſtinam* uxorem prægnantem reliquerat, unde edita eſt poſthuma ejuſque nomine (*Conſtantia*) adpellata, quum adoleviſſet matrimonii jure copulata eſt *Gratiano*. Ex eodem diſcimus (l. 26. c. 7. & 9.) *Procopium*, qui contra *Valentinianum* & *Valentem* purpuram ſumſerat, filiam *Conſtantii* infantem cum *Fauſtina* matre per Aſiam circumduxiſſe, ut homines ſibi conciliaret. Oppreſſo *Procopio*, puella deinde *Gratiano* deſponſata eſt, ad quem quum nuptura duceretur, pene a Quadis intercepta eſt, ut idem narrat lib. 29. c. 6. Quod factum anno æræ Chriſtianæ 374. Ad eum ergo vel proximum aliquem annum referendus eſſet *Gratianus* Auguſti gener Auguſtus, ſi hunc ſenſum nummo daremus. Nec qualiſcunque tunc materia defuit gloriæ Romanorum; nam præterquam quod non ſtatim par verbis res quærenda eſt ex nummis adulatoribus, quàm victorias, quum pacem ubique, quum reſtitutionem orbis crepant, quum ex muſca elephantum faciunt; conſtatque interdum in augurium futuræ victoriæ nummos cuſos: ſanè tunc præter Quados etiam Sarmatos victos repreſſoſque ibidem memorat *Ammianus Marcellinus*, quo narrante Dux Mœſiæ *Theodoſius* junior prima etiam tunc lanugine juvenis, princeps poſtea perſpectiſſimus, Sarmatas liberos ad diſcretionem ſervorum rebellium adpellatos, collimitia Romana invadentes, oppreſſit & veniam petere coegit; eo maximè timore perculſos, quòd ad tutelam Illyrici, Gallicani militis validum acceſſerat robur. Nempe quia (ut ex eodem ſcriptore conſtat libro ſequente c. 4.) cum *Macriano* Alemannorum Rege pacem pepigerat *Valentinianus*, *Gratiani* juvenis pater. De Scythis liberis & ſervis nota eſt *Herodoti* narratio, & veſtigia diſcriminis nunc quoque in nominibus locorum extare, notavit quum legatione pro Batavis apud Moſcos fungeretur Vir Ampliſſimus *Nicolaus Witſen*, ut ex ipſius litteris didici; qui non contentus multam lucem rebus Scythicis adtuliſſe, edita charta Geographica inſigni, qua quidquid Tanain & Seres interjacet, mirificè illuſtratur, librum nos etiam plura declaraturum ſperare jubet.

XVI. Sed quia Generum Auguſti Auguſtum in nummis legi inſolens, nec diſtinctione uſpiam juvatur lectio, non auſim fidere huic interpretationi etſi non omnino ineptæ. Sunt ergo, ut celeberrimus *Morellus* ſignificavit (quamvis ipſe non probet) qui volunt AUGG. AUG. ſignificare Auguſtos & Auguſtum, Auguſtos ſcilicet binos ſeniores, *Valentinianum* & *Valentem* fratres, cum *Gratiano* juvene principe; vel extincto *Valentiniano* patre *Valentem Gratianumque* cum puero *Valentiniano*; vel denique *Gratianum* & *Valentinianum* fratres, cum *Theodoſio* poſt *Valentem* extinctum in ſocietatem purpuræ ob virtutem &

res

res bene geſtas adſcito. Sed hæc interpretatio, quî conſiſtere cum ceteris verbis poſſit non video. Subſtituto enim interpretamine pro compendio verborum, prodiret dominus noſter *Gratianus* Auguſti & Auguſtus, quod ineptum eſt. Secus foret, ſi legeretur Concordia Augg. Aug. vel ſimile quiddam; tum enim intelligere liceret concordiam Auguſtorum Auguſtique. Itaque una ſupereſt tolerabilior interpretatio, etſi nec ipſa incommodis careat, ut ſenſus ſit: Dominus noſter *Gratianus* Auguſtorum Auguſtus; quod præter *Biragum* probat etiam ipſe *Andreas Morellus*, nummariæ eruditionis promus condus, cui ſatis vitæ viriumque precabitur, quiſquis hæc ſtudia amat, ut maximum opus regioque favore dignum cogendæ in unum omnis antiquæ nummorum gazæ, quod adgreſſus eſt, multumque promovit, feliciter abſolvat. Nempe cùm *Valente* extincto *Theodoſium* Auguſtum *Gratianus* adpellaſſet, ut haberet, quem opponeret Gothis, quorum immenſa multitudo cis Iſtrum recepta a *Valente*, jam Romanum imperium ultimo diſcrimini admoverat; tunc erat ſanè *Gratianus* caput Auguſtorum, nempe *Valentiniani* fratris adhuc pueri & *Theodoſii*, quem fecerat ipſe. Et quum nummi noſtri omnes Conſtantinopoli ſint cuſi, ſaltem ſi credimus receptæ explicationi verborum TCON vel CON, fieri poteſt, ut *Theodoſius* ipſe ſuam in auctorem ſupremæ fortunæ ſuæ obſervantiam inaudito quidem antea, non prorſus abſurdo tamen elogio Auguſtorum Auguſti orbi teſtatam facere ſua gratitudine dignum putarit. Id enim penè malim, quàm juſſu *Gratiani* nummos ſignatos, ſuperbiſſimo (ut *Biragus* agnoſcit) titulo ſumto, & quem certè nec *Diocletianus* admiſerat, qui ſe dominum & Deum ferebat, ſenior Auguſtus, pater atque auctor tot Auguſtorum. *Gratianum* autem ingenio fuiſſe moderato ac minimè ſuperbo ex æqualium ſcriptorum teſtimonio conſtat. *Ammiano* dicitur, præclaræ indolis adoleſcens, facundus & moderatus & bellicoſus & clemens ad æmulationem lectorum progrediens principum. Unum in eo culpat, quod feria jocis ſæpe poſthaberet, qua deinde negligentia *Maximum* in perniciem ſuam armavit. *Ambroſius* Orat. in ob. Valent. pietatem ejus extollit jam defuncti, quum minor adulationis ſuſpicio. Sed nihil etiam prohibet rei monetariæ curatores inconſultis principibus nummis inſcripſiſſe, quidquid viſum erat.

XVII. Obiter hic notaſſe operæ pretium erit ternos ſimul cum *Gratiano* vixiſſe *Valentinianos*, patrem, fratrem & conſobrinum, *Valentis* filium: ſolum autem fratrem in numerum Auguſtorum hoc loco venire poſſe, ſi *Gratianum* Auguſtorum Auguſtum interpretemur. De patre res per ſe conſtat. Hoc enim vivo, etſi Auguſtus jam *Gratianus*, tamen minor patre Auguſto fuit. Extincto ſeniore *Valentiniano* junior ſubrogatus eſt ejus filius ſtudio militum. *Gratianus* abſens, ut moderato ingenio erat, probavit factum, & fratrem puerum pia cura educavit, cujus *Ammia-*

num

Digitized by Google

num teſtem habemus. Porrò is, cùm patre amiſſo Auguſtus factus eſt, quadrimus erat (ita *Ammianus* & *Victor*); vel, ſi *Zoſimum* ſequamur, vix quinquennis. Contigit autem *Valentiniani* ſenioris mors anno Chriſti 375. Quomodo ergo *Themiſtius* in Oratione XI. ad *Valentinianum* juniorem paulo ante tyranni *Procopii* exitum natum ſcripſit, qui contigit anno Chr. 366. quo anno natum dixere *Idatius* in Faſtis & Chronicon Alexandrinum? Et quomodo anno 369. Conſules, *Valentinianus* & *Victor*, (qui *Sextus Aurelius* Hiſtoricus) memorantur in Faſtis? *Onuphrius* quum intelligeret, hunc annum non quadrare in *Valentinianum*, *Gratiani* filium, ex antiquo lapide introduxit quemdam *Julium Felicem Valentinianum*; ſed non legerat ſcilicet eam quam citavimus *Themiſtii* Orationem, qua ille ipſe junior *Valentinianus* Conſul *Victore* collega ſcribitur. Itaque *Hadriano Valeſio* adſentior, qui ſtatuit, *Valentinianum* anno 366. natum, anno 369. Conſulem, non *Valentiniani* ſenioris, ſed *Valentis* filium fuiſſe; cui adeo non mirum Orationem ipſis Calendis Januariis dixiſſe *Themiſtium*, Conſtantinopoli Conſulatum ineunti, quorum nihil in *Gratiani* fratrem cadit, qui poſtea conſul anno 376. non Conſul iterum dictus eſt, ſed tunc primum fuit. *Valenti* autem filium fuiſſe, ex Hiſtoria etiam Eccleſiaſtica diſcimus. Narrant enim Cæſareæ in Cappadocia agentem, quum Epiſcopum loci *Baſilium* Magnum in exilium pellere vellet, filio in febrem incidente, ſuſtinuiſſe decretum & ad viri ſancti preces confugiſſe, ſed fruſtra, quòd ab Arianis ſe disjungere nollet. Hæc *Gregorius Nazianzenus* Orat. de laudibus *Baſilii* & *Socrates* libr. 4. c. 21. & *Theodoretus* l. 6. c. 19. Nam quod *Socrates* puerum Galaten dictum ſcribit, nihil prohibet *Valentiniani* nomen potius fuiſſe, tamquam conveniens Romano principi & familiæ, quam ornare debebat. Quamquam nihil aliud quàm Conſul fuit. Nam non multo poſt morte præreptum ipſa rerum ſeries probat. Sed ad nummos noſtros revertamur.

XVIII. Diſſentit de loco officinæ, in quo nummi percuſſi, doctiſſimus Diſſertator. Nam pro certo habet, (ut ſupra tetigimus) omnes nummos *Gratiani* (exceptis, qui Siſciæ) in Gallia eſſe percuſſos: quod miror: ſunt enim in quibus MD. OB. vel MD. OBS. id eſt, Mediolani, & ANT. A. id eſt, Antiochiæ, extantes apud *Occonem*; & AQPS, vel SMAQ, id eſt, Aquileiæ percuſſ. aut ſign. mon. Aquilei. apud *Ducangium*, quæ Cl. Diſſertatoris adtentionem effugiſſe oportet. Unde ipſi TCON vel ut alicubi legit CONT (pro quo ego tamen potius CON* videre mihi viſus ſum) eſt Tributum Civitatum omnium Narbonenſium. Hanc interpretationem non facilè adſenſum inventuram puto apud eruditos. Nam præterquàm quòd planè nova eſt & paradoxa, nullo alio argumento juvatur, quàm quod quadrant initiales litteræ, quo ſolo ſi nitare, quodvis facile ex quovis facias. *Carolus Ducangius* vir eruditus indiculum dedit notarum, quæ in Imperatorum Chriſtianorum nummis leguntur, cum interpretatione brevi. Ibi TCON ipſi idem eſt, quod PCON. vel

PCONST. percuſſa Conſtantinopoli. Uti TAR. pro PAR. vel PARL. vel SAR. SARL. percuſſa vel ſignata Arelate, & TT. pro PT. percuſſa Treviris, vel pro ST vel STR & SM TR. Signata moneta Treviris. Alii malunt T ut A (nam & ACON legunt) notam monetarii eſſe. Sanè CON nuſpiam in nummis ante Byzantium in Conſtantinopolin mutatam occurrit. Habetur quoque COM & CONOB & KONOB & COMOB, id eſt Conſtantinopoli obſign. vel Conſt. Mon. obſign. Habetur & CONS & CONST & CONSP. CONA & CONT & CONE, ut AROB, Arelate obſign. & AQS Aquileiæ ſign. & PAQ percuſſa Aquileiæ & ASIS vel ATREU id eſt Siſciæ, Treviris, ubi A nota monetarii fortè aut monetariæ officinæ, quæ & per OF. IL, OF. Ill. in noſtris ipſis nummis diſtinguuntur, aut ut ANTA, vel ANTB, ANTT, Antiochiæ A, B, vel D, ut paulo antè Conſtantinopoli. Eſt tamen cur agnoſcam, quoſdam nummos, ubi CON. legitur, revera Conſtantinopoli cuſos non fuiſſe, quales, quos in Theſauro Brandenburgico exhibet Cl. *Begerus*, ut *Priſci Attali* & *Jovini* Tyrannorum ſub *Honorio*, quorum illum *Alaricus*, Rex Gothorum, hic ſe Auguſtum fecit, ambo mox capti & *Honorio* oblati. In amborum nummis CONOB, ut in *Johannis* numiſmate COMOB, qui ſe *Honorii* ſucceſſorem fecerat, qui omnes Orientis Imperatoribus adverſarii. Cl. *Begeri* conjectura eſt, aliam intelligendam Occidentis urbem, cui initiales litteræ CO. ſed nuſpiam talis comparet, præſertim ubi ſignati nummi; & initiales aliquando ſunt non CO tantùm, ſed & CON. Quid ergo, ſi dicamus adfectaſſe hos Principes vel Tyrannos Conſtantinopolitanæ officinæ ſpeciem, ſive ſpe adprobandi ſeſe Orientis principibus, vel populis certe ea ſpe lactandis? Idemque ſuſpicor de *Momuli* aut *Momylli Auguſtuli* nummis, ubi plerumque CON. OB. De nummis verò Regum Francorum, qui *Juſtiniano* erant fœderati, ambigo, ubi aut quorum juſſu percuſſos dicam, nam & ibi CONOB. Nemo autem ſibi, credo, perſuaſerit, civitates omnes Narbonenſes in *Attali* aut *Johannis* aut *Auguſtuli* nummis locum habere poſſe. Et quum jam omnem Galliam Wiſigothi aut Franci aut Burgundiones tenerent; non ideo minus CON. & CONOB vel COMOB legitur in Conſtantinopolitanorum Imperatorum nummis, etiam *Tiberii*, *Mauritii*, *Phocæ*, *Heraclii*. Sic in nummis *Conſtantis* Auguſti, *Heraclio* juniore Auguſto nati, adparet jam CONOB, jam ROM, jam RAV ſeu Ravenna.

XIX. Ceterum, omnibus inſpectis, fateor, me adhuc ambigere, quid ſibi velit AUGG. AUG. Inclinarem in Auguſtorum Auguſtum, eo quem dixi ſenſu, quum ſcil. *Gratianus* caput Auguſtorum fratri *Valentiniano* puero *Theodoſium* Auguſtum Sirmii adjeciſſet: niſi obſtaret duplex nummus apud *Occonem Biragi*, ubi D. N. GRATIANUS AUGG. AUG. & ab altera parte VOT. X. MULT. XX.

ANT.

Digitized by Google

{ANT. A. / S. M. K.} Ex quibus adparet, alterum Antiochiæ percuſſum, alterum Karthagine, an Kyzici? ut ſenſus ſit: Sacra Moneta vel Signata Moneta KART vel KYZ. Sanè KA aut KE Carthaginem non rarò deſignare cenſetur in nummis. Porrò annus nummi fuerit *Gratiani* decimus: votis dennalibus ſolutis & in aliud decennium nuncupatis. Sed eo tempore vivente adhuc *Valente* ſeniore Auguſto incredibile eſt Antiochiæ, in ipſo Oriente, ubi ipſe *Valens* rerum potiebatur atque etiam tunc degebat, pudendum ipſi nummum fuiſſe cuſum, quo ſe *Gratiano* ſummiſſum profiteretur. Nec facilè ſibi perſuadeat quiſquam vivo patruo etiam in Occidente tam inſolentis ſuperbiæ titulum *Gratiano* adſcriptum. Quod ſi ergo nullus error in deſcriptione nummi, neque diverſæ facies inter ſe copulatæ ſunt, renunciandum puto Auguſtorum Auguſto, & vel confugiendum ad Auguſti Generum Auguſtum (nam tunc jam *Conſtantii* filia erat *Gratiano* nupta) vel, ſi Auguſtos & Auguſtum interpretamur: Auguſtos quidem *Valentem* & *Gratianum*; Auguſtum verò *Valentinianum* puerum, *Gratiani* fratrem; agnoſcendum eſt, ineptè loquutos monetæ curatores; vel denique fatendum, ſubeſſe aliquid nobis non intellectum. Unde tamen nemo jure colligat, neſcio quem *Gratianum* antea inauditum eſſe nobis admittendum. Nam, ut alias interpretationes non repetam, *Gratianum* extincti dudum Auguſti generum ſe in nummo dicere, diſſentiente licet Clmo. Diſſertatore, credibilius facit partum ipſi ea cum Conſtantiniana domo adfinitate decus, ut ſupra jam adnotatum eſt. Itaque neque quod dicamus deeſt, & licet deeſſet, ignorantiam noſtram in re tantula, & erroribus monetariorum illo præſertim ævo tam obnoxia, ſalvæ receptæ Hiſtoriæ auctoritate, profiteri nobis fas utique foret. Sed ſi qua olim in Numiſmatibus Pruſſiæ Regum aut Brandenburgicorum Principum Gloriam novi ſeculi legere debet poſteritas, & (quod ego quidem ſuaſerim) talibus verbis hodie *Friderici* inclyti Regis nummi quidam ſignentur, non eſt, cur aut in cauſſa inſcriptionis aut in tempore obſcuritatem aliquam futurorum Criticorum controverſiis obnoxiam vereamur. Adeo novi regni tam ſingulare initium ipſo temporis charactere memorabile, in omne ævum, qua fas erit mortalibus, duratura Hiſtoriarum monumenta tranſmittent.

FRAGMENTU MEPISTOLÆ AD CUPERUM,

DE NUMMO THEOPHANIS.

IGnotus mihi fuit, quem laudas, *Anſelmus Bandurius*, apparet tamen ex conſilio, & apparatu præſtantem eſſe virum. Memorabilis admodum eſt nummus tuus cum inſcript. Θεοφαν- ανγου; ſi haberet eum *Han-*

duinus, proclamaret, nullius fidei esse Historicos veteres Byzantinos, qui talem imperatorem ignorent, nummis servatum. Venit aliquid in mentem, cui fidere quidem non omninò ausim; judicio tamen tuo quicquid id est subjicio. Suspicio nimirum incidit, posse nummum esse *Theophaniæ* cujusdam, vel *Theophanonis* Augustæ. Sanè *Romanus* junior uxorem habuit dictam prius *Anastasiam*, sed post matrimonium *Theophanonis* nomine honoratam. *Romano* hoc defuncto *Cedrenus* ait, Imperium ad *Basilium*, & *Constantinum* filios tunc juniores ætate, & *Theophanonem* viduam rediisse, quæ mox *Nicephoro Phocæ* nupsit; priùs tamen per V. menses rebus præfuit, eoque tempore, fortasse nomen suum nummis inscribi jussit. Sanè Imperatores Græci eo sæpè cultu in nummis spectantur, qui parùm a fœminis discernat, præsertim si barbâ carent, quæ si abest a figurâ nummi tui, conjectura mea firmabitur, sin adsit, evertetur. Hujus autem Augustæ, & Romani junioris filiam itidem *Theophanonem Nicephorus Vitricus* in *Ottonis II.* Augusti matrimonium dedit, quam scriptores nostri illorum temporum *Theophanum* appellant.

EPISTOLÆ DUÆ
AD OTTONEM SPERLINGIUM

S. Reg. Maj. Dan. a Consiliis, & scribendâ historiâ.

Ex Kortholti collectione.

EPISTOLA I.

I. *De Septentrionis monumentis.* II. *Scandinavia antiqua.* III. *De* Adamo *Bremensi*, Ditmaro, *& anonymo de* THURINGIÆ PRINCIPIBUS.

I. Litteris tuis responsum debeo dudùm. Dilatum est, quia parabam simul disputatiunculæ nostræ continuationem. Sed eâ utcumque conceptâ, deinde perdita inter schedas, ægrè adduci potui, ut actum agerem. Septentrionis monumenta severiore criticâ indigent, antequàm iis vel in temporibus scriptori vicinioribus, nedum in remotis fidem habeamus. Plerumque diversorum tradita parum cohærent inter se. Ut somnia ægrotum intelligunt, qui *Saxonem* aliosque conciliare volunt. Scriptores, & Codices satis recentes sunt. Narrationibus de Asis, & similibus, vix quidquam tribuere audeo. Runographema nescio an ullum

lum compertæ ultra Carolinum ævum antiquitatis. Ubique cruces, quas fruſtra interpretando amoliare.

II. Scandinaviæ antiquos incolas Finnolappos fuiſſe, his ad interiora pulſis littora margineſque a Germanis colonis occupatas oſtendit ſitus locorum uſuſque migrationum. At poſtea colonias ex ſeptentrione in Germaniam rediiſſe, non ideo nego. Hæc omnibus expenſis conſequutus mihi videor; nec tamen aliorum judiciis intercedo. Pro tuis eruditiſſimis diſſertationibus gratias agere memini.

III. Aiunt *Adamum* Bremenſem multo tibi eſſe edito meliorem. Ego *Ditmarum* nactus ſum non tantùm emendatiorem, ſed & ampliorem. Anonymum, quem de Thuringiæ Principibus edidit *Piſtorius*, altero tanto auctiorem habeo. Multos alios medii ævi ex Codicibus meliores reddidi. Itaque juſtum volumen Scriptorum reſtitutorum molior, cujus ornamentum inſigne foret *Adamus* tuus. Sed credo eum ipſe mavoles edere, atque illuſtrare notis. Superſunt mihi & planè inediti, qui aliud volumen implere poſſint. Et in utramque curam DEO volente incumbam. Te hortor magnopere, ut tot præclara opera, quæ affecta habes paulatim publico dones. Vale & fave. *Dabam Berolini* 27. *Januar.* 1703.

EPISTOLA II.

I. *De ſcriptoribus rerum Brunſvicenſium*, II. *MSC. Gudianis*, & III. *de* Spanhemii & Morelli *de re numiſmatica commentariis.*

I. Diu eſt quod in aere tuo ſum, ob egregia munera, quæ publico data ad me peculiari liberalitate pervenire voluiſti. Utinam non tantùm agere gratias, ut feci ſæpe, ſed & referre pro dignitate poſſem. Eſt mihi ſub prælo volumen in folio Scriptorum Hiſtoriæ Brunſvicenſium inſervientium, partim ineditorum, partim ex Codicibus meliorum, partim in paucorum manibus verſantium. Erit in eo & *Ditmarus*, ut olim ſignificare memini, multis lacunis, iiſque interdum non unius paginæ, ſuppletis reſtitutus. Edetur & nunc primum vita *Theodorici*, Metenſis Epiſcopi, cujus mater fuit ex ſtirpe Wittekindea, ſoror matris *Ottonis M.* ipſius. Inerunt etiam huic volumini *Gervaſii* Tilberienſis in *Ottonem IV.* ex Brunſvicenſi ſtirpe Imperatorem ſcripta, Otia imperialia, quorum non niſi particulam dedit *Maderus*. Multas habet miras fabulas. Sed in iis tamen multa docet, & faciem ſtudiorum ſui temporis velut in ſpeculo exhibet. Optem, ut *Adamum* Bremenſem cum notis & vitam *Crantzii* & alia multa edas, quibus hiſtoriam ſeptentrionis, imò omnem aliam eruditionem illuſtrare potes.

II. Miror, potentiſſimum Regem veſtrum Gudiana MSc. e manibus dimiſiſſe. Theſaurum continent rei literariæ non ſpernendum, quemadmodum tu omnium optimè noſti. Sed talia ſæpe non ſatis innoteſcunt

Digitized by Google

magnis Principibus, adeoque non pro merito æſtimantur, aut curantur.

III. Ampliſſimus vir *Ezechiel Spanhemius* mihi deſtinavit exemplum Tomi I. de uſu Numiſmatum operis. Spero & alterum expedi.um iri hac hyeme, qua adhuc in Anglia hærebit, depoſita licet legati perſona. Utinam ſub oculis ejus prodire poſſit editio magni operis Moreliiani, ne tantùm inter XII. ſtet Cæſares, ſed cætera etiam ex viri ſchedis, ectypiſque poſthumis adjiciantur; quod ſi procurabit celſiſſimus Comes *Schwarzburgius* immortali beneficio ſibi rem literariam obſtringet. Quod ſupereſt, vale, & fave. *Dabam Hanoveræ* 4. *Octobr.* 1706.

LETTRE A M. GREIFFENCRANZ,

Envoyé du Prince d'Oſtfriſe à Vienne.

Tirée de l'Otium Hanoveranum.

J'Ai trouvé à Wolfenbuttel le livre de Monſieur *le Laboureur* du voyage de la Reine *Marie* de Pologne, Princeſſe de Mantouë, où il eſt parlé de la *Généalogie des Maleſpines*. Je voudrois qu'on put pouſſer quelque ſavant Profeſſeur de quelque Univerſité à travailler au redreſſement & ſupplément du grand ouvrage d'*Henninges*; mais il faudroit que les Princes l'encourageaſſent, & j'y ſonge effectivement pour Helmſtat.

Quand j'étois à Wolfenbuttel il y a quelques jours, il paſſa un perſonnage, qu'on diſoit venir de Duſſeldorp, qui eut audience de Monſeigneur le Duc *Antoine* plus d'une fois, & qui alla plus avant vers Hambourg. On avoit jugé à ſes maniéres, que c'etoit un religieux, & on étoit allé s'imaginer, qu'il pourroit bien avoir deſſein d'aller juſqu'en Dannemarc, pour travailler à gagner entiérement l'eſprit de la Princeſſe Royale en matiére de Religion. Je ne ſais combien on a avancé de choſes là-deſſus. Pour moi j'avouë que, mettant même la religion à part, j'ai quelque honte de voir que nôtre parti ſoit ſi peu ſcrupuleux en ces matiéres, & qu'on ne faſſe point de difficulté de faire changer des Princeſſes, ſans que le contraire ſe faſſe de l'autre côté.

J'aurois déja donné le ſecond tome de mon *Codex Diplomaticus*, ſi je n'attendois des piéces que le grand Duc & Monſieur le Comte d'Oxenſtiern, prémier Miniſtre de Suède, m'ont fait promettre. Monſieur *de Danckelman* m'en a fait envoyer plus de trente, tirées des Archives Electorales. J'ai ſur-tout pluſieurs traités & négotiations du ſiécle paſſé & du nôtre, entre la France & les Turcs, qui ne ſont pas encore imprimées, mais comme je n'en ai que juſqu'à *Louis XIII.* je ſouhaiterois d'en pouvoir obtenir, qui regardent le Roi d'à préſent. Comme la Cour Impé-

Digitized by Google

Impériale eſt la plus intéreſſée à les ſçavoir, il me ſemble, qu'on les devroit attendre de Vienne. Car comme je ſuis delicat à ne mettre que des notices bien averées, & que je le dois être pour maintenir mon credit, je ne puis point me ſervir de pluſieurs choſes qui courent dans le monde. D'ailleurs j'ai quelque honte que travaillant dans l'Empire, & principalement pour l'Empire, je n'aie rien obtenu pour mon deſſein de la Cour Imperiale. Effectivement j'oſe dire, qu'il n'y a peut-être point de livre depuis longtems, qui contienne tant de pieces autentiques, propres à établir ou conſerver les droits & pretentions de l'Empire. Feu Mr. *Conringius* a amaſſé ce qu'il a pu d'auteurs aſſez connus & imprimés. Mais les documens, que j'ai eu le bonheur de deterrer, lui manquoient, auſſi-bien que d'autres notices étrangeres. Par exemple, perſonne n'avoit vu en public ce *Protocolle de la vérification des limites entre l'Empire & la France* vers la ſource de la Meuſe, entre *Albert* l'Empereur, & le Roi *Philippe le bel*, qui y etoient venus en perſonne; ni le véritable *formulaire de la Tranſlation du Dauphiné en la Maiſon de France*, qui reſerve expreſſement les droits de l'Empire; ni le *contract fait entre la France & l'Archevêque de Lyon*, qui fait connoitre que la France n'y devoit avoir qu'un ſimple droit de protection, & pluſieurs autres pieces, comme entre autres touchant la *Provence*, qui font connoitre clairement le droit de l'Empire ſur tous ces pays au delà du Rhône, que le vulgaire y appelle encore *parte del Imperio*; ſans parler du *Duché de Bar*, conteſté depuis long-tems entre l'Empire & la France, & ſans parler encore des pieces ſinguliéres que j'ai données, & que je puis donner encore à l'egard du droit de l'Empereur en Italie. Mais je ne doute point que la Cour Imperiale ne put fournir bien des choſes importantes, quand même elles ſeroient de moindre antiquité. Par exemple, je voudrois avoir *le diplome de Charles quint, par lequel il établit un Duc de Florence*, & ce que *Maximilian II.* accorda au grand Duc. Car *c'eſt un abus de s'imaginer que ce qui n'eſt pas féodal, eſt independant de l'Empire.* J'ai obtenu des choſes curieuſes des *papiers du feu Cardinal de Granvelle*, grand Miniſtre de *Charles V.* & de *Philippe II.* & il y auroit moyen d'en avoir encore bien d'autres, ſur-tout ſi je faiſois quelque depenſe pour cela, qui feroit peu de choſe pour l'importance de la matiere, mais un peu trop exceſſive pour la ſimple curioſité d'un particulier. Ces papiers ſont entre les mains de quelques particuliers François, c'eſt pourquoi je ſuis obligé de les manier avec adreſſe, afin que la choſe n'eclate point. Mais mon Code diplomatique me fournit un beau pretexte de recherches, dont la Cour Impériale ſe pourroit ſervir, ſi on le jugeoit à propos. Il faut louer le ſoin des François à ne rien negliger en ces matiéres, pas même ce qui paroit ſuranné. Vous ſçavez, Monſieur, ce que Meſſieurs *du Puy* freres ont publié pour ſervir à eclaircir les droits, ou prétentions de la France. Et encore preſentement la Cour de France fait

amaſſer

amaſſer des notices de tous côtés, témoin les prétenduës réunions. Derniérement Mr. *Schilter*, Syndic de Strasbourg, ayant demande quelque choſe au Pére *Mabillon*, un des plus ſavans hommes du monde en matiére de diplomes, & ce Pére lui ayant dit, que je pourrois le ſatisfaire, on m'écrit là-deſſus, & par là j'ai appris que ce Pére a été derniérement à Strasbourg, ce qui me fait juger, que la Cour de France l'y aura fait aller, ſous prétexte d'Hiſtoire & de curioſité, pour voir ce qu'il y a encore de conſequence dans les Archives de Strasbourg, avant qu'on rende cette ville. On voit par là combien les François prennent garde à tout. Peut-être ſeroit-il à propos de rapporter toutes ces choſes à Mr. le Comte *de Kinski*. Son Excellence manie le timon des affaires de l'Empereur, & ſa grande pénétration, qui va au fond des choſes, le fera juger, s'il ſeroit à propos de faire des réflexions ſur cette matiére des droits de l'Empire au dedans & au dehors, que je trouve peu cultivée, & qui mériteroit pourtant que des perſonnes intelligentes s'y appliquaſſent exprès. Sur quoi je pourrois donner bien des remarques, (il ſeroit peut-être à propos que dans les nouveaux traités de paix on fit gliſſer un jour quelques mots, qui conſervaſſent les anciens droits de l'Empire, en diſant, que les vieilles prétentions de part & d'autre ſeront vuidées par les voyes amiables, ou de la juſtice). J'eſpére qu'après les fondemens merveilleux jettés par le grand *Léopold* pour le rétabliſſement de la gloire de l'Empire, le Roi bâtira un jour là-deſſus, & relévera un bâtiment, qui étoit allé en décadence. Et je crois qu'il fera mentir la *prophétie*, qui vouloit que *Charles V.* ſeroit *le dernier des Couronnés en Italie*, parce que la Galerie tomba à Bologne, quand il l'eut paſſée. *Le 29. Janvier 1697.*

LETTRE A MONSIEUR PINSON,

Tirée de l'Otium Hanoveranum.

IL eſt juſte de procurer à Monſieur l'Abbé *Baudrand* les notices qu'il déſire, & je le ferai volontiers autant que je pourrai. Il ſeroit difficile de marquer les limites des diocéſes, à moins qu'on n'ait les diplomes des fondations, où ils ont coutume d'être exprimés. Les pays de la Maiſon de Brunſvic ont été ſous divers diocéſes, comme ſous Mayence, Minde, Hildesheim, Halberſtatt, Breme, Verden, & autres. Et il faudroit une recherche expreſſe pour les déméler, ce qui demanderoit du tems. J'ai appris qu'une partie de la ville d'Hanover étoit du diocéſe de Hildesheim, & une autre partie de celui de Minde. Et quant au temporel des Evêchés, les limites en ſont le plus ſouvent litigieuſes, &

& même la Maiſon de Brunſvic y eſt intereſſée à l'égard de quelques-unes. Ainſi lorſque Mr. *Cantelli* à Modene, connu par ſon application à la Geographie, mais mort depuis peu, me demandoit des notices ſur le territoire de Hildesheim, je lui répondis, que j'aimerois mieux lui en procurer des Abyſſins par Mr. *Ludolf*, & de la Tartarie par Mr. *Witſen*.

Il y a encor des Chanoines des Egliſes Cathédrales, dont les Evêchés ont été ſécularisés. Les Saints, dont ces Cathédrales ont pris leur nom, ne m'ont pas été aiſes à trouver; excepté l'Egliſe de Merſebourg, qui eſt de St. *Laurent*, l'Empereur *Otton* ayant donné la bataille aux Hongrois le jour de ſa fête, & ayant fait vœu de bâtir une Egliſe à ce Saint s'il la gagnoit, comme *Paulus Langius* le rapporte dans ſa Chronique. La fondation de l'Egliſe de *Meiſſen* de l'an 968. a été inſerée dans les annotations de *Meibomius* ad *Widichindum Corbeienſem*; J'y trouve ces paroles; *Inſuper tota utilitate & omnibus rebus, quibus mortales utuntur diverſis modis, decimationes, quas Deo cuncta gubernanti debent, ad Miſnenſem Eccleſiam primo Deo, deinde S. Joanni Evangeliſtæ beatoque Donato Matri Dei* (je crois qu'il faut lire *martyri Dei*, car ni la connexion ni la place ne paroiſſent point convenir à la Sainte Vierge) *univerſa dubietate procul remota perſolvant.* J'ai eu de la peine à trouver, à qui étoit dediée l'Egliſe Cathedrale de Naumbourg, & quoique j'euſſe ſoupçonné, que c'étoit aux deux Apôtres *St. Pierre* & *St. Paul*, à cauſe de la foire aſſez fameuſe qui eſt fixée au jour de leur fête, je n'oſois pourtant point l'aſſurer. Mais enfin j'ai trouvé dans la Chronique de *la Porte* de *Pertuchius*, que l'Abbé *de la Porte* juroit fidelité aux Saints Apôtres *Pierre* & *Paul*, & à l'Evêque de Naumbourg. Je n'ai rien pû trouver encor des noms des Egliſes Cathedrales de Brandebourg, Havelberg, & Lebus, de ſorte qu'il faudroit avoir recours aux Archives pour les apprendre. 1697.

EXTRAIT D'UNE LETTRE
A MONSIEUR SPANHEIM:
Du Mercure des Egyptiens.

Tirée de l'Otium Hanoveranum.

QUant à cette queſtion, ſi c'eſt *Moyſe* ou *Joſeph*, qui doivent être entendus par le *Mercure des Egyptiens*, j'ai ſouvent crû qu'on eſt un peu trop liberal à tirer les fables des anciens de la Sainte Ecriture. Quoique Monſieur *d'Avranches* ait employé une grande érudition dans

ce qu'il dit ſur ce ſujet dans ſa *Démonſtration Evangelique*, il me paroît néanmoins, que la broderie vaut mieux que l'étoffe, & que la ſolidité manque bien ſouvent à ces jolies divinations. Peut-être que l'*Hermes* des Egyptiens eſt plus ancien que *Joſeph* & que *Moyſe*, puiſque ce grand Législateur étoit inſtruit dans les ſciences des Egyptiens, dont l'invention eſt attribuée à *Hermes*. Ces hypothéſes de quelques auteurs Chrêtiens, qui tirent toute la mythologie payenne de la religion des Juifs, comme ſi les autres peuples ne pouvoient pas avoir inventé leurs ſuperſtitions eux-mêmes, me paroiſſent ſemblables à celles des Chymiſtes, & derniérement de Mr. *Tollius*, qui trouvent la pierre philoſophale dans la Sainte Ecriture, auſſi bien que dans les métamorphoſes d'*Ovide*. Nous apprendrons par vôtre *Callimachus*, ce qu'on doit juger de l'origine de la mythologie ancienne. Il y a de l'apparence que des hiſtoires y ſont cachées. Ce ſeroit quelque choſe de beau, ſi on les pouvoit développer. On dit que Mr. l'*Evêque de St. Aſaph* y travaille auſſi, & qu'on a vû de lui un échantillon de Chronologie qu'il en tire. Par ce moyen on pourroit déterrer ce qu'il y a de plus ancien dans l'hiſtoire.



HISTOIRE

Digitized by Google

HISTOIRE
DE
BALAAM, *OU* BILEAM.

LES Iſraëlites ſortis d'Egypte ſous la conduite de *Moyſe* vinrent aux confins des Edomites, & leur demandérent paſſage, pour entrer dans la Terre de promiſſion. Mais les Edomites le refuſerent & leur oppoſérent de ſi grandes forces, que *Moyſe* jugea à propos de faire le tour de leur Pays. Ce tour fut long, mais il ſervit à rendre le Peuple plus aguerri & plus hardi. Car en paſſant ils renverſérent quelques petits Rois, comme ceux de Harad, de Hesbon & de Baſan. Voyez Nomb. Chap. XXI.

Après cela ils arrivérent aux frontiéres des Moabites. *Balac*, Roi des Moabites, en fut allarmé, auſſi-bien que les Seigneurs voiſins des Madianites. Et cela les porta à envoyer chercher *Balaam*, ou *Bileam*, fameux Devin de ce tems-là, qui demeuroit dans les Montagnes Orientales d'Aram, Chap. XXII. v. 5. & XXIII. v. 7. ce que quelques-uns prennent pour l'Armenie. Il devoit venir voir le Peuple d'Iſraël des hauteurs de Moab, pour le maudire, & chanter des chanſons ou priéres d'imprécation, capables ſelon l'opinion de ce tems-là de rendre tout un Peuple malheureux. *Bileam* accoutumé à ſe regler ſur les Songes, pria les Meſſagers d'attendre ce que la nuit lui réveleroit; & ſon ſonge fut tel, qu'il crut que Dieu lui défendoit de faire ce qu'on demandoit. Les Meſſagers étant retournés chez eux, *Balac* envoya de plus grands Seigneurs, pour le preſſer avec plus d'inſtance. *Bileam* prit encore conſeil de la nuit, & Dieu lui dit, qu'il pouvoit aller; mais qu'il ſe devoit donner de garde, de ne rien faire que ce qui lui ſeroit ordonné. C'eſt-à-dire, il eut un ſonge, qu'il interpréta dans ce ſens, ſuivant les régles de ſon art. Ainſi il partit le lendemain avec les Seigneurs Moabites. Mais il eut une autre viſion en chemin, qui lui fut un préſage de tout ce qui devoit arriver. Ce fut la viſion de l'avanture & du dialogue de ſon Aneſſe avec un Ange ou Meſſager de Dieu.

Il eſt vraiſemblable, que cette viſion étoit auſſi un ſonge. Car le chemin étoit ſans doute de quelques journées. Ainſi *Bileam* étant au

gîte ſongea la nuit (comme il eſt naturel) qu'il étoit en chemin ſur ſon Aneſſe, & qu'elle faiſoit difficulté d'avancer, & ce qui ſuit. Car le jour il voyageoit en compagnie des Seigneurs Moabites, mais dans cette viſion il n'eut avec lui que ſon Aneſſe & ſes deux Valets. Auſſi continua-t-il le chemin avec les Moabites après la viſion; & cette difference inſinue, que le chemin qu'il fit ſeul, n'étoit qu'en idée. Le Texte ne dit rien qui n'admette cette interprétation, & la circonſtance que je viens de marquer, la favoriſe. Il eſt encore bon de conſidérer, que Dieu lui avoit permis d'aller, Chap. XXII. v. 20.; & cependant il eſt dit un peu après, verſ. 22. que Dieu étoit en colére contre lui. C'eſt que *Bileam* n'avoit pas les intentions tout-à-fait droites, & étoit tenté de complaire à *Balac*, qui lui faiſoit de grandes promeſſes. C'eſt pourquoi dans cette perplexité d'eſprit, mêlée de mauvaiſe conſcience, cette nouvelle viſion menaçante d'un Ange, ou Meſſager du Seigneur, tenant une épée nue pour le tuer, lui ſurvint; & en effet cette viſion fut un préſage de tout ce qui lui arriva. Et il ſemble, que c'eſt pour cela que *Moyſe* l'a fait enregiſtrer & conſerver.

Il paroît, que dans cette viſion allégorique *l'Aneſſe* repréſente *Bileam* lui-même, qui eſt pouſſé par *Balac*, comme l'Aneſſe etoit pouſſée par ſon Maître pour avancer. L'Aneſſe étoit comme le Prophête. Car elle voyoit l'Ange du Seigneur contraire à ce qu'on demandoit: & celui qui la pouſſoit ne le voyoit pas; en quoi il repréſente le Roi *Balac*, qui ne connoiſſoit pas le deſſein & la volonté de Dieu. L'Aneſſe, voyant l'obſtacle, faiſoit des efforts comme le Prophête, pour ne rien faire contre l'ordre de Dieu, & elle étoit maltraitée & menacée par ſon Maître, comme le Prophête fut grondé & menacé par le Roi des Moabites, Chap. XXIII. Les détours de l'Aneſſe pour ſortir du chemin, crainte de l'épée de l'Ange, marquoient, que le Prophête, craignant la défenſe de Dieu, feroit ce que *Balac* ne demandoit pas, & beniroit au lieu de maudire. Et quand l'Aneſſe, pour éviter l'Ange, preſſa le pié de ſon Maître contre le côté du chemin étroit, cela marquoit, que le Prophête, ne pouvant plus éviter de dire nettement ſa penſée au Roi au troiſiéme Sacrifice, qu'on ne paſſoit guère, pour ne pas trop preſſer la Divinité, chagrina extrêmement ce Prince, & s'en attira la colére. Mais enfin l'Aneſſe parla, & les yeux de ſon Maître furent ouverts pour voir l'Ange: ce qui ſignifie, que le Prophête parla enfin nettement au Roi, & lui décilla les yeux, pour lui faire entendre, que les imprécations étoient inutiles, & que Dieu beniſſoit le Peuple qu'il vouloit faire maudire; Chap. XXIV. Cependant la colére du Seigneur contre *Bileam*, & la menace de l'Ange, qui portoit l'épée nue dans ce ſonge prophétique, eut auſſi ſon effet dans la vérité des événemens. L'Ange veut dire un Meſſager de Dieu; & ce Meſſager, portant l'épée, ſignifioit *Phinées*, fils du Grand Sacrificateur Iſraelite, qui

qui fit mourir *Bileam*, Chap. XXXI. v. 8. Car ce Prophête ou Devin, ne le fut pas aſſez cette fois, & crut avoir ſatisfait à l'ordre de Dieu, en changeant les malédictions en bénédictions ſolemnelles; mais il crut en même tems, que pour gagner les préſens & les bonnes graces du Roi, il lui étoit permis de quitter un peu le perſonnage de Prophête, qui parloit au nom du Seigneur, de prendre celui d'homme ordinaire, & de donner des conſeils au Roi en homme d'eſprit, qui furent pernicieux pour les Iſraélites, & les auroient ruïnés, ſi *Moyſe*, pouſſé par un Eſprit ſupérieur & divin, n'y avoit mis ordre, conformément à la volonté de Dieu.

Le conſeil que *Bileam* donna à *Balac* avant que de partir, & ce qu'il lui avoit fait eſpérer, Chap. XXIV. fut, comme l'on connoît par le Chap. XXXI. v. 16. de faire une grande Fête à l'honneur de Belphégor Dieu des Madianites, d'y inviter les Iſraélites qui demeuroient dans le voiſinage, de les careſſer, de leur faire bonne chére, & de les ſéduire par le moyen des jolies filles qui y paroîtroient. Voyez Chap. XXV. *Balac* & *Bileam* crurent, que ces péchés & cette idolatrie ſerviroient à éloigner les Iſraélites de leur propre Dieu, qui les protégeoit, & à les aſſujettir aux Dieux de leurs ennemis. Car c'étoit la coutume des Gentils de croire, qu'il y avoit un contraſte entre les Dieux des Nations, comme il y en avoit entre les Nations mêmes. Outre que cela gagnoit une partie des Iſraélites & les diviſoit entre eux, & encore amolliſſoit par la volupté le courage des hommes endurcis par leurs marches pénibles dans le Deſert & par les combats contre d'autres Peuples.

Mais *Moyſe* voyant où alloit ce deſordre, fit prendre pluſieurs des principaux qui s'étoient abandonnés; ce qu'il fit pour expier le Peuple. Il ordonna en même tems aux Juges, Chap. XXV. v. 5. de faire tuer les coupables. Et *Phinées* auſſi, qui étoit petit-fils d'*Aaron*, & fils du Grand-Sacrificateur *Eléazar*, jeune homme courageux, connoiſſant l'intention de ſon grand Oncle, & ému d'un zéle digne de ſa naiſſance & de ſa qualité Sacerdotale héréditaire, voyant qu'un des plus grands Seigneurs Iſraelites, Chef de la Tribu de *Siméon*, nommé *Zimri*, fils de *Salu*, alloit rendre viſite à une Princeſſe des Madianites, nommée *Cosbi*, fille du Prince *Tſur*, le ſuivit, & les trouvant couchés enſemble, les perça tous deux d'une maniére qui marquoit leur crime.

Enfin, beaucoup d'Iſraélites périrent dans ce tumulte, & la colére de Dieu contre ſon Peuple fut appaiſée par cette purification, verſ. 11. Mais il falloit auſſi faire ſentir ſa colére aux Madianites, auteurs du mal, verſ. 17. 18.; ce qui arriva quelque tems après, Chap. XXXI. quand *Moyſe*, prenant ſon tems pour ſurprendre les ennemis, envoya douze mille bons Soldats dans leur Pays, ſous la conduite de ce même *Phinées*. Cette Armée ruina cinq Princes Madianites, & on tua ce même

Bileam, qui apparemment avoit été attiré de nouveau dans le Pays par les préſens & les honneurs de *Balac* & des Princes de Madian, ſatisfaits du ſuccès des conſeils de cet habile Devin, qui avoient coûté ſi cher au Peuple d'Iſrael; mais qui coûterent la vie à celui qui les avoit donnés, & s'etoit oppoſé en cela à ce que lui-même avoit cru conforme à l'intention de Dieu.

Il paroît que *Moyſe*, grand Homme d'Etat, & grand Prophéte en même tems, a considéré *Bileam* comme un concurrent & un antagoniſte fameux, & l'a jugé digne d'en tranſmettre la deſtinée à la poſterité; au lieu qu'il n'a point daigné nommer *Jambre* & *Jamne*, Devins ou Mages Egyptiens, dont le nom a été conſervé par d'autres & connu en quelque façon des Grecs, comme on le voit par un paſſage de *Pline*.

Il y a un bel endroit dans la derniere prophetie de *Bileam*, à la fin, qui pourroit faire croire qu'il avoit été pouſſé quelquefois par l'Eſprit de Dieu. C'eſt qu'il paroît avoir prédit la venue d'*Alexandre* le Grand dans l'Orient, & le renverſement de l'Empire, qui étoit poſſedé auparavant par les Aſſyriens & par les Perſes. Car il dit, (ſuppoſé que ce ſoit lui qui ait parlé) qu'un jour des Vaiſſeaux viendroient de Chittim, c'eſt-à-dire de la Grece, & non pas d'Italie, comme quelques-uns l'ont pris en l'appliquant aux Romains; & que ces nouveaux venus détruiroient l'Aſſur & l'Heber. Car Aſſur ſignifie les Aſſyriens, & Heber pluſieurs Peuples voiſins. C'eſt pourquoi dans la Genèſe, Chap. X. v. 21. *Sem* eſt appellé le pére de tous les fils d'*Heber*. Car pour marquer, que c'eſt d'*Alexandre* dont on veut parler, on ajoute, que le Chef de ceux de Chittim, après avoir bouleverſé l'Orient, périra bien-tôt lui-même.

OBSERVATIO

DE SUPERSTITIONIBUS QUIBUSDAM SLAVORUM.

Ex Tom. 3. Collectionis Kortholti.

RItus Sarmatici in Slavis medii ævi ſuperantes, velut imaginem præbent veteris Germanorum vivendi rationis, prorſus quemadmodum in Abaſſenis noſtri temporis, antiquam quinti a Chriſto ſæculi Eccleſiam, velut in ſpeculo intuemur. Nam Slavi ſeriùs ad Chriſtum converſi diù antiquiſſimos mores retinuêre. In *Ottonis Babenbergenſis*, qui Pomeranos ad Chriſtiana ſacra traduxit, vita, a *Sifrido* expeditionis comite

comite conſcripta, L. 2. c. 32. duas ſuperſtitiones obſervare licet, quibus paria a *Tacito* in Germanis notata, illuſtrantur. Scilicet *equorum auguria*, & *lignorum ſortes*. Habebant Pomerani caballum miræ magnitudinis, & pinguem, nigri coloris, & acrem valdè. Iſte toto anno vacabat, & tantæ fuit ſanctitatis, ut nullum dignaretur ſeſſorem, habuitque unum de quatuor ſacerdotibus templorum cuſtodem diligentiſſimum. Quando ergo itinere terreſtri contra hoſtes, aut prædatum ire cogitabant, eventum rei hoc modo per illum ſolebant diſcere. Haſtæ novem diſponebantur humi, ſpatio unius cubiti disjunctæ. Strato ergo caballo, atque frænato, ſacerdos, ad quem illius pertinebat cuſtodia, tentum fræno, per jacentes haſtas in tranſverſum ducebat, ter atque reducebat. Quod ſi pedibus inoffenſis, haſtiſque indiſturbatis equus tranſibat, ſignum habuere proſperitatis, & ſecuri pergebant. Hoc ergo genus ſortium aliaſque *ligneas calculationes* in quibus navalis pugnæ, vel prædæ conſiderabant auguria, quamvis multum frementibus aliquibus, tandem Dei auxilio penitus abraſit (*Otto*) ipſumque profani vaticinii caballum, ne ſimplicibus eſſet offenſionis laqueus, in aliam terram vendi præcepit, aſſerens, hunc magis quadrigis quàm prophetiis idoneum. Capite ſequenti notat auctor abdicatam *conjugum pluralitatem*. Eâ in re ſcilicet Sarmatæ a Germanis differebant.

VITA

VITA ET OBITUS VIRI CELEBERRIMI, JACOBI BERNOULLI,

Utriuſque Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis & Berolinenſis Socii, & in Inclyta Baſileenſium Academia Matheſeos Profeſſoris Clariſſimi.

Ex Actis Eruditorum ann. 1706.

PRæmatura mors Viri Excellentiſſimi, *Jacobi Bernoulli*, non tantum Academiæ patriæ, verum & univerſæ Reipublicæ Literariæ graviſſimam attulit jacturam. Ea accidit die 16. Auguſti anni ſuperioris 1705, paulo poſt horam quintam matutinam, anno ætatis quinquageſimo primo. Clariſſimus hic Vir, oriundus majoribus, tempore Ducis *Albani* ob religionem orthodoxam patria Antwerpia pulſis, in lucem eſt editus anno vergente 1654. d. 27. Decembris, patre Viro Ampliſſimo *Nicolao Bernoulli*, Fori Judicialis, & Cameræ rationum in Republica Baſileenſi Aſſeſſore integerrimo, octogeſimoque ætatis anno etiam per Dei gratiam ſuperſtite. Excuſſo pulvere Gymnaſii, Philoſophiæ in Scholis uſitatæ principia hauſit ex inſtitutione Celeberrimi Viri *Joh. Jac. Hoffmanni*, SS. Th. D. & Hiſtoriarum in Academia patria Profeſſoris, impetratiſque in ea conſuetis gradibus animum ad ſtudium ſacrum appulit, magis tamen ex inſtigatione paterna, quàm proprio inſtinctu. Interea dum juveniles anni calerent, Poëſin quoque Latinam, Gallicam, Germanicam excoluit, multaque non infeſtivè luſit, & linguis pariter ſedulò operam dedit. Scientias Mathematicas ab ineunte ætate mirè deperiit, dum adhuc puer ex inſpectione figurarum Geometricarum ſecretum quoddam oblectamentum capiebat, ut natus ad ſtudium hoc, non factus videretur. Αὐτοδίδακτος: in illo fuit, nullius unquam vivi Præceptoris opera uſus, quin & librorum penè omnium ſubſidio deſtitutus. Si quem ſors objecerat, hunc furtim evolvebat, hancque ob cauſam ultra communis Arithmeticæ, Geometriæ, Aſtronomiæ praxin non penetravit, neſcius ante peregrinationem Literariam, quiddam longè præſtantius haberi. In prima nihilominùs adoleſcentia penetrans ejus ingenium eluxit in celebri problemate Chronologico, de inveniendo anno Periodi Julianæ,

ex

ex datis tribus Cyclis, Solis, Lunæ, & Indictionum; quod occaſione propoſitionis ſecundæ partis primæ Deliciarum Mathematicarum *Schœnteri*, ante decimum octavum ætatis annum, proprio Marte ſolutum dedit, neſciens eo tempore, ejuſdem Problematis ſolutionem à *P. Billy* Jeſuita, celebri Mathematico, tamquam inſigne artis ſpecimen, in Diario Pariſienſi jam antea publicatam extare. Peregrinationem ſuam iniit Noſter A. 1676, & Genevæ *Eſtheram Eliſabetham a Waldkirch*, a ſecundo a nativitate menſe cœcam, ſcribere docuit; Burdigalæ verò Tabulas Gnomonicas univerſales (nondum quidem editas) condidit. Peragrata Gallia domum redux A. 1680, ſuaſu amicorum, *R. P. Malebranchii* celeberrimum opus de Inquirenda Veritate, & *Carteſii* Philoſophica primum cœpit evolvere, hujuſque philoſophandi modum potiùs, quàm principia approbavit, & poſtquam illuceſcentis Cometæ occaſione, ingenii quemdam luſum de futura ejus apparitione, vernacula lingua edidiſſet, ſecundo Rheno Belgium petiit. Hic ſanioris Philoſophiæ, & demonſtrationum mathematicarum dulcedine primùm ineſcatus, Elementa Euclidea docuit priùs, quàm didicerat, additaque Geometriæ Carteſianæ repetitis aliquoties conatibus penetrare cœpit, mox etiam *Conamen ſuum de Motu Cometarum* in Latinum tranſtulit, ac multo quàm prius auctius edidit, Tractatumque ſuum egregium *de Gravitate Ætheris* conſcripſit. Hinc perluſtrata Flandria, Brabantiaque, Caletum uſque pergens, in Angliam trajecit, ubi ſalutatis Illuſtri *Boylio*, aliiſque Celeberrimis Viris, Congregationi hebdomadariæ Academicorum augendis, majoremque ad perfectionem perducendis ſcientiis inſtitutæ, ſemel interfuit; dein mari Hamburgum vectus, per Germaniam recto tramite patriam repetiit, & paulo poſt, brevi excurſu, Helvetiæ Cantones inviſit. Patriæ redditus A. 1682. eo ſtudia ſua impendit, ut publico prodeſſet; quem in finem per aliquot æſtates Collegium quoddam experimentale Phyſico-Mechanicum aperuit, eoque primus rerum harum pulcherrimarum in Academia Baſileenſi auctor, & evulgator extitit. Profecturus poſtea Heidelbergam, ubi vicaria ejus in docenda Matheſi deſiderabatur opera, domi retentus eſt per ſubſequens matrimonium, quod A. 1684. contraxit cum *Stupanorum* Medicorum ſuo tempore non incelebrium nepte, & pronepte, e qua geminæ prolis maſculæ, & fœmininæ parens factus. Tum verò Mathematica denuò ſeriò tractare inſtituit, præcipuoſque Autores, & ſuo uſui legere, & inter legendum aliis explicare cœpit, unaque docendo, & meditando ſic profecit ipſe, ut interioris Geometriæ adyta non tantùm brevi recluderet, ac præſtantiſſima tum Veterum, tum Recentiorum inventa, ſibi plana perſpectaque redderet, verum etiam propriis inventis ſcientiam quotidie magis magiſque locupletaret, ac perficeret. Mortuo poſtea Celeberrimo *Petro Megerlino*, J. U. D. & Mathem. apud Baſil.

Profeſſore, ejus in locum unanimi Procerum calculo ſuffectus eſt A. 1687. d. 15. Febr. Spartam ſic nactus genio ſuo, & ſtudiis convenientem, magno eam cum applauſu, & honore exornavit, omnibuſque deinceps Academicis dignitatibus, atque inter eas Rectoratu Univerſitatis ſemel, & Philoſophici Ordinis Decanatu ter, pari cum ſucceſſu, & dexteritate, omniumque applauſu functus eſt. In ſua ſtatione operam ſuam ſtudioſæ juventuti ita commodavit, ut nulli eam expetenti denegarit, quamdiu corporis id vires permiſerunt; hinc plures exteri tanti viri fama allecti Baſileam advolarunt, docta ejus inſtitutione fruituri. Mira in docendo pollebat facilitate, ſuaque dexteritate difficillima quæque Auditoribus ſuis ita propinare novit, ut planè neſcirent, ludone, an ſomno ea arcana didiciſſent. Academicis quoque debemus exercitiis egregium ejus tractatum *de Seriebus infinitis*, in quo abdita nobis pandit Geometriæ myſteria. Indies ſic novis inventis augere perrexit Geometriam, eaque cùm in Actis Eruditorum Lipſienſibus, ut nemo non deprehendet, qui vel indices Tomorum Mathematicos inſpicere ſuſtinebit, tum in aliis Eruditorum Diariis cum publico communicavit; quibus ita ſe exteris commendavit, ut A. 1699. non tantùm Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſiis, & A. 1701. Berolini, utriuſque noviter tum inſtauratæ, præter omnem ſpem ſuam, & expectationem, cum Ingenioſiſſimo Fratre *Joanne Bernoullio*, in Groningenſi hactenus, nunc in Baſileenſi Academia Profeſſore Mathematum celeberrimo, fuerit adſcriptus, verùm etiam tum natalium ſplendore, tum eminentiorum munerum dignitate Nobiliſſimi Viri, Illuſtriſſimus Dominus, *Rogerus Brularius*, Marchio de *Puyzieulx*, & *Silleri* &c. &c. magni Galliarum Regis ad Helveticam Gentem Legatus Excellentiſſimus, & Illuſtriſſimus Dominus *Guilielmus Franciſcus de l'Hoſpital*, Eques, Marchio *S. Memii*, & *Montelerii*, Comes *Antremontii*, Dominus in *Ouques*, *la Chaiſe* & *le Beau* &c. &c. dum viveret, excellentiſſimus Geometra, benevolentia ſua inſigni eum dignati ſint. Cum celebratiſſimis pariter in Republica Literaria Viris, inter quos brevitati ſtudentes hic loci tantùm nominabimus Illuſtriſſimum Dn. *Leibnitium*, Sereniſſimi Electoris Brunſvicenſis Conſiliarium Status, & Societatis Berolinenſis Præſidem, & Pariſienſis, ac Londinenſis Socium, Dn. *Chriſtophorum Pfautzium*, in Academia Lipſienſi Matheſeos Profeſſorem famigeratiſſimum, Dn. *Nicolaum Fatium Duillerium*, Regiæ Londinenſis Societatis Sodalem digniſſimum, arctam amicitiam coluit, crebris ab iis exhilaratus literis. Verùm enim verò aliis inſerviendo, ſe ipſum conſumſit; Nam continuis ſuis meditationibus, totque inſomnibus noctibus, quibus reconditioris Geometriæ receſſus perſcrutando, publico prodeſſe ſtuduit, corporis contra vires ita debilitavit, ut varii, periculoſique morbi, cum quibus conflictatus eſt, inſequuti ſint. Podagræ enim, a qua a multo

jam

jam tempore vexabatur, febris tandem acceſſit hectica, cum præcedente tuſſi perquam violenta, quæ cùm in dies magis magiſque augeretur, nullam ipſi reconvaleſcendi ſpem reliquit; unde omnibus in domo ſua diſpoſitis, mortis meditationi ſe totum tradidit, ſicque decimo ſexto, ut dictum, Auguſti die ærumnoſam hanc vitam cum meliore commutavit. Paucis ante poſtremum diebus, amicos rogavit, ut *Spiralem Logarithmicam* circulo inſcriptam cum epigrapha, *eadem mutata reſurgo*, ſepulchri ſui ſaxo inſculpi carerent, ad inſignes proprietates, quas primus deprehendit, alludens, cùm ea ſe non ſolùm ſui evolutione generet, ſed etiam ſui ipſius cauſtica exiſtat, *ſeque adeo ipſam poſt varias mutationes* de novo *producat*; hacque in re Celeberrimus noſter defunctus *Archimedis* exemplum imitari voluit, qui inſigne ſuum inventum, de proportione ſphæræ ad circumſcriptum cylindrum, tumulo ſuo inſcribi juſſit. Inventa ejus plurima, & pulcherrima, quæ in Actis Eruditorum, & alibi extant, non recenſemus: addere contenti, cùm magnum ſæculi noſtri inventum, *Analyſis infiniteſimalis Leibnitiana* prodiiſſet, Noſtrum de uſu ejus, atque applicatione præſertim ad Phyſico-mechanica, ex facili exemplo ab Autore exhibito (demonſtratione ſcilicet Curvæ Iſochronæ) novam ſubitò lucem hauſiſſe, & in eum *calculum* Analyticum excolendum (quem *Differentialem*, eique reciprocum *ſummatorium*, vel *integralem* vocant) magno ſtudio, & ſucceſſu incubuiſſe, eximiis Problematibus ſolutis; ut inter maximos tanti inventi propagatores jure meritoque haberi poſſit, *Leibnitius*que defuncti Amici, & ſemper lugendi memoriæ hoc diſtichon conſecrarit.

Infinita tibi Terris Lux fulſit in ipſis,
Bernoulli, & quiſquam te ſupereſſe neget?

LETTRE DE Mr. LEIBNIZ,

A D. JEAN MABILLON,

Sur le Marquis AZO.

Tirée des Oeuvres poſthumes de Mabillon in 4°. 3 tom.

J'Ai appris de Mr. *Broſſeau* la bonté que vous avez eue, mon Révérend Pére, de nous faire copier un Manuſcrit d'une Chronique de Saxe, que Mr. d'*Alvenſleben*, quand il étoit à Paris avec les deux plus jeunes de nos Princes, nous avoit fait eſpérer de votre part.

Je vous en remercie très-humblement & ſouhaiterois de trouver quelque occaſion pour vous témoigner ma reconnoiſſance. On n'abuſera pas du pouvoir qu'il ſemble que vous nous donnez ſur cet ouvrage, & on n'en uſera que ſuivant vôtre avis.

Il y a déja quelques années que je me ſuis apperçu de vos bontés, lorſque vous avez penſé à nous obliger en faveur de Mr. le Réſident *Broſſeau*, à l'égard de certaines recherches touchant un Marquis *Azo* de l'onziéme ſiecle.

J'ai appris depuis que ce jeune Prince, qui épouſa l'héritiére des *Guelfes*, a eu en méme tems un Marquiſat en Lombardie & en Ligurie, ou celui de Genes & de Milan, comme le diſent poſitivement des Diplomes & des Auteurs contemporains; & qu'Eſte & le pays à l'entour de Rovigo étoit de ſon héritage ou alleu, & que *Cunegonde* ſon épouſe avoit été enterrée à la Vangadizza ſur l'Adige, où j'ai été moi-méme. L'épitaphe de cette Princeſſe dit poſitivement qu'il étoit le plus puiſſant Prince d'Italie de ſon tems, *Magnus qui Marchio fulget*; item, *Populis locupletior ullus haud viget.* Il eſt sûr que la Maiſon de *Brunſvic* deſcend en ligne droite maſculine de ſon fils *Guelfe* Duc de Baviére: mais j'ai maintenant auſſi la vérification de la deſcendance de la Maiſon d'*Eſte* de ce méme Prince; de ſorte que la connexion de ces deux Maiſons, dont Mr. *Juſtel* & d'autres doutoient avec quelque raiſon à cauſe des aſſertions peu juſtes du *Pigna*, eſt maintenant établie par des lumiéres que j'ai trouvées à Modéne & ailleurs.

Quand j'etois au Monaſtére de la Vangadizza, j'appris que *S. Thiebaut*, dont Votre Révérence parle dans ſon excellent voyage d'Italie p. 207, y eſt enterré. C'eſt une choſe étrange que nous ne pouvons pas

pas encore déterrer l'origine de ce Marquis *Azo*, qui étoit un ſi grand Prince. *Sigonius* lui donne pour pére un Marquis *Hugues*, mais qu'il comprend avec un autre. J'ai appris que *Sigonius* peut avoir puiſé ce qu'il en dit dans une Chronique de *Leon* Evêque de Come, qui parle de l'expédition de *S. Henri* contre *Ardouin*, & de quelques Marquis d'Italie nommés *Ugo*, *Opiſo*, &c. que l'Empereur prit ou deſtitua, mais dont une partie fut rétablie. Je n'ai pas vû cette Chronique.

Mr. *Bély* rapporte un extrait d'une Pancarte de Saint Martin de Tours, où il eſt fait mention de quelques Marquis d'Italie de ce tems, dont les noms ſont croire de la connexion avec le nôtre. Il en parle à l'occaſion d'un Marquis *Hugues*, que d'autres Princes Italiens avoient envoyé en France pour porter le Roi *Robert* à accepter la Couronne d'Italie pour ſon fils. Si quelqu'un nous pouvoit aider en cette recherche, on lui en auroit une obligation réelle. Il ſemble qu'on devroit trouver quelques traces de l'origine d'un Prince ſi puiſſant.

Je communiquai à Mr. *Meibom* ce que vous aviez remarqué touchant *Hugues de St. Victor*, & il y a répondu dans un petit diſcours inſeré dans les Tomes qu'il a publiés il y a quelques années pour ſoutenir le ſentiment de ſon aïeul, qui eſt que cet Auteur célébre étoit Saxon.

Les ouvrages inſignes dont vous avez enrichi & enrichiſſez encore le Public, rendent vôtre temps extrêmement précieux ; ce qui me fait finir en vous aſſurant que je ſuis &c. *De Hanover le* 21. *Decembre* 1691.

FINIS PART. II. VOL. IV.

645170

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google